This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**


Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

COUNTWAY LIBRARY
HC 1GKV B


LEONARDI BOTALLI,
OPERA OMNIA.
Lugduni Batavorum,
Ex Officina Danielis & Abraham
à Gaaſbeeck Anno 1660.

[illegible]

[illegible]



# LEONARDI BOTALLI ASTENSIS,

*Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris, Chriſtianiſſimi Regis* CAROLI IX. *Sereniſſima Regina, & Invictiſſimi Ducis Brabantia, Andium &c. Comitis Flandria, &c. Conſiliarii & Medici.*

# OPERA OMNIA

*Medica & Chirurgica.*

Hac poſtrema editione à mendis repurgata, methodicè diſpoſita, paragraphis diſtincta, notis marginalibus, & Authorum teſtimoniis aucta, hinc inde annotationibus illuſtrata, prodeunt

*è muſæo*

JOANNIS VAN HORNE,

*Med. Doct. Anat. & Chir. Prof. Ordinarii.*

In Acad. Lugduno-Batava.

*LUGDUNI BATAVORUM,*
Ex Officina DANIELIS & ABRAHAMI
à GAASBEECK, 1660.

BOSTON MEDICAL LIBRARY
IN THE
FRANCIS A. COUNTWAY
LIBRARY OF MEDICINE

*Ampliſſimis, Spectatiſſimis, Prudentiſſimis, Conſultiſſimiſque*

VIRIS,

DD. JOANNI ELEMAN.
Medico Excellentiſſimo: antehac ad Cameram Computorum Hollandiæ Deputato; nunc vero Florentiſſimæ Reipublicæ Leydenſis CONSULI, & Nobiliſſimorum DD. hujus Academiæ Curatorum Collegæ.

DD. JOANNI à WEVELICHOVEN. J.C.
Ejuſdem Reipublicæ Syndico meritiſſimo, & Nobiliſſ. DD. Academiæ Curatorum Secretario.

*Dominis ſuis & Fautoribus plurimum Colendis.*

## Ampliſſimi Viri.

CUR junctim Veſt. Ampp. compellem, non una mihi ratio eſt: Nam & maxima inter vos ſtudiorum animorumque conjunctio eſt atque harmonia; & inſuper, Deus Opt. Max. junctim vos admovit clavo & regimini hujus florentiſſimæ civitatis, &, quæ in eadem eſt, Academiæ. Sed, quæ me proximè ſpeciatimque tangit cauſa eſt, quod amborum veſtrorum favorem in mea Profeſſione fuerim expertus luculenter. Vos enim ambo, quaſi porrectis manibus, in ea me (veſtra honorifica commendatione,) collocare ſtuduiſtis ſtatione, qua etiam nunc conſiſto per Dei Omnipotentis gratiam. Quis igitur eſt, qui me non ſit accuſaturus ingratitudinis, ſi tot tantaque beneficia oblivioni mandem, & pleno ore non undiquaque ebuccinem? Veruntamen, ſicut Veſtra merita, in hanc Rempublicam & Academiam, omnium præconia longè ſuperant, ita verendum

rendum mihi erat, ne veſtris auribus, ab adulatione alieniſſimis, moleſtus eſſem longa rememoratione beneficiorum, quibus me affeciſtis: quare, cum ſupra omnem laudem poſiti ſitis, malui parcior eſſe potius in Vobis laudandis, quam verborum conquiſitis lenociniis, Vobis obſtrepere. Fateor tamen & fatebor, plurimùm me Vobis debere, nec unquam comittam, ut pœnitentia vos capiat, quaſi in ingratum hæc contuleritis. Sanè, cum primum ad Veſtram urbem accederem, nihil in me prorſus erat quàm benè merendi de Republica medica, (cui à teneris me addixeram) ſtudium. Hoc tamen Vos tam alacri & benevolo excepiſtis animo, tam ſtudiosè foviſtis hactenus, ut præter folia & flores, fructus etiamnunc Veſtri favoris videatis. Atque utinam citius mihi data fuiſſet opportunitas, publicè propalandi eam, quam ſcrinio pectoris concluſam geſtavi hactenus gratitudinem! Sed enim ſat cito erit, ſi ſat benè, factum, fuerit. Arripui primam mihi oblatam occaſionem, & cum Patroni eſſent ac veluti Suſceptores hujus fœtus quærendi adverſus malevolorum obtrectationes, (quorum ſpicula haud levia expertus ſum) non potui nec debui ad alios ire, utpote qui & autoritate, & rerum pe-

 ritia,

ritia, ambo valeatis. Quanquam verò videri poſſim alienis plumis me exornare, Vobiſque offerre quod meum non eſt; tamen ſic ſtatuo, non parum mihi deberi, quod egregium hunc Autorem veluti poſtliminio revocaverim, & à blattis tineiſque vindicatum, orbi erudito nitidiorem exhibuerim. Quantus ille fuerit in re medica, nullus Te melius judicabit, Ampliſſime ELEMANNE, utpote per cujus medendi ſcientiam multi revocati à mortis limine, multi à diris cruciatibus liberati, tanquam ab altero Hercule ΑΛΕΞΙΚΑΚΩ, fuerint; cujus rei luculentiſſimum teſtimonium hujus Reipublicæ cives magni, parvi, medioxumi, paſſim exhibent. Quicquid verò ego in hoc Autore concinnando præſtiterim, (quamvis ad Lectorem Præloquium docere poſſit) nemo tamen Te dignoſcet accuratius, Spectatiſſime WEVELICHOVI, qui ſummus ut ingeniorum, ita & ſtudiorum, æſtimator exiſtis. Suſcipite ergo, Viri Ampliſſimi Prudentiſſimi, hoc munuſculum, Vobis debitum, Veſtroque iccirco nomini conſecratum. Et, quamvis levidenſe exiſtat, præ ampliſſimis Veſtris in me meritis, dignemini tamen gratioſa fronte illud aſpicere, meque favoris veſtri aura porrò aſpirare. Sic Deus

Opt.

Opt. Max. Veſtras Ampp. ad hujus Reipublicæ augmentum, Academiæ ſplendorem, Eccleſiæ bonum, civiumque ſalutem ſoſpitet quam diutiſſimè. Dabam Lugduni Batavorum, è muſæo meo, VIII. Auguſti 1660.

*Amplitudinum Veſtrarum*

*Cultor Devinctiſſimus,*

JOANNES van HORNE.

*Anatomes & Chirurgiæ Profeſſor Ordinarius.*

# Præloquium ad Lectorem Benevolum, in Autoris & Operis commendationem.

*QVanquam Dei Opt. Max. beneficio, poſt inventam artem Typographicam, tanta librorum, etiam bonorum, nobis ſuppetat copia, ut difficilis ſit electio; nullo tamen ſæculo magis, quam hoc ipſo quo vivimus, locum habuit ſententia Eccleſiaſtæ*, XII. 14. *dicentis*, Faciendi libros multos nullum eſſe finem. *Docent enim, & confirmant hoc dictum, non præla ſolum Typographica, quæ perpetuo gemunt ſub onere, ſed etiam Bibliopolarum officinæ, atque Bibliothecarum publicarum privatarumque plutei. Veruntamen, uti inter herbas copioſiſſimè naſcuntur zizania, quæ ſponte ſua proveniunt uberius, quam eæ plantæ quibus diligens adhibetur cultura; tale quoque librorum fatum eſt; de quorum ſanè maxima parte verè poſſumus pronunciare, melius futurum, ſi nunquam Lucem aſpexiſſent. Sic nempe ſolet humani generis hoſtis ſatanas, ut aliis multis* DEI *donis, ita quoque hoc abuti beneficio ad hominis perniciem.*

*Attamen ſuis laudibus defraudandi non ſunt Viri Doctiſſimi, qui laboribus ſuis indefeſſis, in Reipublicæ litterariæ utilitatem exantlatis, ſcientiarum terminos ſemper ulterius extendere omni cura & ſedulitate ſtuduerunt; quibus ſi nobis carendum eſſet, non tantum plurimi noſtrum in media ſederent barbarie, ſed nec unquam eò progreſſi fuiſſent, quo nunc pervenerunt: nam, ut proverbio fertur, facilè eſt aliquid inventis addere; adeoque venuſta admodum comparatio eſt hodiernorum doctorum virorum, cum puero gigantis humeris impoſito, qui licet puſillæ ſit ſtaturæ, multo tamen longius ipſo Gigante, multoque plura proſpicit. Fateor equidem, multorum animis inſidere ſcribendi cacoëthes, libroſque edendi pruri-*

*pruriginoſam libidinem, quibus aut nomen ſuum, aut etiam imagunculam præfixam videre exoptant & ambiunt. Sed hæc res neutiquam tangit eos, qui ſolo veritatis Zelo, & de re litteraria bene merendi ſtudio impulſi, ſive in refutationem falſorum & pernicioſorum quâvis Peſte dogmatum, ſive in aſſertionem veritatis, & manifeſtationem earum rerum, quæ poſteritati etiam profutura non dubitabant, & animum & calamum ad ſcribendum appulerunt; quorum labores, grata mente excipiendos eſſe à nobis, nullus ſanæ mentis in dubium vocabit. Propius autem ſingula Autorum ſcripta penſitanti, præ cæteris mihi videntur palmam meruiſſe illi, qui ante ſæculum, aut ſeſqui, ſcripſerunt: ſive quod eorum eruditio effulſerit ſplendidius è media barbarie, velut ſplendere in denſiſſimis tenebris exiguum quoque lumen ſolet, magis quam pleno meridie; ſive quod minus fucata eorum ſit oratio; ſeu denique quòd major veritatis amor in ipſis fuerit. Loquor autem de Recentioribus ſcriptoribus, quos inter* BOTALLUS *quoque numerandus venit magno ſuo merito: nam & à pietate in Deum, charitate erga proximum, vitæ integritate, doctrinæ gravitate, tum inſuper praxi uberrima feliciſſimaque, eſt commendabilis. Quid enim, obſecro, chriſtianè magis cogitari aut dici poteſt, quàm felicem in praxi ſucceſſum non ſuæ prudentiæ, ſed benignitati divinæ acceptum referre, à qua omne bonum deſcendit, neutiquam verò ab hominum manibus aut mente emergit? ut loquitur autor p. 324. His adde, quæ idem habet p. 58. In Deo Optimo Maximoque potiſſime ſpem firmam reponendam eſſe, eumque maxima cum fiducia invocandum, deprecandum atque implorandum, tum à Medico, ut juſtum honorem ſibi comparet, tum à patiente, quo facilius optatam ſalutem conſequatur; denique à quovis mortali, cum omnium ſit rerum conditor.*

*Porrò, quantopere charitatis igne erga proximum exarſerit, efficaciter docere nos poſſunt ea quæ habet. p. 29. & ſeqq.*

*ſeqq. quando vetat denariolos à panperculis extorquere; ſed illis citra præmium obſequium facere monet. Inprimis autem deteſtatur perverſum illum morem, quo medici pauperum, ſive ruricolarum ſive incolarum, urinas inſpicientes, citra ullum morbi aut patientis habitûs examen, remedia tamen, (ancipiti ſemper eventu, atque utinam non frequenter noxio) præſcribere non verentur: Conſulitque icciro, ut tales patientes, quos inviſere vel pietas non movet, vel locus, vel præſentia negotia, vel juſta alia cauſa non permittit, ad juniores medicos relegentur, qui eos videant, audiant, tractent; minus enim hos peccaturos ex aſpectu ipſius ægri accidentiumque obſervatione, quàm ſeniorem ex ſolo urinæ conſpectu. Et quia experientia ſatis didicerat, Medicos à praxi frequentiſſima tantum non obrutos, vix exactè memoria tenere poſſe ea quæ ſingulis ægris præſcripſerunt; aut etiam interdum alios advocari medicos, ignaros eorum, quæ ante adhibita fuêre, remediorum, undè ſæpenumere contingit, vel reiteratione eorumdem auxiliorum patientes fruſtra cruciari, vel neceſſariorum omiſſione ſanitati non reſtitui; hinc adeò prudenter admodum præſcribit modum, quo, his omnibus evitatis, ægrorum ſanitas ſarta tecta conſervari poſſit, videlicet, ut in ſchedulam conjiciantur morbi ſpecies, dies decubitus; mox & præſidia de die in diem inſtituta. vid. p. 32. 33.*

*Sed candorem ejus quis non miretur ſummoperè, quem exprimit p. 677. his verbis; nullam iram hominem unquam concitare debere ad injuſtum diſſidium, neque ullam particularem neceſſitudinem, vel ſocietatem, vel amorem, ad veritatem, quæ multis conferre poteſt, reticendam. Modeſtiam verò ſuam ipſemet prædicat, p. 327. atque, in medicorum congreſſibus, leniter ſe ſuam proponere ſententiam, rem ipſam duntaxat collimare, citra læſionem eorum qui ante ipſum dixerunt, aut poſt dictari ſunt.*

*Quanta in eodem fuerit doctrinæ gravitas, hinc abunde patere poteſt, ſi reſpicamus ad locum in quo medicinæ operam navavit auctor; & inſtitutionem à puero, tum*

*etiam*

*etiam tempus, attendamus, quo hæc ſua ſtudia corroboravit, quæ omnia ab Hippocrate requiruntur* lib. de lege tex. 2. *Etenim & Mediolani, & in Patavina ac Ticinenſi Academia (in qua donatus fuit doctorali Laurea) ſub celeberrimis præceptoribus Cardano, Paterno, Friſimelica, Trincavellio, Fallopio, &c. ab ipſa penè adoleſcentia, diſciplinam medendi didicit, & omni induſtria ſectatus eſt; omneſque medicinæ partes, ſpeciatim verò Chirurgicen, ſub fratris ſui Secundi Botalli ductu & auſpiciis, exercuit. Nec, ut plerique ſolent, ubi primum à ſcutica hypodidaſcali receſſit, ad medicinam ſtatim alieno periculo & faciendam & docendam, prorupit; ſed poſt innumeras ægrotantium curationes, ſumma diligentia, ratione & felicitate inſtitutas (quæ Galeni de ſeipſo gloriatio eſt* IX. *M. M. c.* 4.) *tandem in Regis Chriſtianiſſimi Caroli IX. Reginæ Matris, & Franciſci Valeſii Ducis Andium Regis fratris, aulam venit. Cum hoc poſtremo, occaſionem habuit non in Gallia ſolum, ſed & in Anglia (quo tranſvectus eſt Dux, matrimonii cum Eliſabetha Regina contrahendi gratia,) noſtroque Belgio (cujus imperium, tanquam Brabantiæ Dux & Flandriæ Comes* vid. Grotii annal. Belg. l. 4. *ſuſceperat,) medicinam exercendi; quæ tam feliciter ipſi ceſſit, ut ſine mendacio de ſemetipſo teſtetur, nullum ſibi in medendo ſucceſſum infelicem accidiſſe, ob quem jure aliquo potuerit aut temeritatis aut audaciæ redargui, aut ob quem animus ejus aliquo vel minimo, conſcientiæ ſtimulo divexatus fuerit.*

*Ex his omnibus ſatis conſtare arbitror, non ſermone tantum, ſed re & opere ipſo Medicum fuiſſe* Leonardum Botallum, *ex Aſta civitate Galliæ Ciſalpinæ, quam Pedemontium communiter vocamus, oriundum; in qua ut ſoli ita & ingeniorum magna eſt fertilitas: Adde nunc innumera exempla ægrorum ab eodem curatorum, quæ paſſim in hoc opere occurrunt, quæque vel ratione perſonarum illuſtrium in quibus contigerunt, vel ob notabilem curationis eventum, digna judicavit Au-*

*tor memoriâ poſteritatis. Si enim, quæ in nullius non morbi curatione elucent, prudentiam atque ſapientiam ejus ſpectemus, non aliud judicium de eo ferre poſſumus, quàm eum intima quæque medicinæ penetralia ſubiiſſe, ipſamque artis cognitionem ad uſum feliciter tranſtuliſſe, atque interiora medendi conſilia, ſaluberrima præcepta, fideliſſimaque monita Tyronibus candide communicaſſe.*

*Unicum ſaltem obſtare videtur, nimirum, videri autorem noſtrum nimis liberalem in ſanguine mittendo, cujus miſſionem in omni fere morborum genere (in quo eam ſummi Viri improbare ſolent) maximopere commendat; fortè quod ipſe primus fuerit hujus frequentis Venæſectionis in Gallia autor, ut de ſemetipſo teſtatur p.* 120. *atque adeo hæc ipſius fuerit pupa (habet enim omnis homo ſuam) qua luſitare ſolitus fuerit. Sanè hoc potiſſimum nomine malè audiit, & reprehenſus eſt acriter, à Doctiſſimo Viro* Jacobo Pons *Doctore Medico Lugdunenſi, qui peculiari tractatu* Botallo *potiſſimum culpam tribuit, quod etiam hodiè in Gallia nimis licentiosè abutantur venæſectione; ideoque ſui muneris eſſe putavit hujus mali impetum ſiſtere, ejuſque curſum intercipere oppoſito rationum vallo, & adhibitis demonſtrationum propugnaculis, quibus ejuſmodi homines, qui eo remedii genere tantum non abutuntur ad licentiam, ab errore revocarentur. Quod quam ſit feliciter ab eodem præſtitum, non meum eſt judicare, ſed eorum, qui omne ſtudium operamque poſuerunt in morborum curationibus ex artis præceptis inſtituendis, atque ratiocinationi excultiſſimæ experientiam frequentiſſimam adjunxerunt.*

*Sed priuſquam Ego hic manum de Tabula tollam, monendus eſt Lector de iis quæ præſtita à me in hac nova & eleganti editione fuerunt. Inprimis namque operam dedi, ut omnia ab autore unquam edita opuſcula ad manus meas pervenirent; quæ hoc ordine diſpoſui: Primò,* Tractatum de medici & ægri munere *præpoſui cæteris, utpote*

quo

*quo generalia ad medicinam ſpectantia præcepta continebantur: Subjunxi* obſervationes Anatomicas, *ſubjectum medicinæ concernentes: has excipit* admonitio de fungis, *ad diæteticam, aut, ſi mavis, pharmaceuticam pertinens: tandem ſubſequitur* Tractatus de incidendæ venæ, cutis ſcarificandæ, & hirudinum applicandarum modo, *quæ ſunt materiæ remediorum Chirurgicæ.* Liber de Curatione per ſanguinis miſſionem *ad Methodicam medicinæ partem referri non incommodè poteſt.* Commentarius de Catarrho *ad morborum particularium Curationem, ſeu ut loquuntur, Praxin ſpectat, ut &* Liber de Lue Venerea, & Tractatus de Vulneribus Sclopetorum.. *Ex his librum de Catarrho, in capita diviſi, ceteros Tractatus, quia diſtributi erant in capita, paragraphis diſtinxi; Notas marginales auxi; loca autorum citatorum addidi: Curſivis, ut mos eſt loqui, litteris quædam exprimi curavi; & hinc inde, pro temporis mihi à Typographis conceſſi ratione, notatiunculis opus illuſtravi, imò figuris quoque inſtrumentorum neceſſariis, exornavi. Tuum erit, Benevole Lector, hunc noſtrum laborem æqui bonique conſulere, eoque in Tuum commodum frui.*

FINIS.

SE-

# SERIES CONTENTORUM
## In hoc libro
# LEONARDI BOTALLI.


1. *Tractatus de Medici & Ægri munere.* P. 1

2. *Obſervatio Anatomica de monſtroſo rene.* P. 59

3. *Obſervatio alia de oſſibus inventis inter utrumque cerebri ventriculum.* P. 65

4. *Alia obſervatio de vena arteriarum nutrice.* P. 66

5. *Admonitio de Fungo ſtrangulatorio.* P. 71

6. *Ratio incidendæ venæ; cutis ſcarificandæ & hirudinum applicandarum modus.* P. 74

7. *De Curatione per ſanguinis miſſionem Liber.* P. 95

8. *De Catarrho, ejuſque cauſis, ſymptomatibus, ſignis & Curatione, Commentarius.* P. 245

9. *De Lue Venerea, ejuſque curanda Ratione Liber.* P. 341

10. *De Curandis Vulneribus Sclopetorum libellus; cui inſertus eſt Commentarius auctoris in cap. ult. libri Sexti Meth. Medendi Galeni, in quo agitur de Vulnerum capitis Curatione.* P. 599


LEO-

# LEONARDI BOTALLI

## *Aſtenſis, Medici Regii,*

## TRACTATUS DE *MEDICI ET ÆGRI MUNERE.*

ARTIUM omnium præſtantiſſimam (a) eſſe Medicinam declarat ejus ſubjecti dignitas, id namque cæteris omnibus, quæ humanis ſenſibus ſubjiciuntur, omni cura anteponere nemo non ſtudet. Hoc autem humanum corpus eſt, ſine quo nec anima ipſa, qua regitur, hoc inferiore ſeculo conſiſtere poteſt, adeò ut mutua opera corpus animam, & anima corpus regat. *Medicinæ ſubjectum.*

§. 2. Circa idem ſubjectum videntur quidem

(a) *Hippocrates* noſter *l. de Lege*, vocat eam ἐπιφανεστάτην præclariſſimam, ſplendidiſſimã & clariſſimam.



(b) Imò

*Militia finis eſt imperium.*

*Juris finis æquitas.*

dem verſari & jus, & vis ſive militia, verùm hæc humani corporis per ſe curam non gerunt. Fodere hoſtem militia omnibus nervis ſtudet, ante oculos ferens imperium: Malos vero jus perdere, æquitatem duntaxat ſpectans. Quia igitur utraque ex animo quandoque in hominis pernitiem incumbit, non propterea horum per ſe ac proprie (b) eſt ſubjectum humanum corpus. Medica verò ars, perinde atque benigna mater natorum ſaluti ſtudens, nunquàm niſi hominis cuſtodiam curat: iccirco hæc ars cæteris omnibus præferenda venit, non modò ſui ſubjecti dignitate, immo etiam & tempore, nunquam enim homo fuit, (c) cui prodeſſe Medicina non potuerit: Non æquè jus ſive vis.

*Medici ſcopus ſanitas.*

§. 3. Verùm etſi jus æquitatem, & militia imperium, & medicina ſanitatem affectent, non tamen legum, armorum, Medicinæve miniſtri finem ipſum tanquam ſcopum habent. Impedimento iis ſunt ſoporoſa deſidia, vel præceps audacia, vel ſordida avaritia, vel quæ ab hac prodeunt, nempe vel nefaria virulentaque invidia, vel inanis tumidaque gloria. Ignaviam artiſque imperitiam parit ac fovet

*Quæ impediant quominus rectè procedant artes.*

*Deſidia quid præſtet.*

(b) Imò manet utrobique idem ſubjectum, ſeu res conſiderata: at modus conſiderandi, τρόπος ἐπισκέψεως facit medicinam differre à reliquis diſciplinis, circa corpus humanum occupatis.

(c) *Hippocr. lib. de Vet. med.* Ipſa neceſſitas coëgit homines medicinam inquirere ac invenire. *Celſus in præfat.* Medicina nuſquam non eſt, ſiquidem & imperitiſſimæ gentes herbas aliaque prompta in auxilium vulnerum morborumve noverunt.

(d) *Hip-*

vet deſidia, artis limites temnit præceps audacia: in pecuniam, non in patientium commoda irruit avaritia: per fas & nefas inviſum perdere invidentia vigilat: fucata ac inutilia veris atque utilibus præfert ventoſa gloria. Quî fieri igitur poteſt, ut rectè procedat ars, ubi artifex horum alicui ſe dediderit? Ars enim correlativum obtinet ſuum, videlicet artificem. vivit artifex, ſimul & cum eo vivit ejuſdem ars. Probus ac peritus eſt artifex? probè ac peritè artis effectus procedunt. Contrarium ex contrario ſequitur.

*Præceps audacia.*
*Avaritia.*
*Gloria ventoſa.*
*Qualis eſt artifex talis eſt ars.*

§. 4. Aſt non bene ſemper operam procedere dico, cum res bene cedit, vel male, cum finem ipſum avitum non conſequimur: Nam ſemel hominem interire neceſſum eſſe rès ipſa indicat. Proin neque omnes morbos artem, neque naturam ipſam poſſe ſanare conſtat. (d) Sic igitur cum Ariſtotele (e) dicemus rem ex arte beneque proceſſiſſe, cum in toto morbi curſu nil omiſſum eſt, quod ars præciperet, (f) vel aggreſſum, quod illa vetaret. Simili modo nec bene geſta jure dicere poſſumus, quæcunque non infœlicem habent exitum.

*Quando bene vel male procedere ex arte dicantur.*
*Quando bene ex arte proceſſum ſit.*

Caſus

(d) *Hippocr. l. de arte.* quorumcunque vel naturæ vel artis inſtrumentorum facultatem obtinemus, per ea operari poſſumus, per alia non item. quum igitur homo morbo afficitur, qui vehementior eſt quam ſint inſtrumenta medica, ne ſperate quidem oportet, ut à medicina vincatur.

(e) 1. *Rhet.* 1. Opus medicinæ non eſt ſanum facere, ſed quouſque fieri poteſt, eouſque perducere. Confer quæ de Gubernatoris officio ſcribit *Seneca Epiſt.* 85.

(f) *Seneca l. 7. de benef. c.* 13. Si omnia fecit ut ſanaret, peregit medicus partes ſuas.

 (g) *Hipp.*

Caſus enim interdum aliquot è manibus empiricorum vel plebeiorum eripit, circa quos bene proceſſum fuiſſe fatendum non eſt, quum ii nulla arte vel recta obſervatione regantur. (g) Verùm quod fit à fortuna, præter id quod raro fiat, etiam & crebro citiſſimè cadit.

*Fortuita non crebra neque diuturna.*

*Quæ potiſſimè requirantur in medico.*

§. 5. Quò igitur ars ipſa Medica bene procedat, non modò ab integro vitæ (h) homine tractetur, par eſt, ſed ab eo, qui ſimul cum vitæ integritate animi prudentiam (i) adjunctam habeat ſedulitatemque. qui à diuturna experientia probè obſervata factus ſagax, quàm brevi momento humana corpora mutentur, quamque multa uni homini ſive artifici diſcenda ſuperſint, inflatus tanquam artis coryphæus aliena conſilia (ſi bona ſint) non ſpernat, nec tempus in iis, quæ ab arte aliena ſunt, conterat, veluti in dicendi lepore vel copia.

*Ciceronis ſtudium nil habet commune cum Hip. vel Galeno.*

§. 6. (k) Quid commune habet Ciceronis, Livii, Virgilii, Lucanique lectio cum Hippocrate vel Galeno, vel Ariſtotele? Juvat quidem ad vanam oſtentationem, verùm detrahit hæc non pauca ab artis opere, ad quod omnem

(g) *Hipp. l. de loc. in hom.* Qui medicinam rectè novit, minime fortunam expectat, ſed & citra fortunam, & cum fortuna, recte faciet. & quæ ſequuntur.

(h) *Hipp. in Iusjur.* Caſtam & ab omni ſcelere puram vitam artemque tuam excolito.

(i) *Hipp. l. de Glandulis.* Mens medici, ſi bonus ſit & prudens, utplurimum cauſam morborum intelligit.

(k) *Hipp. l. de arte.* Medici veri demonſtrationes artis, multo libentius ipſo opere, quam verbis, præſtant.

(l) Paſſim

omnem collimare ingenii aciem debet opifex, non immemor eorum quæ ſæpius à Galeno ſunt præcepta, ab Ariſtotele & à Platone prius inſtituta, ſubinde à Celſo & multis aliis commemorata. Quid Galenus in Methodo? (l) Verùm quod divinum Platonem ſequuti ſemper teſtamur, Contemnere nomina rerum oportere, minime autem rerum ſcientiam: ea namque ad ſalutem hominum pertinet, erroriſque in ea finis eſt pernities. nominibus ſive propriè, ſive impropriè utare, ad ægrotos id parùm attinet. Quid item libro de Locis affectis? (m) Quippe tum primùm homines res ipſas neglexerunt, quum nimio ſtudio nomina quærere inceperunt. Sed neque hæc ſub ſilentio præterivit Celſus, (n) cum dixit morbos non eloquentia, ſed remediis curari: quod etiam à doctiſſimo Cardano non ſine inſigni nota prætermiſſum eſt.

§. 7. Præterea ſi dialecticis, quibus liberum eſt de omnibus poſſe diſputare, fugiendam eſſe dixit Ariſtoteles de nominibus diſceptationem, niſi aliter de re propoſita diſſerere non poſſint, quomodo Medicum pervicacem in iis eſſe decebit? ſermonis finis (ex Ariſtot. atque re ipſa) quis eſt præterquam ut animæ paſſiones audientibus aperiantur? quod etiam paucis verbis à Cicerone dictum eſt, ſine re nulla vis verbi eſt. Sed quis ſupra Ciceronem dicendi

*Non medicis modò ſed & dialecticis vana diſputatio de nominibus.*

*Sermonis finis qui ſit.*

(l) Paſſim in eam ſententiam loquitur. M. *M. l.* 2. *c.* 1. *l.* 6. *c.* 1. & 10. *l.* 7. *c.* 2. *l.* 14. *c.* 9.

(m) *l.* 3. *c.* 10. ſed & *l.* 2. de *diff. Febr. c.* 8.

(n) In proëmio *lib.* 1.

(o) *l.* 29.

*Et Cicero ipſe non plus verba quàm rem æſtimat.*

dicendi leporem veneratus eſt? inquit tamen & in Tuſculanis. Rem, opinor, ſpectari oportere non verba: Plinius (o) etiam de medicorum diſceptationibus differens, Palam eſt, inquit, ut quiſquis inter illos loquendo polleat, Imperatorem illico vitæ noſtræ neciſque fieri.

§. 8. Valeant igitur, qui jactabundam hanc oſtentationem tanto fervore colunt, qui ſpretis iis, quæ ad artem faciunt, in ſola ſimplici atque inani dicendi venuſtate curam poſuerunt, vel in aliis pauci, ſive nullius momenti, (p) nimirum in nimio literarum Græcarum ſtudio, vel in jugi mathematicarum diſciplinarum contemplatione: De quibus etſi aliquid ſcire conducat Medico, non tamen adeo in iis conterere tempus debet, quoad evadat eximius. Nam ſunt qui in dictione Latina aliqua in re Ciceroni non parcant, & ineptum dicant Hippocratem fuiſſe in Græca quotquot Græcas callent litteras. In multis deliquiſſe Galenum alius profert. Taxat alius Homerum, hic Euclidem in Mathematicis reprehendit, ille in Aſtronomica Ptolemæum. Anteactas planetarū Theoricas propemodum delevit

*Non inutile medico aliquid de mathematicis ſcire.*

*Copernicus novas inſtituit planetarum theoricas.*

(o) *l. 29. c. 1.*

(p) Longè aliter de linguæ Græcæ cognitione judicat *Horat. in arte poet.*:

*-- Vos exemplaria Græca*
*Nocturna verſate manu, verſate diurna.*

Et cum apud Græcos ſalutaris hæc profeſſio, non dixerim nata, ſed alta, & aliquanto magis, quam apud cæteras nationes, exculta ſit, quid miramur, ipſam quoque linguam fuiſſe quandam velut ſcientiæ prærogativam, adeò ut etiam teſte *Plinio l. c.* apud imperitos experteſque ſermonis, aliter quàm Græcè medicinam tractantibus, autoritas non fuerit?

(q) Ex-

delevit Copernicus, cujus hypotheſibus phœnomena reſpondere ad unguem plæriq;famigeratiſſimi Aſtrologi aſſerunt oſtenduntque.

*Quid obſtet quo minus medicus debeat inſudare aliis diſciplinis. Medicina pr3rſus conjecturalis.*

§. 9. Quid igitur? inſudabitne Medicus circa hæc omnia, quoad exactè de ipſis poſſit decernere? abſit: nam evolat hominis ætas, præter id difficilis, incerta, immò quidem & infinita (ſi cum humana conferatur vita) (q) Medicina eſt, in conjecturis (r) tota repoſita, cum circa fluxilia, quæ variis momentaneis mutationibus ſunt ſubdita, prorſus verſetur. Ex quibus fit ut certa ſtataque (s) doctrina minimè conſtitui compararive poſſit, & in hac occaſio (t) rerum agendarum ſit labilis veloxque, & judicium ipſum, quo hæc omnia ſcrutamur, expendimus & eligimus, non raro fallatur. (u) Aſt ingenium animuſve corpori imperat. nil præcipit probus Medicus agendum, quod prius ejus ingenium tanquam utile non

(q) Exclamatio eſt maximi Medicorum, Ars longa, Vita brevis 1. *Aph.* 1.

(r) Ratio conjecturæ medicæ qualis ſit, graviſſimè *Celſus* docet *l.* 2. *c.* 6. ut ſæpius reſpondeat, rarius fallat. Neque id evitare humana imbecillitas in tanta varietate corporum poteſt. Si quid itaque vix in milleſimo corpore aliquando decipit, id notam non habet, cum per innumerabiles homines reſpondeat.

(s) Quæ ſit hujus incertitudinis cauſa, eleganter docet *Hippocr. l. de arte.* Idem tamen *lib. de vet. med.* cenſet, non propterea oportere rejici, eo quod non habeat circa omnia certitudinem exactam; quin potius, admiranda exiſtimat artis inventa, quod ſcil: probè rectéque adinventa ſint, nec à fortuna pendeant.

(t) *Aph.* 1. *l.* 1. & *lib. de loc. in hom.* Medicina brevem occaſionem habet, & qui hoc novit, illi ſtata ac certa ars eſt.

(u) Κρίσιν χαλεπὴν judicium difficile vocat *Hipp. l. c.* & mi-

*Iudicium fallax opus fallax ſequitur.*

non judicaverit: ſi fallax judicium, cur non & plerunque fallax erit opus ab eodem judicio (x) inſtitutum? Verùm exigui momenti tale erratum non eſt, cum hominis perniciem quandoque inferat.

*Logica & philoſophia ſtudium medico utile.*

§. 10. (y) Ne igitur jacturam proprii ſubjecti faciat artifex, iis ſe tradat ſtudiis oportet, quæ artis peritiam faciant tum meliorem, tum etiam breviorem: nempe logicæ primum, mox & philoſophiæ. Cæterùm neque iis eouſque eſt incumbendum, quouſque ad earum apicem perveniat: nam nulla harum ſcientiarum tam levis eſt, quam hominis ætas (quantumvis annoſiſſima fuerit) conſequi valeat.

*De perſpectiva quicquam ſcire inutile non eſt medico.*

§. 11. Juvat & de Perſpectiva aliquid noſcere, quò intelligas quomodo viſibilium ſpecies ad ipſum viſum ferantur, & quamobrem cataracta, quæ partem pupillæ occupat, viſilia illius partis occultet: cum tamen pupillæ pars illæſa ſit, per quam in conum rei viſibilis radii intromitti poſſint. Conducit etiam & Aſtronomica

& mirum non eſt, in tam varia corporum ἰδιοσυγκρασίαι aliquando falli medicum. Vid. *Hoff. Inſt. l* 1. *c.* 1. §. 7.

(x) Audi *Hipp. l. de arte.* Certas & infallibiles medelas eſſe oportet, non quia faciles, ſed quia certa ratione inventæ ſunt, inventæ autem ſunt, non à quibuſvis volentibus, ſed ab his, qui ſimul etiam poſſunt. poſſunt verò ii, quibus & diſciplina liberalis acceſſit, & natura non infœlix contigit.

(y) *Galenus Comm. in aph.* 1. Non lateres, lutum, ligna, lapides, coria, artis medicæ, ſicut aliarum, ſunt materia, in quibus citra cujuſquam offenſam licet quid poſſis experiri. In corpore enim humano ea tentare, quæ non ſunt experientia comprobata, periculo non vacat, cum temerariæ experientiæ finis ſit totius animantis interitus.

(z) *Hipp.*

nomica non ignorare, (z) cum ut intelligat, quæ à Galeno dicta ſunt I I I. dierum decretoriorum, cujus opinioni arridet ſententia Averrois, dicentis; videtur enim non modicum, quod Luna operatur in corporibus noſtris, quum Criſes ſequantur motus ejus: tùm ne facilè etiam in vanam Aſtrologorum ſententiam in omnibus rebus Medicis feratur, ſi Aſtronomiæ ſit prorſus expers. Nam facilè, immò quidem temerè pleriq; medicorum commendant, vel abſtinent à phlebotomia, vel purgatione, vel ſcalpellatione, vel ab aliis multis agendis die aliquo ab Aſtrologis prohibito vel propoſito, potiore (a) fide iis adhibita, quàm Symptomatis, quæ diligentia omni ſunt expendenda. Sed Aſtronomica, ac perſpectiva Arithmeticam, Geometriamque ſequuntur, quòd ab iis demonſtrationes eliciant.

*Conducit medico aſtronomica non ignorare.*

*Ignari medici plus aſtrologis quam Symptomatis credunt.*

*Geometria & Arithmetica Medico non inutiles.*

§. 12. De omnibus iis igitur aliquid ſcire, ut Medico utile eſt atque decorum, ita & nimia aſſuetudine hæc curare inutile eſt & perniciosum, quod tanquam additamentum vel auctarium in medico eſſe debeant. Verùm acceſſorium (hac præcipuè in arte) non æquè vel pluris æſtimandum eſt, quàm primarium. Succiſivis igitur temporibus tantùm hæc ſtudia medico

*In quibus aſſiduum ſe prabere medicus debeat.*

(z) *Hipp. l. de aëre aq. & loc.* non minimam partem confert ad rem medicam ipſa Aſtronomia, quin potius maximam, quum unà cum temporibus, etiam ventres hominum mutentur.

(a) Ejuſmodi doctrinam tradunt Ioh. Hasfurtus, libro de mathematica ratione curandi morbos. & Ioh. Ganivetus libello qui inſcribitur Amicus medicorum.

 (b) Suo

medico probanda: per reliquum verò tempus, alia, quæ artem ipſam conſtituant. Porrò ea ſunt, quæ hominum naturas cognoſcere faciunt, harumque varietatis ac mutationis cauſas, morborum ſpecies, loca, mores, ac motus.

*In Anatomia non levis habenda exercitatio.*

§. 13. Sed horum ullum vix percipiet quiſquam Anatomiæ ignarus, circa quam non mediocriter exercitatum Medicum eſſe decet: (b) non ſolùm ut nunc dicta facilius intelligat, ſed quò noſcat ſimul cum iis quomodo adverſus morbos pugnandum: nempe quæ partes, quive humores purgari poſſint meatu urinario, quæ vomitu, tuſſi, palato, naribus, hæmorrhoidibus, utero, uberibus, oculis, auribus, atque cute: quæ vena ſecanda in particularibus affectibus, & quæ in univerſalibus: Quomodo aperiendi empyici, hydropici, & aliæ corporis vomicæ, quomodo cranium perforandum, luxata reponenda & alia ſimilia. Quis præterea jecoris munera, cordis, ac cerebri potuiſſet jure aſſerere univerſo corpori deſervire, niſi ex diſſectione id nobis conſtitiſſet? Prætereo hîc quæ poſt ſenſum diſcurſu intelliguntur, ut puta ſanguinem in jecore gigni, calorem totius corporis motu cordis foveri, & alias multas tum actiones, tum partes,

(b) Suo exemplo hoc confirmat *Galenus* 1. *de loc. aff.* 1. & 7. 5. *de loc. aff.* 4. *lib. de Sectis c.* 9. 6. *M. M.* 4. 3. *de anat. admin.* 1. Imò *l.* 3. *de Comp. med.* per genera *c.* 2. anatomes imperitos dicit ſimiles eſſe iis, qui iter in lectica cœci faciunt, eoque vehementer errant. Vox eſt *Hippocr. l. de loc. in hom.* Natura corporis eſt principium conſiderationis medicæ.

(c) *Hipp.*

tes, quæ niſi præceſſiſſet (diviſione cadaverum) partium cognitio, nullo tempore retecta fuiſſent: ſicuti hoc anno præterito reperi ego (quod in fine libelli mei de catarrho declaravi) qua via ſanguis à dextro cordis ventriculo in ſiniſtrum feratur, & conſequenter in arterias: quod pauci momenti non eſt in Medicina. Id tamen & Galenum, & quotquot ante nos fuerunt, latuiſſe videtur: nec nonnulla alia ſcitu digna, quæ meliore loco dicenda ſervamus, ſi numina faverint.

§. 14. Interea ſicuti Anatomiam callere ex artis neceſſitate debet Medicus, ita & præſidiorum facultates ac ſpecies præ manibus habeat oportet, quibus morborum præſentes injurias arcere, & eorundem inſidias præcavere queat. Verùm non horum omnium æquè ſolicitum eſſe oportet, ac de ſingularum corporis partium notitia, tum quòd omnia habere, quæ ad ſanitatem facere aliquo modo poſſunt, neceſſum non ſit: tum quòd eadem noſcere vel comparare ſit impoſſibile. Quis jactabit ſe ſimplicium omnium non facultatem dico, ſed quod faciliùs eſt, formam ſive ſpeciem compertam habere? Sed quid dico omnium, quum minima adhuc pars ſit, quæ cognita eſt, ſi cum incognitis conferatur? immo adhuc eorum quæ cognita eſſe creduntur, quis exactè facultates novit? multa quidem adhuc reſtare de iis obſcura incognitaque ſibi non inficiabitur Petrus Mathiolus Senenſis, qui omni ſtudio, cura, ac diligentia in iis inſudavit, cui quidem tota poſteritas plurimum

*Mathiolus diligentiſſimus in cognitione ſimplicium.*

rimum debet, immò quidem & Dioſcorides ipſe. Satis igitur ſuperque erit medicinam facienti, eorum medicamentorum notitiam habere, (c) quæ interdum neceſſario uſui, vel maximæ utilitati eſſe poſſunt, in iiſque ſe potiſſimùm exercere, quæ frequentiorem in uſum veniunt.

§. 15. Præterea obſervare non levi attentione oportet, quid aëris mutatio (d) in corporibus efficiat, quid alimentorum varietas, (e) quid horum copia vel inopia, quid excedens ſomnus vel vigilia, (f) quid labor corporis univerſi vel partis, quidve otium ipſum, quid inteſtinorum aliorumve vaſorum nimia obſtructio, quidve reclusio, quid animi mœror, vel alius hujus repentinus vel diuturnus motus: nempe hæc omnia morbos non paucos efficere, & jam factos fovere augereque conſueverunt. Quibus ſanè omnibus oppoſitis præſidiis, (inter quæ connumerare licet & medicum, & patientem, & aſſidentes) ſe objicere licet.

§. 16.

(c) *Hipp. l. de Eleg.* Memoria probè teneto medicamentorum tum ſimplices facultates, tum deſcriptiones (ſi modo in animo tibi eſt morborum curatio) & horum modos, quotupliciter & quomodo in ſingulis ſe habeant. Hoc enim principium eſt in medicina, & medium & finis. *Gal. 1. de antid. 5.* Medicus omnium ſtirpium, ſi fieri poteſt, peritiam habeat, conſulo: ſin minus, eorum ſaltem, quibus frequenter utimur.

(d) Mutationes temporum potiſſimum morbos pariunt, *l. 111. aph. 1.*

(e) Ubi p. n. copioſior cibus ingeſtus eſt, morbum id creat: quod oſtendit etiam curatio. *l. 2. aph. 17.*

(f) Somnus & vigilia utraque modum excedentia, malum. *lib. 2. aph. 3.*

(g) Qua-

§. 16. Verùm etſi imperantis agentiſque ſpeciem gerat medicus, obtemperantis verò & patientis languens ſimul & aſſiſtens, horum tamen omnium finis unus, unaque cupiditas eſſe debet, quæ contraria in oppoſitis ſemper obſervantur; quòd horum etſi una genere videatur, nempe vincendi, non tamen victoriam fert oppoſitorum alterum, niſi cum alterius perditione. Sed medici & ægroti cupiditas actioque ad unam ſanitatem diriguntur. Contraria autem non ſunt inter ſe hæc. At ægritudo & medela fermè oppoſitorum (g) more ſe invicem perdere ſatagunt: dico enim fermè, ob ſubjecti, in quo medela & morbus recipiuntur, inconſtantiam, & ejuſdem ſtructuræ varietatem, dubiam morborum cognitionem, partium affectarum incompertam notitiam, & medicamentorum adhibendorum incertam potentiam atque actionem: adde patientium moroſitatem, ſeu intemperantiam, & artificis ineptiam. quæ omnia ſimul vel ſeorſum accepta, impedimento nonnunquam eſſe ſolent, unde actio inter medelam & morbum contrariorum more non ſequatur: ſed applaudat interdum auxilium malo, vel reddat

*Medici & patientis cupiditas una eſſe debet.*

*Ægritudo & medela fere oppoſita.*

*Quæ impediant quo minus medela ſemper morbo contrarietur.*

*Quæ maximè difficilia in medicina facienda.*

(g) Qualis hæc ſit oppoſitio, docet *Cl. Hoffmannus Inſtit. l. 6. c. 7. §. 5.* ubi diſtinguere nos docet inter contrarium ſimile, & contrarium ſimpliciter dictum. Contrarium ſimile eſt, quod rei cujuſque naturalis defectum ſupplet appoſitione neceſſariorum: dicitur enim contrarium formaliter, quatenus defectui opponitur, & Simile materialiter, quatenus rei deficienti ſupplet quod deeſt. Contrarium verò ſimpliciter dictum, non modo exceſſum corrigit, ſed, ut corrigat, excedens tollit ſimul.

(h) *Hipp.*

dat acerbius, vel citra frugem ac damnum omnis illius actio pereat.

*Curatio interdum per ſimilia, quandoque per oppoſita perfici videtur.*

§. 17. (h) Aſt hoc opus hicque labor eſt, nempe in præſidiorum adhibendorum modo, in occaſione arripienda, inque contrariis inveſtigandis. Curatur namque interdum calidum calido & frigidum frigido, & laxata laxantibus; aliâs etiam laxitatem curant reſtringentia, frigiditatem calefacientia: nonnunquam etiam horum neutrum juvat, vel quòd tempore locoque non ſint uſurpata, vel quòd ultra, vel infra modum. Sed hæc lectione tantùm non conſequimur, ſed viva facilius voce, præſente (i) experientia: viva namque ſimul & docta vox facilius inſtruit individuo ſeu exemplo uno antè poſito, recteque examinato, quàm multiplex lectio ac individuorum multorum oblatio citra manuductorem.

§. 18. Hæc igitur & alia arti neceſſaria noſcere qui inhiat medicus, vel medicinæ ſtudioſus, is operæpretium facit, & per artis viam ferri videtur. Qui verò ſecus faciunt, ut Galenus ait, ii quidem in vanis ambagibus horas conſumunt re ipſa poſthabita, ut qui Hippo-

(h) *Hipp. l. de vet. med.* Eum medicum ego vehementer laudarim, qui parum delinquat, certitudinem autem exactam raró videre contingit. Et cur? ratio eſt in 1. *aph. l.* 1. non enim tantum oportet medicus ſemetipſum præbeat promptum àd ea quæ decet facienda, ſed & ægrum, & præſentes & externa.

(i) *Hipp. l. de Pracept.* quis præceptorum varietatem ſe verè cognoſcere poſſe ſperet citra exercitationis conſtantiam?

(k) *Hipp.*

Hippocratem interpretabatur, de Sileno curioſius diſceptans, num in Platamone habitaret, ut Hippocrates dicebat, & num Platamone ſcribendum eſſet per, m, vel potius Platanone per, n; ſive etiam ut Julianus, qui anxiè nimium exquirebat, num pictura medico eſſet ex uſu, & quæ ad artem attinebant ſub ſilentio præteribat̃. Vel etiam alius, qui quum de alimentis tractaret, vanis ſophiſmis tempus terebat, probando anates tùm aves eſſe, tùm non eſſe.

*Vana quorundam curioſitas.*

§. 19. Sed ſanè quidem non pauci ſunt hoc tempore Juliani, & hujus generis medici, qui cum probè de arte ratiocinari nequeant, ad vanas curioſitates ſermones, ſcripta, atque etiam res convertunt. Similes enim erant illi qui Hippocratem reprehendebant calumniabanturque, dum majorem reprehenſionem is ſe conſequutum fuiſſe ex medicina dixit, quàm laudem: ſed hujus rei cauſa eſt ineptia ipſa, quòd ea perpetuò (ut ajunt) primo obſtrepat in curru rota, quæ deterrima eſt. Oſtendat igitur, obſecro, is medicus, qui dicendi facundiam, vel Græcas effert literas, non plura ſibi ſupereſſe occulta in medicina, quàm cognita in dictis linguis habeat̃. Quod ſi fecerit, libenter ejus opinioni connivebo: id forte ambagibus, verum ratione efficaci nulla demonſtrabit̃. Cæterùm quis facundus fiet, niſi in dicendi ſtudio meliores conterat annos? elegantiam copiamque dicendi partam quis ſervabit, vel auctiorem reddet citra aſſiduum in ea uſum? Sed & aſſiduum hominem exigit medica

medica ars, cujus errores in patientium ja-
*Elegantia Medico ſucus eſt.* ςturam (k) vertuntur. Fucus igitur Medico, & ſtimulus in aliena ab arte, eſt nimia elegantia, ac variarum linguarum inquiſitio, & in Mathematicis nimia aſſiduitas.

§. 20 Verùm non ſat eſt Medico tempus non contriviſſe in fucis, eumque callere, quæ artis ſunt intima, & integrum vitæ eſſe: ſed alia præter hæc exquirit ipſa ſedulitas, nempe ut ab ægris atque aſſidentibus confidenti gratoque animo recipiatur. Nam non parum confert, ut Galenus ait & experientia ipſa confirmat, ad morbum profligandum, vel ad accelerandam ſalutem, vel ad affectus leniendos, ægri in medico confidentia: namque ubi (poſt numina) in medico firmam reponit æger (l) ſpem, timorem excutit, medico citra contentionem vel metum obtemperans, adeò ut cum iis facilius fine optato uterque potiatur. Aſt confidentiam patientium ſibi comparat Medicus, ubi quæ voce, vel lectione. vel viſu, vel contemplatione ſe noviſſe putat, fœlicibus avibus opere perficit, vel ſi res aliter eveniat, talem de ſe opinionem affinibus aſſiſtentibuſque inſinuet, ut criminandi illis omnem tollat anſam.

*Præter artis ſcientiam confert confidentiam in patientem inducere.*

*Utilitas confidentiæ patientis.*

*Quæ confidentiam pariant in ægro.*

§. 21.

(k) *Hipp. l. de vet. med.* in periculoſis morbis, medicorum delinquentium pœnæ non longè abſunt, ſed celeriter in capita ægrotorum graſſantur.

(l) *Hipp. de Præcept.* Ægrorum aliqui licet ſentiant morbum ſuum lethalem eſſe, tamen propter medici probitatem atque humanitatem ſibi perſuadent ſe ſanitati reſtitui poſſe. Notũ quoq; eſt Avicennæ dictum, fidem ac ſpem ægri erga medicum & medicinam, ſæpè plus efficere, quàm ipſam cum medico medicinam.

(m) *lib.*

*Sanitas non ſemper laudem, nec mors vituperium Medico affert.*

*Quando tandem non conſequatur Med. ex ſanitate.*

§. 21. Non enim parta ſanitas ſemper laudem artifici affert, neque mors dedecus, ſed ab utroque exitu utrumque reſilire poteſt. Sanitas nullam medico fert laudem, ubi prænuntiata morte ægrum deſtituerit; vel ſi diuturnum eſſe morbum aſſeveraverit, qui brevi finem aſſequatur, vel brevi judicaturum, qui in longum producitur tempus; vel ſi ſubitarium auxilium ex medicamento aliquo polliceatur (quod ſine pudore plerique faciunt) ex quo nulla manifeſta ſequatur utilitas; vel ubi ſalutis ſpem tantùm in aliquo præſidiorum dixerit, quod æger, vel aſſidentes contentioſè recuſent; ut nonnulli, qui venarum ſectiones, vel purgationes, vel clyſteria, vel ſcalpellationes, vel uſtiones, vel ſimilium aliquod prorſus averſantur: qui inde citra id curati, medico improperantes, dicunt, ſi id præſtitum fuiſſet, eos mortem, vel gravius ſaltem malum non effugiſſe. Adde quod nunquam deſint, qui cum ægri voluntate concurrant, vel qui præ invidia, medici curam gerentis, vel forte etiam aliorum, bonum nomen detrahere ſtudeant, ut Empirici vel circulatores; cum iis etiam numero, quos perſonatos medicos appellat (m) Hippocrates. Ex adverſo, ex ægri obitu, vel deteriore ſtatu calumniam cavemus; immò etiam & laudem nobis comparamus, ubi patientis affinibus aſſiſtentibuſque rei exitum prædixerimus. Vel, ubi de hoc certiſſima ſigna nobis non adſint, ſed magnum minentur periculum, idem illis ſigni-

*Quando medico nullum ſit dedecus ex languentis obitu.*

(m) *lib. de Lege.*

*Conſultationis Medicæ utilitas.*

ſignificaverimus, (n) quò ſi alios accerſere medicos in conſilium velint, id faciant antequam deſperata ſalus ſit. Non enim ſpernebat Hippocrates aliorum medicorum conſortium: (o) nam ubi de hominis vita quæſtio eſt, uni ſoli judici hæc non committitur, ſed penes multos res ponitur. Ex hac namque non temeraria, ſed rationabili mortis prædictione, præter id, quòd te culpa eripis à conſanguineis, vel aliis, quibus talis mors acerba videri debet, doloris partem minuis: quòd hac præviſa & rebus ſuis conſulant, & patientis animæ: quæ præſtare minimè potuiſſent, ſi hæc tacita prorupiſſet, interea etiam cum diu inter ſpem & metum animus verſatur, minus afficitur ex adventu rei.

*Prognoſtica pars omnibus aliis præſtat.*

§. 22. Verum enimverò hæc medicinæ pars, quæ Prognoſtica dicitur, etſi exigua eſſe videatur, omnibus tamen aliis præſtat, non quidem per ſe ſola, ſed neque hanc citra alias præcedentes aſſequi poſſumus. Taceant hic & Aſtro-

(n) *Hipp.* 1. *Prognoſt.* Medicus ſi præſenſerit atque prædixerit apud ægros res præſentes, præteritas & futuras, fiet ut confidentius homines credant ſeipſos medico. *Celſus l.* 5. *c.* 26. Ubi gravis metus, ſine certa tamen deſperatione eſt, indicare neceſſariis periclitantis, in difficili rem eſſe, ne ſi victa ars malo fuerit, vel ignoraſſe vel feſelliſſe videatur.

(o) Quin *lib. de Præcept.* improbos vocat eos qui vitant aliorum medicorum ſuperinductionem. etenim ut *Ibid.* habet. Non indecorum eſt medico, ſi in rei præſentis anguſtia circa ægrum aliquem, alios quoque accerſiri juſſerit, quo ex communi conſideratione res circa ægrum inquirantur & cognoſcantur, & illi cooperatores (συνεργοὶ) fiant ἐς εὐπορίην βοηθήσιος ad auxilii ferendi facultatem.

(p) Ad-

Aſtrologi, & Geomantici, & Hydromantici, auſpices, haruſpices & alii omnes, qui non ad morbos, vel Symptomata, ſed ad aſtra, vel puncta, vel aquas, vel aves, vel circulorum motus; vel figuras, vel alia multa ludibria mentem dirigunt: nam à morbi ſpecie, more, motu, loco, magnitudine, die, ambiente, & aliis, quæ mox apparent, bellè obſervatis, rectum morborum judicium comparatur: ex oppoſito fallax, ubi perfunctoriè hæc prædicta notentur. Unde iis ignotis nec prædicere audeat Medicus ulla in re, ſed omnia quocunque tempore ſuſpecta tenet; vel ſi quicquam proferre audeat, æquè verum attingit, atque is, qui citra artem aleam jactat, cui interdum (rarò tamen) occurrit quód optat, eodem etiam modo verum prædicunt Medici, qui ex urinarum aſpectu (p) vel mulierem utero geſtare, vel morbi cujuſque ſpeciem poſſe dicere, rudi plebi aſſimulant. *Taceant hic Aſtrologi & Divinatores alii.*

§. 23. Verùm non urinæ tantùm medicos illudunt, ſed & alia excrementa omnia, ut aliâs dicemus. Cæterum Medicus prudens & vitæ integer artiſque peritus, qui non in popularem auram inhiat, ſed ut ſtatam ſibi laudem acquirat, non modò aſtuta mendacia non proſeminat, ſed omnibus viribus, dictis juxtà ac factis, verum attingere curat. Huic igitur meritò fidem adhibent patientes, aſſiſtenteſque. *Recrementa omnia fallere medicos poſſunt.*

§. 24. Sed adhuc ad perfectum conſtituendum

(p) Adverſus ejuſmodi Impoſtores & Ouromantas calamum egregiè ſtrinxit *Cl. Petrus Foreſtus*, libello peculiari.

 (q) *lib.*

*Perfectus medicus qui dicatur.* dum medicum, (perfectum dico cum Ariſtotele eum, qui minus errat, vel melius artem tractat) annectenda aliquot ſuperſunt ab Hippocrate (q) brevibus notata, à quibus ægri moveri ſolent, ſcilicet ingreſſus, ſermones, figura, veſtitus, tonſura, ungues, odores.

*Boni odores Medicis quomodo conducant.* §. 25. Medicis namque ſuaves odores, omnibus hominibus, vel pluribus gratos, temperatè ferre utile eſt, tum etiam patientibus ipſis. Lætatur enim iis & cor, & cerebrum, immò quidem & jecur ipſum: unum namque ex quinque ſenſibus ad integram corporis conſtitutionem à natura effectis, animumque ſolantur ſuaves odores, quos urgent graves. Sed interdum, quod multis placet, accidit ut uni diſpliceat. *Aliqui roſæ odorem averſantur.* Noſco ſanè homines, qui protſus roſæ odorem, tanquam capitalem inimicum, odio habent, eo quod capitis dolorem iis faciat, vel ſternutamenta moveat, vel naribus tam moleſtum pruritum inducat, ut bidui ſpatio ſe continere ab earum frictione non poſſint. *Aliqui turbantur odore moſci.* Noſco & mulieres, quæ moſci odorem adeò averſantur, ut ſi ex proximo hunc ſentiant, in animi deliquium incidant, vel ad vomitum provocentur, vel capite urgeantur. Quare ab hoc, vel alio quovis odore, qui patientem urgeat, abſtinere debet medicus, quoad ſaltem ægrum reſtituerit: non quidem facere perinde *Quinti inhumanitas.* atque Quintus egit, qui (ut Galenus narrat) vinum redolens, acceſſit ad ægrum potentem ac divitem, febre non levi exagitatum. Hic Quin-

(q) *lib. de Medico.*

(r) *Hipp.*

Quintum rogare cœpit, ut paulò longius abiret, quòd vini odorem tunc ferre non poſſet: Quintus verò tunc propius adhuc accedens, agreſtius inquit, ſuſtineas & tu ex me vini odorem, nam & ego olentem abs te tolero febrem. Inhumana certè vel fera reſponſio, quæ non ſolùm Medico non conveniebat, qui ſalutis curam gerebat, ſed neque ſcurræ, vel alteri cuivis homini.

§. 26. Verùm fortè Quintus tunc à vino ſtimulabatur: quod vitium, quàm turpe ſit medico, non eſt quod narrem: cogit namque hoc aperire tacenda, tacere dicenda, cavenda aggredi, & alia propemodum omnia, quæ maniam ſapiunt. *Ebrietas.*

§. 27. Ungues habere breves, (r) cœno vacuas, faciemque ac manus citra ſordem ſervare (ne hanc ſeriò, vel joco à ſcaphiis collectam eſſe dicat familiaris aliquis, vel alius, cui liberum ſit loqui) medico decori eſt. *Ungues.*

§. 28. Tonſura damnanda non eſt, quam locus ipſe (s) fert. *Tonſura.*

§. 29. Nimia veſtium luxuries arrogantiam præfert: ſed pannoſum eſſe, vel ſcrutis obſitum, vel coloriis amictum, ſorditiem arguit, vel animi levitatem, quæ omnia contemptum pariunt. *Veſtes.*

§. 30.

(r) *Hipp. 1. de off. med.* tex. 11. conſiderans unguium neceſſitatem in manuum operis, ſuadet, ut neque digitos ſuperemineant, nec infra carnem illarum ſint. Imò 1. *de morb. mul. tex.* 96. jubet eos reſecare, ſi quando intra uterum verſaturus eſt medicus.

(s) Ita tamen, ut ad modeſtiam ſit comparata.



(t) *Hipp.*

*Figura.* §. 30. Figura corporis, quam natura ſuppeditaverit, moribus ac geſtibus (t) ſic quoque componenda, ut animi modeſtiam repreſentet.

*Ingreſſus ad ægrum.* §. 31. Ingreſſus etiamnum ad patientes ipſos, nec citra præmeditationem facere licet, ne ſubitario vel citatiore curſu obſtreperus fias, unde patienti, vel aliis, qui adſunt, noxam facias. Quod maximè cavendum in potentium domibus. Non ſit etiam ovans, ne vultum mutare ſtatim res ipſa perſuadeat.

*Frequentior acceſſus ad ægrum quomodo noxius.* §. 32. Præterea, neque ingreſſus ipſi, ſeu, ſi dicere velis, acceſſus ad patientem pauciores, frequentioreſve juſto eſſe debent: nam frequentior, ubi exiguus morbus premit, inviſio, vel medici imperitiam arguit, vel extorquendi æris cupiditatem: utrumque enim illaudabile eſt. *Parcior acceſſus ad ægrum quando nocens.* Parcior verò in morbis magnis eadem & plura indicat, quàm frequentia ipſa: nimirum vel avaritiam, vel magnitudinis morbi notitiæ defectum, vel ſegnitiem: quod ſi horum nullum adſit, cum corpora & morbos uno die varios motus pati ſciamus, fieri poteſt, ut dum in meliore ſtatu æger eſt, eum tunc inviſas, vel dum ille gravius urgetur, vel ubi medium ſtatum degit: horum herclè nullum ſeorſum medico quid agendum, ſperandumve ſit, indicat. Incertum igitur & præſagium, incerta ſimul & præſidia. Referre quidem

(t) *Hipp. lib. de medico,* facies ad gravitatem componatur, ſed citra amarulentiam, ne ſuperbus videatur, & homines odio habens: aut ſi in riſum exſolutus ſit, ac nimium hilaris, ſcurra judicetur, hoc enim vitandum eſt, ut ſi quid aliud.

(u) *Hipp.*

quidem medico aſſiſtentes multa poſſunt: ſed & alia etiam multa illis non cognita reticere ſolent, quæ medico pro curatione, vel prognoſtico aliquid indicabunt. Cæterùm in hac acceſſionum multitudine meminiſſe oportet Galeni dicti: Committuntur, inquit, quædam peccata ab ipſo ægroto, quædam etiam à medicis iis admirandis, putantibus niſi quis introgreſſus ad ægrum, vel cataplaſma appoſuerit, vel perfuderit, vel aduſſerit, vel clyſterium indiderit, vel venam inciderit, vel cucurbitulas adjunxerit, vel confricuerit, vel nutrierit, aut hujuſmodi aliud factitaverit, nil ab ipſo geſtum eſſe artificioſum: ii enim quoties ad ægros accedunt, toties peccant. Aſt non rarò hoc evenit, ut dum officioſus vult videri medicus, eo tunc ſit maximè noxius: ſicuti alibi Hippocrates & Galenus dixerunt. Quippe hi, cum ex iis, quæ ipſimet faciunt, phlegmonas ſemper excitent, id non animadvertunt, ſed iiſdem ſemper erroribus implicantur.

§. 33. Non minus peccant hujus tempeſtatis medicorum plerique, qui ut admirationem præſentibus pariant, vel pharmacopolas ad extollendum inſtitutum allectent, receptas, ut appellant, centenis ingredientibus farciunt, quæ ſanè pauciſſimis, vel uno, vel gemino ſimplici conſtare ad uſum meliorem poſſent. Sed verentur ii, ne fortè ſterilia videantur eorum inſtituta, niſi perpetuò introduxerint & frondes, & radices, & flores, & ſemina diverſorum generum, & alia innumera, quo- *Receptarum farrago inutilis.*

rum multorum cognitionem nullam habent vel formæ, vel facultatis.

*Sermones.*

§. 34. Reſtant ſermones, ex quibus potiſſimè cordis & mentis intima exponuntur: quare non exigua prudentia eſt, linguam loco coërcere, &, dum licet, ſolvere. Non igitur ſit hæc garrula, vel ventoſa, vel ſubdola, non maledica: nam ſicuti cordis hilaritatem riſus, mœſtitiam ſuſpiria explicant; ita linguæ protervia ac procacitas, dolus ac maledicentia animi petulantiam ſcurrilitatemque, fraudem & ſævitiem, atteſtantur. Feſtivo ſermone, loco, & tempore, medicum quidem uti decet: nam Socrates Menexeni orationem Aſpaſiæ efflagitanti, Forte, infit, me irridebis, ſi ſenex adhuc jocari tibi viſus fuero: ſed tibi mos gerendus eſt, fermè namque ſi me nudatum ſaltare juberes, quandoquidem ſoli ſumus, obſequerer.

*Ex ſermone, cordis affectus dignoſcuntur.*

*Feſtivus ſermo opportunus medico conducit.*

§. 35. Nil ſanè prohibet quo minus ſermo lepidus idem ſit & honeſtus: namque modeſta hilaritas, tum ſermonis, tum vultus ipſius medici, & ſpem & animi jucunditatem parit in ægro atque aſſiſtente. Oppoſitum evenit, ſi triſtem ferat vultum & orationem depreſſam languidamve: incutiunt hæc potius formidinem aut metum. Quid ſi clamoſa oratio vel garrula? quatit aures illa ac ferit, ſimul & odium parit, quaſi ex audacia fuerit producta; hæc incontinentiam atteſtatur. Doloſam ac maledicam quiſque hominum cavet bonus juxtà ac malus. Probabile igitur ac penè neceſſarium argumentum eſſe videtur, ſi ex procaci,

*Oratio triſtis in medico damnoſa eſt.*

*Clamoſa oratio vel nugax cavenda.*

*Linguam maledicam quiſque cavet.*

caci, mendoſa, atque maledica lingua improbum hominem eſſe concludamus: vel probum, prudentem, atque humanum, cujus oratio pura, docilis, comiſque fuerit.

*Maledicus is & improbus.*

§. 36. Porrò nil aliud ſermo eſt, quam vera vel ficta ſignificatio eorum, quæ animus ipſe per ſe ſignificare non poteſt. Aſt fictio exigui temporis eſt. Ferum interdum fingere humanitatem ſpectamus, & ferociam humanum: Aſt utrunque ociſſimè ad conſueta reducit habitus. Cæterum cui malus eſt animus, vix huic bona manus eſt, quam duriter coërcet, ac tantum formidine pœnæ, & cui animus bonus, vix mala manus erit. Sed quantò ab audacia humanitas, à mendacio veritas, &, ut paucis abſolvam, ab improbitate probitas differat, res ipſa edocet. Improbus namque ſecum ipſe non modò audaciam, mendacium, vel improbitatem alienam, ſed ſuam propriam accuſat ac damnat, quæcunque bona laudans. Bonitas igitur ipſa per ſe expetenda eſt: ſed nil nimium intra bonitatis limites clauditur: ſegnitia igitur & audacia, veri ſuppreſſio & mendacium, avaritia & rerum contemptus, garrulitas & taciturnitas, alia inſuper quævis modum excedentia, vitanda omni quidem in arte ſunt, ſed certè in hac magis.

*Benedicus vix non probus. Fictio brevi cadit, manet innatum, vel longo habitu partum.*

*Improbus ſecum ipſe ſemper bona laudat, nequitiam culpans. Bonum per ſe expetendum. Nil nimium in bonitatis terminis clauditur.*

§. 37. Prudentia etenim quoddam medium eſt, & humanitas, & animi puritas, quæ ſi ingenium perſpicax (quem natura prudentem appellat. Hippoc.) adjunctum habeant, vix fiet, ne ars quoque rectè procedat. Nam Medicus vitæ & animi purus, veritatem, un-

*Quaque ars bene procedat ſi artifex ſit animo perſpicaci, puro, humano, & prudenti.*

decunque venerit, amplectitur, nulla doli, nullaque improbæ cupidinis labe perfuſus, honeſtum obſequium omnibus facere ſtudens, ægrotanti præcipuè, & familiæ toti, à quibus confidenti animo accerſitur: à quocunque genere deleteriorum abſtinens, in abjectos juxtà ac potentes, probos, atque improbos. Fœtum corrumpentia, nemini aperiens, (u) neque etiam ſoporifera, niſi poſtulet res medica. Rerum verò agendarum rectum in rebus omnibus modum indagatur, atque conſequitur, animi prudentia nunquam ſegnis otioſave. Hæc namque juſtum honorem, qui bene agendo adipiſci conſuevit, nunquam non ante oculos fert & ambit. Nam qui virtutis laudis non eſt cupientior, vel ſpernit, is neque ignominiam reformidans bene praveque acta juxta æſtimabit. Cæterum hic rerum agendarum modus, qui alioquin difficilis inventu eſſet, leviore negotio comparatur, ſi artificis prudentiæ ingenii perſpicacia fuerit adjuncta.

*Animi puritas quid præſtet.*

*Animi prudentia.*

*Ingenii perſpicacia.*

*Humanitas in medico.*

§. 38. Nunquam egenum, potiſſimè infirmum, deſerit humanitas. Verum enimvero, licet humanitas videatur, ſi languentes non vocatus inviſeris, id tamen medico turpe eſt; quamvis cum illis amicitia, familiaritate, vel etiam affinitate fueris conjunctus: nam hoc redolet avaritiam. Præterea fieri poteſt, ut qui tua conſuetudine ſanus familiariter utebatur, is

*Medicus non adeat ægros niſi vocatus.*

(u) *Hipp. in Jusjur.* Nullius interceſſione noxium pharmacum propinato, neque ejuſce rei conſilium ſubminiſtrato: Neque mulieri peſſum corrumpendi fœtus ergo ſubjicito.

(x) *Celſus*

is nunc factus æger, naturæ duntaxat vel alteri medico plus fidens, tuum fugiat conſilium, unde excluſus redeas, vel invito ægro, præ modeſtia retinearis: ubi ſi res in pejus procedat, vel ob morbi ipſius magnitudinem, vel ægri intemperantiam, vel aſſiſtentium errorem, id tuis ſponte oblatis præſidiis aſcribant, in malum omen ducentes tuum non requiſitum adventum. Accerſitus igitur adeas non aliâs: merces enim jam cognita minoris multò æſtimatur, ſi non petita emptoris domum fertur: parum enim valet opera, quæ petitione non rependitur.

*Nunquam deſtituendus æger.*

§. 39. Cavere ſibi ab ægrorum cura, quos nulla ſalutis ſpes manet, (x) non omni ex parte eſt nomen mali medici ſubterfugere: immò interdum eſt impii famam ſubire, præcipuè ſi te, vel patientes, vel affines obſecrent. Nam pium eſt (præſagio non omiſſo) quos mors vel immedicabile corporis malum divexat, interea dum adhuc ipſe patientis animus integer eſt, inviſere, ſolari, ſpe fovere, & affectum (quantum conceditur) remediis mulcere.

*Non debet Medicus ipſe occulta tradere medicamenta deveranda.*

§. 40. Pharmaca non cognita ne dederis tu ipſe alteri alicui deveranda, quò ſi aliquid mali aliunde evenerit, crimen in te, cùm ægri, tum

(x) *Celſus* tamen ait *l. 5. c. 26.* Eſt prudentis hominis, eum qui ſervari non poteſt, non attingere, nec ſubire ſpeciem ejus, ut occiſi, quem ſors ipſa peremit. & *Hipp. lib. de arte.* Etiam medicina eſt, eorum qui à morbis victi ſunt, curationem non aggredi, cum id in confeſſo ſit, quod medicina tales ſanare non poſſit.

(y) Ejuſ-

tum aſſiſtentes non incutiant. Nam medici munus eſt præſcribere, & ſeplaſiarii parare, atque porrigere: non enim ſat eſt eſſe bonum, ſed etiam modis omnibus cavere debemus, ne minimam præbeamus ſuſpicionem mali.

*Bonum eſt medicinas non eſſe cognitas vulgaribus.*

§. 41. Æquum tamen eſt, & Medicum & Pharmacopœum medicamenta ægris non aperire, neque aſſiſtentibus declarare, ſed tantùm ſignificare purgandum eſſe, vel vomitum irritandum, vel clyſterem indendum: reticere verò ex quibus hæc parentur, tùm quòd patientes aliâs poſſunt citra medici conſenſum eiſdem abuti præſidiis, tum etiam quòd ſæpe videamus, ubi medicamenta ſunt à vulgaribus cognita, eadem brevi in contemptum venire, vel quia trita ac vulgaria ſint facta, vel quia ineptus artis aliquando hæc damnaverit, vel quia exigui ſunt pretii: ut quidam dives, de quo Galenus narrat, qui ea contemnebat præſidia, quæ parvi vendebantur, mendicorum eſſe præſidia dicens: ſed ſimilium hominum non paucos aſſiduè videmus, qui familiaria utiliaque ſpernant, & incognita, exoticave, ac minus bona, collaudent. Quò igitur opinione adverſus medicamenta non peccet æger, ſatius eſt ea non divulgare, niſi ea ſe velle noſcere contendat curioſus patiens, vel aſſiſtens.

*Quando liceat medicamenta ægris declarare.*

*Medicus non debet habere partem in mercibus cum pharmacopœis.*

§. 42. Nec in Pharmacopœorum tabernis ſive mercibus, ut nonnulli faciunt, partem habere medico honeſtum eſt. Putabit interdum patiens plura ſibi fuiſſe inſtituta præſidia, quàm neceſſitas rei exigeret, quod etiam avaritiæ ſuſpicionem facit.

§. 43. Sed

*Medicorum multorum impudentia pro avaritia.*

§. 43. Sed quod potius eſt avaritiæ medicorum argumentum, eo quod ubique ferè locorum maximè commune eſſe videtur, utpote quod plærique ſint, quos neque pudor, neque pietas ulla manet, quo minus abuſione quadam denariolos à pauperculis extorqueant, cum ægrorum urinis oblatis citra ullam aliam inquiſitionem vel cognitionem, auxilia (quæ forte ſatius eſſet appellare hoſtilia) præſcribere non vereantur. Quæ hac major, ſeu immanior impudentia? quiſve callidior, vel inſanior abuſus? quæ hac ſordidior avaritia? quid quæſo ex urinis ſolis confuſiſque noſcere poſſunt medici? nam eas eſſe confuſas neceſſum eſt: non enim ſolum confuſionem eam appello turbulentiam quæ ex frigore fit, ſed etiam quamcunque agitationem, quæ motu ſolo fieri poteſt, nempe nubecularum diviſionem, hypoſtaſis ſeu ſubſidentiæ cujuſcunque generis perturbatum & locum & compoſitionem: Adde quòd interdum in matulis primo receptæ ſint ſordidis pinguibuſque, quæ nil minus referunt, quam quod debent. Sed eſto quod confuſæ non ſint, non herclè adhuc ex iis (ſi ſeria dicant) morbi ſpeciem conſlabunt, (excepta forte febre, vel veſicæ vitio, quæ cognoviſſe nihil vel parum eſt, quo de præſidiis merito decernere poſſint) non ſimiliter morbi magnitudinem percipient, ex conſequenti nec virum lapſum, non item decubitus diem, neque alia multa, quæ viſu, tactu, atque auditu, cognoſcere percipereque expedit. Quid igitur hoc loco inſti-

*Ex ſolis urinis exiguum indicium conſlamus.*

inſtituent? non enim citra receptam, ut appellant, hominem tranſmittent. Quid tandem? vel minorativum, quod dicunt, præſcribent, vel aliud quippiam, quod rapide refundet calamus; demum forte etiam victum inſtituent, æque tumultuarium ac cætera. Quamobrem igitur hic expectanda potius utilitas, quàm damnum ex iis fortuitis ac temerariis præſidiis? immo quidem, ſi recte ſingula perpendantur, plus injuriæ, quàm auxilii inferre poſſunt, adeo ut de iis jure dicere poſſimus cum Galeno: Quidam Medici, aleatorum inſtar, ægris remedia offerre conſueverunt, qui ſi non conſequantur quod petierunt, maximam inferunt ægrotantibus noxam.

*An liceat pauperum urinas inſpicere accepto præmio?*

§. 44. Verumenimvero nec horum medicorum partes atque rationes contemnendæ prorſus videntur, videlicet quòd pauperes, qui pagos incolunt, vel qui urbes etiam habitant, æs non habeant, quo medico accerſito labores rependant, nec ſervus vel familiaris quandoque illis adſit, qui omnia medico enarret: ſatius igitur eſſe illis anceps præſcribere auxilium, quam nullum. O rationem pietate arteque plenam! vix eſt huic, qui ſe opponere poſſit, niſi dicat quiſpiam, ſatius eſſe rem incognitam naturæ beneficio, (quæ & ipſa in optimorum medicorum numero recipitur) relinquere, quàm manum incertam periculoque plenam addere: quod ſi feceris, præter id quod crimen ſeu peccatum, in medicina vel in officii genere, nullum præſtiteris, monebis (ſi abs te præſidia reportare aliâs velint) ne iterum

*Satius eſſe medicum nihil efficere, quam citra cognitionem curare.*

ſolam

ſolam urinam, citra accidentium enarrationem, diei decubitus ſignificationem, virtutis patientis ac conſuetudinis explicationem, ferant. Sed illis etiam obſequium facere citra præmium par eſt: nam qui aſſe, vel treſſi, vel octuſſi, vel viliore mercede ſe medici labores demeruiſſe putat, egenus cenſendus eſt, cui forte non tantundem æris domi & in loculo ſupereſt, ut quod præceperis, emere poſſit: vel ſi indigus non ſit, avarum ipſum puta: utrique tamen operam medicam præſtare licet, nulla mercede vili conductus, ne egeno indigentior, & ſordido avaro cupientior videaris. *Pauperes citra præmium curandi.*

§. 45. Sed redeamus ad inceptum. Præſtantius adhuc erit (quàm ex ſolo urinarum aſpectu conſulere) tales patientes, quos inviſere vel pietas non movet, vel locus, vel præſentia negocii, vel juſta cauſa alia non permittat, ad juniores medicos relegare, qui eos videant, audiant, tractent: minus (jure) hi peccabunt ex aſpectus ipſius ægri, accidentiumque obſervatione, quàm ſenior ex ſolo urinæ conſpectu. Libuit ac etiam licuit hoc monumentum cæteris eſſe plenius, quamvis non acceptum multis medicis eſſe ſciam. Sed deſinant hi tam quæſtuoſum tamque temerarium opus, intelligantque, ſi injuſti lucelli ipſi caſum doleant, jure graviore anxietate turbari, & ægros & illorum affines vel familiares, quos perperam inſtituta præſidia, in acerbiores morbos, buſtum ac lachrimas agunt.

§. 46. Sed hic probatiſſimorum virorum, ſimul

*Melchioris pagani & Vincen. Zoii modus curandi per urinarum aſpectum.*

ſimul & artis medicę peritiſſimorum, Melchioris Pagani & Vincentii Zoii, conterraneorum meorum, diligentiam reticere par non eſt: tum quod virtus ipſa per ſe laudanda veniat, tum quod recta, proba, ſimul & artificioſa monumenta latius ipſam poſteritatem inſtruant, ſi in lucem ſint poſita. Cum igitur hi poſt multos annos optimè de medicina mereantur, ruricolis recuſare opem ex urinarum contemplatione neutiquam poſſunt: verum ingenioſum ac ſalutarem ſtilum ſervant, & dignum hercle nota. Nam per eos, non ſterili quidem, ſed diligenti facta inquiſitione de ſexu, ætate, habitudine, conſuetudineque patientis, deque decubitus die, ſymptomatibus, viribus ægri, & ſimilibus; conflatam ex relatis morbi ſpeciem, diem decubitus, & alia neceſſaria, in ſupremo loco ſuæ (ut dicitur) receptæ præſcribunt, mox & præſidia inſtituunt, quam receptam cum nova urina biduo vel triduo poſt, rationemque ſimul præteritorum, ad medicum refert, ſi velit, qui patientis curam gerit, vel alius cuncta à paupere ægro, vel aſſidente edoctus. Uſque adeo enim hic mos apud eos à juventute valuit adolevitque, ut nunc qui circumſita rura, pagos vel ſuburbia habitant, Aſtam non accedant, medicos ut conſulant pro patiente inviſo, niſi rei ſtatum præſentem atque præteritum, quantum per ipſos fieri poteſt, enarrare valeant, & heſternas receptas (ſi fuerint ab hoc, vel alio medico inſtitutæ) una ferant. Forſitan hoc arduum alicui videbitur, verum res facilis

cilis perexiguo uſu, & levi induſtria, redditur.

§. 47. Forte fortuna ab re non fuerit, modum, quem ipſe tenebam, dum ægris præſidia inſtituebam, ad quos loci diſtantia prohibebat acceſſum, deſcribere, conflatum tamen à docta familiarique prædictorum virorum conſuetudine. Primum itaque in media chartæ ſummitate inſtantem diem notabam ſeorſum à reliquis, paulò infra brevibus, quæ neceſſaria, vel maximè ſcitu memoriave digna videbantur, addebam. Ut hoc in exemplo; Mul. prægn. à 3. men. dec. 4. mar. h. 20. feb. ſyn. p. vom. gra. & al. flu. Vel aliud exemplum, Senex. 8. Aug h. 14. Feb. ter. dup rig. vom. & lat. dex. dol. tuſ. & cetera. quæ mihi ſignificabant; Mulier prægnans à tribus menſibus, decubuit die quarto Martii, hora vigeſima, febre ſynocha putrida correpta, cum vomitu gravi & alvi fluore. Et exemplum aliud, Senex die octava Auguſti, hora quartadecima, febre tertiana duplici correptus eſt, cum rigore & vomitu, & lateris dextri dolore & tuſſi, & cætera ſimilia: quibus ſubjiciebam, quæ mihi videbantur conferre præſidia. At videor jam jam moleſtus iis medicis, qui non tanti faciunt hominum vitam, in quorum tamen gratiam hanc digreſſionem feci, præferens hic & ubique veritatem ipſam cæteris rebus.

§. 48. Sed etſi dedeceat medicum ipſum avarum eſſe, non tamen avaritia eſt, oblatam mercedem recipere, à divitibus præcipue, & aliis, quos nulla premit paupertas. Benignum tamen *Medicus quando & à quibus mercedem debeat accipere.*

tamen eſt, cum amicis etiam ditibus, aliquod ſignum liberalitatis & conjunctæ amicitiæ oſtendere, recuſantes pecuniam; & adverſus egenos pietatis officium declarare, gratuitam operam porrigentes, rati eam medicinam liberalem artem debere dici, quám generoſus artifex facit; mechanicam vero mendicamque, quam avarus ac ſordidus. Amplexanda itaque liberalitas ſimul atque pietas, deteſtandum vero avaritiæ opus: nam ſimul cum opere nomen ipſum deletur vel vileſcit.

*Conſilia medicorum ſeorſum ab ægris populoque ineunda.*

§. 49. Medicorum conſilia ſeorſum ab ægris ineunda ſunt, quo liberius quiſque æquè metuenda atque ſperanda in medium proponat: non enim facilè excutitur timor ab animo patientis, ubi ſemel inſinuatus eſt: ſeorſumque à populo, uno auditore, vel ad ſummum altero, admiſſo, quibus curæ æger ſit: nam plebs, vel artis ignarus, ſemper aliquid habet, quod medicorum conſiliis temere addat, vel minuat, vel damnet, omnia inde convitians, niſi fides ejus ambagibus perinde atque ſapientiſſimo medico adhibeatur, eoque magis, niſi præſidia inſtituta non ſtatim morbum ſolverint. Prætereà, ſi medicorum aliquis nimia cupidine gloriæ fuerit perfuſus, tunc fiet elatior atque protervior, ubi coronam audientium viderit, ea commutans, quæ forte ab alio prius dicta fuerint, & extollens quæ ipſe proponet, neque rationi quidem cedens, ſed nugis prolixis tempus conterens. Interea plectuntur miſeri patientes citra culpam.

§. 50. Adverſus ægros nulla habenda ſeveritas,

ſitas, vel in cibo, vel in potu, vel in ambiente, vel medicamentorum forma, vel in aliis denique omnibus, in quibus gratificari citra noxam ægris poſſumus. Hac tamen in parte non rarò medicorum plærique, nimium ſevere, vel etiam perfunctorie, medicas leges ſervantes, errant graviter; vel intolerabili ſiti ægros torquentes, quibus potus eſſet remedium; vel in obſtruſo calido tenebroſoque aëre retinentes, quibus ex uſu eſſet perſpicuus, ſolutus, ac temperate frigidus; vel in acceſſionibus omnia nutrimentorum genera prohibentes, quod multis non levem inducere noxam conſuevit; vel in multis aliis ſimilibus delinquentes, in quibus indulgentia, præter id quòd patienti præſentaneam voluptatem adfert, ad morbi etiam expulſionem plærunque conducit. Sunt qui carnes veru toſtas commendent, quas ſi reſpuat æger, & ſuper carbonibus aſſas percupiat, non concedant; vel aquam interdum fontis puram utenti, cum coctam proponant; vel vinum album prorſus damnent, cui tenue rubellum conferre judicaverint; vel aloën non concedant, ubi hieram propoſuerint; vel fœniculum culpent, ubi aniſum vel daucum probaverint; & alia centena millia his ſimilia: quæ nil niſi artis ignaviam, vel contentionis ſtudium præ ſe ferunt.

*Nimiam medicus moroſitatẽ cavere debet.*

§. 51. Aſt ſuſurrandi, criminandi, tandem & exclamandi anſam hic locus dabit multis. Cæterum quibus? his, per deûm atque hominum fidem, qui nedum à limine medicinam ſalutaverunt. Sed diſcant hi primum. Nam in

*Modus in omnibus habendus.*

*Qui modum in rebus ſervare poſſit.*

*Qui ſolis ſtudiis navant, omnia ſe ſcire putant.*

quacunque re modus ipſe ſervandus eſt, ne ſtultorum inſtar in contrarium labamur. Sed hunc modum ſervare, cæteraque quæ jam antea dicta ſunt, tum noſcere, tum præſtare, quis jure poterit? Is nempe, qui philoſophiæ integrique conſilii cum minimè ſit expers, medicinam ſimul callet. At ii nihil in philoſophia ignorant, & nullum morbum non ſanant (ſi eorum verbis fidere velimus) qui ſoli in cubiculo, lectione (y) tantum ægros curant, vel philoſophantur: ii namque & mundi æternitatem vel decidium, & corporum penetrationem, & locorum vacuitatem, & cœleſtium corporum naturas, pathemataque & morborum cauſas, & languentium temperaturarum paſſionumque diſcrimina, temporum diverſitates, tandem & morborum apta ac neceſſaria præſidia, univerſalibus atque affirmativis Syllogiſmis comprobant. Sed quum aliis argumentis arcere morbos liceat, ob id prudenter dixit Ariſtoteles: ſi quis ſine experientia rationem habeat, multoties operando peccabit, quod circa ſingularia verſetur curatio, univerſalium verò ſit ratio.

*Medicus ſine experientia ſæpe peccat.*

§. 52. Sed & ſi ſingularium cognitionem, ſeu experientiam, ſeu obſervationem, habere non poſſit juvenis, ut hæc temporis diuturnitatem expoſcant, non propterea convertere argumentum licet, ut ſenior videlicet quilibet artis ſit peritus. nam homines eſſe creduntur medici

*Juvenis expertus eſſe non poteſt.*

(y) Ejuſmodi homines ἐκ βιβλίου κυβερνήτας appellat *Gal. 3. de comp. med. per. gen. c. 2.*

(z) *Celſus*

medici ut ſutores, aurifices, milites, legiſlatores: non enim horum quiſque ſimul cum tempore ſemper artis peritiam conſequitur: perinde atque Galenus dicebat, Qui parum ſunt prudentes, ii etſi in toto vitæ curſu infinitos artis effectus conſpexerint, nil tamen ultra percipient. Non igitur juvenis, non ſenex quiſque, neque qui in ſola contemplatione verſatur, neque qui tenui cura ſeu negligenter artem facit, medicum munus novit rectè abſolvere: ſed is cui natura, ut antea diximus, non tarditatem, ſed perſpicaciam ingenii, vitæ integritatem, animique ad medicinam propenſionem eſt elargita: hic hercle neque præcox artem attinget, metuens errata adeò, ut deſiderio doctrinæ, & erroris metu, tempori, laboribuſque non parcat, quo artem conſequatur, optimos magiſtros ſequens, non tamen ab indoctis, vel plebæis, vel alio quovis diſcere ſpernens: nam multa ab imperitis ſe didiciſſe non erubuit fateri Hippocrates atque Galenus, nonnulla & ego ab idiotis notavi utilia: plærique tamen ſunt, qui malunt in ſua ignorantia peccare, quàm alieno duce rectè facere.

*Non omnis ſenex eſt peritus, ſeu expertus.*

*Qui non poßint rectè medicinam facere, & qui rectè.*

*Iuvenis medicina ſtudioſi officium.*

*Ab omnibus diſcere licet, etiam à vulgaribus.*

53. Quamobrem non poſſum non iterum monere juvenes, ut faſtu poſtpoſito, iis quæ artis ſunt propria, incumbant: nam veteres non eſt quod de his moneam, ſive periti, ſive ignari fuerint. non egent periti ſimul & probi conſilio alieno: hæc ſpernunt, mordicuſque lacerant ignari vel cervicoſi. Et quia pro turpi ducunt plærique; laurea ſuſcepta, alios, unde

*Iuvenum admonitio.*

*Ætate provecti quare hic non monendi.*

diſcant, ſequi; Diſcatis igitur vos, ô juvenes, priusquam lauream ſubeatis: nam ubi ſpeciem adhuc tuleritis diſcentis, ſanè quidem & tunc ſolutè magis ex omni parte diſciplinam exquirere, petere, colligereque, & partes omnes medicinæ percurrere poteritis, quàm ubi docentis titulo (licet omni ætate locoque diſcere liceat) fueritis inſigniti. *Artis Medicæ partes tres.* Artis autem medicæ partes potiſſimè triplici (z). clauduntur numero, nempe diæta, pharmacia, & manuali opere, quæ omnia multifariam (ut ex Galeno colligere poteſtis) corporibus ſuppetias ferunt.

§. 14. Quod ſi in harum aliqua non fueritis exercitati, ſicuti in chirurgia, (quam ferè medici omnes, inani potius faſtu (a) perculſi, quàm artis intelligendæ deſiderio ſtimulati ignorant) ne audentiores etiam ſitis in præbendis conſiliis, quàm fueritis diligentes in ejuſdem partis cognitione. nam ſicuti rei cognitionem conveniens judicium atque conſilium conſequitur; ita & fallax judicium, conſilium inops, vel forte funeſtum (forte poſtpoſita) dari ſolet, re ipſa ignorata. Silere igitur hoc loco præſtantius eſt ſimul atque pium. Pudere quidem debet medicum non ſcire, quæ arti ſunt neceſſaria: Sed impudentia improbitaſque eſt, velle alieno damno cæteris perſuadere

(z) *Celſus in proœm. lib.* 1. *Gal, loc. cit.*

(a) Superbiam talium graviter taxat *Veſalius* in *præfat.* magni operis de *Hum. corp. fabrica.* Vide de cauſis neglectæ chirurgiæ differentem *M. A. Severinum lib.* 1, *part.* 1. *Efficacis chirurgiæ. c.* 5. & *Vidum Vidium de chirurg. l.* 1. *c.* 1.

(*) Hanc

dere id ſe ſcire, quod verè ſcit ſe ignorare: ut qui partis chirurgicæ expertes, interdum de rebus manu agendis, adverſus chirurgos fallaci ſimul ac pertinaci diſceptatione contendunt. Sed unicuique, ut Ariſt. inquit, experto, credendum eſt in arte ſua. Verùm pauci etiam ſunt, qui jure chirurgiam ipſam tractent, adeò ut hac in parte merito dicere plerunque liceat, cæcus cæcum agit. At & hic & ubique Hippocratis ſynceritatem admirari licet ſequique, qui ſe non aggreſſurum calculi è veſica detractionem jurabat, cum ea in parte non eſſet exercitatus. Aſt interpellandi hic locus eſt; quis, dices, medicorum, calculos educit? Sed en & tu ipſe. quis medicorum, accitus in vulnerum tumorumve curam, ſuum conticeſcere conſilium poterit, quominus vel fibulas in vulnerum oris adjungendis, vel (*) formicarum capita proponat, vel alia ſimilia riſu digna, quæ lectione didicerit, vel licinia longiora vel craſſiora; vel plura, vel dilatationem, vel conſtrictionem? Simili modo in ſinibus aperiendis vel differre perſuadebit, ubi aperire operæpretium fuerit; vel præmaturè irrumpere? Sed æquum eſt unicuique, ſe ſuis in terminis continere, & ſuam (ut Gal. ait) ruditatem potius accuſare, quàm verum ipſum negare.

*Hippocratis ſynceritas.*

§. 55. Indecorum non eſt medico, qui manualem operam calleat, ubi chirurgus non adſit,

*Chirurgiam facere quando debeat medicus & quando abſtinere.*

(*) Hanc per formicas curandi rationem tradit *Albucaſis chir. l.2.c.85.* & ex eo *Aquapend l.2.de Vuln.c.26.* Sed eam merito fabuloſam exiſtimat *Maſſa. l. 2. Epiſt. XI.*

ſit, qui rem rectè perficiat, ſi venam tuderit, quam ſe præſente chirurgus erraverit; vel repentè luxata fractaque membra repoſuerit; vel ſanguinis hæmorragiam cohibuerit, quibus omnibus mora noxæ eſt; nam & chirurgicum opus, una ex tribus medicinæ partibus eſt, à qua Galenus tantum abſtinuit, ubi eam vidit paſſim per omnes empiricorum ac plebæorum manus eſſe delatam. Cæterùm quemadmodum medico indecorum non eſt (ubi neceſſitas poſtulat) manibus rem ipſam aggredi; ita & abſtinere, dum morbus inducias, & locus chirurgorum copiam ſuppeditat, decorum eſt, mutuumque conſilium cum perito chirurgo de re chirurgica inire æquum eſt: nam & eundem poſſe de rebus agendis diſſerere, quem rei ſucceſſus laude vel culpa afficere poteſt, nemo jure inficias ibit.

§. 56. Affabilitas religioni conjuncta, perito medico atque chirurgo quantum conducat, vix credi poteſt: melancholicis diuturniſque morbis, & aliis, quorum exitum mortis metus prævertit, eximia medela eſt. Solatur hæc languentes ſimul & lachrymoſos affines, adeò ut hi quemcunque rei eventum plerunque æquo animo expectent; illi verò, quos fortè de proximo mania vel interitus ſequebatur, reſumpta ſpe ac ſpiritu in meliorem ſtatum ferantur; Summatim, morborum diuturnorum, & ſævorum, & immedicabilium, & lethalium injuriam atque formidinem, nil in ægris vel affinibus (dum licet) religioſa affabilique oratione placat melius. Studeat igitur & Medicus

cus & chirurgus, pro virili ſua, ſanctè (ut Hippocrates ait) & ſermonem, & vitam, & artem conſervare, quò ubi non ſolum ab aliis, ſed & à ſeipſo (nam ea maxima eſt animi integritas, ubi mens unde ſemetipſam accuſet, non habet) bene audierit, meritas laudes & honores, quæ legitimæ ſunt virtutis compenſationes, tandem & ex ſuſceptis laboribus præmia conſequatur. Sed de medico jam nos ſatis dixiſſe calamus monet, ad ægrotantium aſſiſtentiumque leges properare affectans. Multa ſanè ſuperſunt, quæ hac in opella non citra rem introduci poſſent: Sed cum eadem repetere aliis in locis cogerer, ſatius proinde eſſe duxi, de iis hîc ſilentium agere, & quæque ſuo poſtea loco (ſi faverint numina) memorare.

§. 57. Pergamus nunc ad *ægrotum aſſiſtentiumque* leges declarandas: non enim inſtitutis patientem vacare par eſt, ubi agens parere legibus tenetur. Ægrotum dicimus, quem morbus aliquis inſtans exercet, Medicum verò, qui medicinam facere jure poteſt. Circa quatuor igitur potiſſimè ars Medica verſatur: nempe circa morbum vice oppoſiti; circa patientem auxiliaris inſtar amici; circa præſidia, tanquam militia circa tela, arces, & loricas; circa Medicum non ſecus quàm ſingulæ quæque artes penes proprium artificem: horum namque pars altera, nempe medela & morbus, nulla voluntaria cupidine ſtimulata; naturalem duntaxat actionem ſequuntur; pars reliqua, nimirum ægrotus & Medicus (niſi ho-

*Non ſine lege eſt æger, cum legibus pareat medicus.*

*Medicina circa quatuor verſatur.*

rum vel alterius mentem vitiaverit morbus) judicio pollere creduntur. At vincere patientem properat morbus, hunc verò ſuperare nititur corporis virtus, habere adjutores hæc poteſt; ſed neque etiam deſunt morbo impulſores, virtuti verò porrigenda manus venit: hæc autem à medico (b) petenda eſt. Cæterum etſi in multis (ut oſtendimus) peccare in ſuo officio poſſit medicus, ea tamen pauca ſunt, ſi cum iis conferantur, in quibus ſua jactura delinquere ægrotus (c) ſolet præ inſcitia, negligentia, intemperantia, vel audacia. Sed de patientis cauſa agitur: ſeipſum igitur præbere rectis medicorum conſiliis (ſi ſalutem cupiat) obtemperantem par eſt: nam rationi conſentaneum eſt, non minus debere ægrum in ea, quæ conveniunt pro ſua ſalute, incumbere, quàm in proprium officium teneatur medicus aliena cauſa inſudare. Morigero igitur patienti monumenta legeſque, cum maximè utiles, tum neceſſarias, partim à majoribus noſtris traditas, partim etiam à nobis excogitatas, atque uſu confirmatas, paucis declaremus. §. 58.

*Leges ægro obſervandæ.*

(b) Utpote cum Medicus ſit Naturæ miniſter, qui naturæ neceſſitates cognoſcit, eidemque ſubſidia parat & ſuppeditat, ſive addendo corpori quod deeſt, aut demendo quod ſupereſt. In quibus licet ſæpè initium curationis ſit ab arte, finis tamen, & complementum, & perfectio, pendet à Natura, quæ niſi conſummet opus benè cœptum à Medico, niſi laxata vincula reſtringat, juncta labra uniat, alia in aliis præſtet, quid erit in quo glorietur ars? Vid. *Valleſii Comm. in l. 6. Epidem. S. v. §. 1.* Φύσιες νούσων ἰητροί.

(c) *Hipp. l. de arte.* Multò probabilius eſt ægros non poſſe facere quæ imperantur, quam medicis non convenientia imperare. & quæ ſequuntur.

(d) *Plinius*

§. 58. Patientis autem primum monimen ſit, ne quicquam medicinale, quod generoſum ſit, citra medici conſilium aggrediatur, licet ab Hippocratis, Dioſcoridis, vel Galeni ſcriptis hauſtum fuerit: nam rectum medicorum uſum nemo artis ignarus novit, quod facile intelligent, qui in Hippocratis vel Galeni ſcriptis inſudaverint, vel artem ipſam factitaverint, vel qui Dioſcoridis præfationem, non per tranſennam, ſed attentiſſimo animo legerint. Aſt quid affert temeraria auxiliorum uſurpatio? ſæpiſſime infeliciſſimum exitum: ſanè quidem mulierem cognovi, quę devoratis granis ſeptendecim lathyridis, (ut referebat) à quodam ſuo familiari datis, ut purgaretur ob capitis dolorem, quo interdum affligebatur, invincibili alvi fluore & vomitu correpta, tertio die obiit mortem. Aliam, hauſtu ſucci cicutæ circiter unciarum duarum (ut dicebant) ſcabiem curaturam, alterius muliercula conſilio concitatam, rigores ac convulſiones invaſerunt, & horarum duarum ſpatio defuncta eſt. Alium novi, qui cum audiviſſet cantharides venerem concitare, quo valentius amicam impeteret, abundantius cantharidum pulverem devoravit, & convulſus efflavit vitam intra triduum. Alios ob eandem cauſam in maximo vitæ diſcrimine vidi, graviſſimiſque ſymptomatis conflictatos. Alios, qui morti proximi fuere, ob totius cutis inflammationem, contractam ex illitione hellebori albi, vel ſublimati, vel ſimilium aliorum, quæ ſcabiei mederentur. Et hæc omnia evenerunt

*Ægri medicinas non aſſumant inconſulto medico.*

*Exempla notabilia.*

eveni-

eveniuntq; indies, ob temerarium imperitorum conſilium, & ſtultam patientium credulitatem.

§. 59. Poſſem ſanè & his plura, & quidem veriſſima enumerare, niſi hæc ſupereſſe putarem, ad oſtendendum, quam ſit periculoſus medicinæ uſus, qui ab ignaris præſtatur, & à nimium novarum rerum cupidis patientibus efflagitatur. Nam cum impunè cuique in arte medica peccare liberum videatur, hinc fit ut abjectum genus hominum, ut medicorum vel chirurgorum mediaſtini, vel plebecula viliſſima, qui honorem ignominiamque juxta æſtimantes, in alterius perniciem quicquid audiverint, vel ſcriptum viderint, vel rudi fallacique phantaſmate cogitaverint, citra diſcrimen uſurpare audent; unde ferme verum attigit, qui dixit, medicinam in manibus empiricorum poſitam, eſſe inſtar gladii in manibus puerorum. Hinc elicere poſſumus, ſæviſſimum nocentiſſimumque telum eſſe medicinam, audenti imperito creditam: namque hæc clanculum patientes perdere ſolet. Sed merito hi pœnas delicti dant, cum ſtatim ad veterinarios tranſmittant jumenta vel pecudes, ingruente in hæc morbo; ad aurifices torques, murenulas, vel corollas; ad margaritarios uniones vel margaritas; ad ſcrutarios, contritas vel conciſas veſtes reſarciendas: ſalutem vero proprii corporis, non medico, ſed ignariſſimo, quinimo & impudentiſſimo alicui credunt (d), vel pror-

*Agyrtarum audacia.*

(d) *Plinius l.29.c.*1. unicuique Medicum ſe profeſſo, ſtatim creditur, cum ſit periculum in nullo mendacio majus.

( e) An

prorſus negligunt: hinc acerbiſſimi morbi vel contumaces in corporibus boni habitus: hinc inopinabile atque irreparabile lethum, quod forte caviſſet tempeſtiva medela, quæ ſerius, præ patientis negligentia, accita, morbum non ſuperat, & medico aliquando injuſte calumniam inurit.

§ 60. Sed maturè probum atque peritum medicum conſulere juſtum eſt: hic namque honorem proprium jugiter ante oculos fert, non minus patientis caſum dolens, quàm affines chariſſimi: huicque memoranda cum præterita, tum præſentia, quæ ad morbum oſtentandum conferre quovis modo poſſunt: non autem efficere quemadmodum non pauci, qui à medicis obliquam opem poſtulant, ſimulantes ſe capitis dolore premi, vel æſtu nocturno, vel quopiam alio ſimili, cum nullum horum adſit, ſed pudendi ulcera, quæ fateri ſtulte non audent, cupientes duntaxat à medico purgationem elicere, vel ſimul ſanguinem mitti, freti hoc ſolo præſidio, citra partis affectæ curam, ſe ſalutem cónſequuturos. Cæterum peracto uno vel altero menſe, plerique horum non ſe medicos fefelliſſe, ſed ſemetipſos prodidiſſe intelligunt. Innumeros utique ex his videmus cum mares tum fœminas. Sunt etiam, qui aliqua clandeſtina libidine flagrant: nonnullis urit operta ira: vexat alios timor ſecretus: alios tacita cura exercet: quæ omnia morborum ſunt fomites ac cauſæ, plerunque à medici captu abditæ, niſi referantur. quas ſi medico aperire non licet, ſaltem animi dolorem

*Ægri medicos fallere cupientes ſeipſos decipiunt.*

rem diſſimulare non eſt æquum; nam à multis forte abſtinebit, vel alia præferet Medicus, cum animum triſtem ſupra morbum intellexerit, quod non efficiet, ſi tantum adverſus præſentem, & ſibi manifeſtum affectum, pugna eſſet ineunda.

*Hiſtoria.* §. 61. Verùm citra operis pretium fore non puto, ſi, quod nuper accidit mihi vidiſſe, hic enarravero. His proximis diebus patientem tractabam, queribundum præ dolore thoracis infenſo, ac febre: febris tamen nulla apparebat, doloris inditium à relatu (quod aliter non liceret) patientis conflare oportebat. Aſſiduè hic querulus erat, ſuſpirioſus ac vigil: purgavi per inferna, partem, quam dolentem dicebat, fovi, illevi, & alia, quæ ad affectum relatum ſpectare videbantur, inſtitui. Abſtinui à phlebotomia, quòd dolorem vagum diceret, & eſſet illi reſpiratio libera, & ætas ſexagenaria, & tempus hybernum. Quatriduum ubi in hac anxietate peregit, circiter horam ſecundam pomeridianam diei quartæ, criſis taciti morbi, non antea ſignificati, ex inſperato me præſente irrupit, quæ hominem illicet liberavit: ſervus enim patientis appulit ex Lugduno (Pariſiis æger erat) qui cujuſdam litis victoriam nunciavit, quam æger animo ancipiti ac tremebundo expectabat: ubi me præſente patiens, qui in lecto dolens, ac lamentabilis degebat: En, inquit, mei morbi ſalus: videor ſanè quaſi liberatus; nam hæc anceps expectatio huc atque illuc animum impellebat meum, & ſic nullo poſtea medico

opere

opere eguit. Alios ſimiliter affectos capitis dolore, vel lentis febribus, vel morbis aliis novi, quos & fecerat, & fovebat, occulta quædam ira, timor, vel amor. Sed hæc niſi medico fuerint ſignificata, aliunde percunctabitur cauſā, non percipiens veram. Alius juvenis generoſiſſimus atque potens, qui adhuc fœliciſſimis ſuperſtitat avibus, cum ob infenſiſſimam pleuritidem tundere venam ſtatuiſſem, fingebat, per ſacraque jurabat, ſe omni dolore ſolutum, interea dum chirurgum expectarem, quò phlebotomiam ſubterfugeret: idem præſtabat ſequenti die, dum purgans medicamentum offerrem, quod tandem præ timore incuſſo devoravit. Sed plætique ſunt hujuſcemodi generis patientes, tum juvenes, tum mulieres, tum effœminati homines. Cæterùm ne ultra ſupraque quam ſit æquum, in his moram faciam, meminiſſe oportet præteritorum, & ea, & præſentia, Medico declarare, moremque huic gerere, pro ratoque habendum, facilius poſſe multos ægros morigeros ſanitatem conſequi unius medici conſilio, vel ope ſola naturæ, quam poſſint medici multi & optimi, unum duntaxat ſanare moroſum, & intemperantem, & cauſam morbi occultantem.

*Medicus & præterita & præſentia contemplari debet & perpendere.*

§. 62. Verum enimvero accidit interdum, ut originem affectus ignoret patiens: utpote quod forſitan ex olim antegreſſis erroribus, vel laboribus. tacitum exordium duxerit. at tunc anteacta ætas examinanda venit, & percurrenda ea, unde morbi, tum patentes, tum clandeſtini, exercitari ſolent. ſunt autem hæc potiſſi-

potiſſimum, nempe aëris temperiei uſus; ciborum ac potuum aſſumptio; ſomni ac vigiliarum, laboris vel quietis abuſus; alvi ſegnicies vel fluxio; anxietates animi; conſuetarum purgationum ſpontanearum vel artificialium retentio vel exuperantia, non alvi modo, ſed uteri, hæmorrhoidarum, pudendi, veſicæ, faucium, narium, aurium, oculorum, & cutis totius; anteacta vita; mutata conſuetudo; morbus quondam ſuperatus.

*Aëris mutatio quid poſſit.* §. 63.. Aëris namque mutatio, repentina præcipuè, perquam celeriter corpora mutare poteſt: nam facile, immo quidem ſtatim, qualiſcunque ſit, ad cor (e) fertur inſpiratione: quæ mutatio, quam facile corpora afficere poſſit, judicent, qui citra conſuetudinem hypocauſta ingrediuntur: nam illicet ii, vel animo deficiunt, vel non poſſe inſpirare videntur. Idem contingit his, qui plagam percurrerunt temperatam, dum appellunt ad anguſtas rigidaſque montium fauces, ubi gelidus aër offenditur, quem ſimiliter neque inteſtina, neque externa, citra noxam ferre poſſunt. Sed non repentinam duntaxat mutationem inſalubrem eſſe dicimus, ſed plærunque & eam, quæ paulatim fit, cæterum non pariter. Quam multiplices, graves vel leves, celeres vel diuturnos, aër ipſe ambiens introducere, fovere, vel augere

(e) An in reſpiratione aër ad cor feratur, diſputat *Hoffmannus Inſtit. l. 5. p. 1. c. 3.* & *Exercitat. Iuvenil.* ad *Taurellum. q. 4.* & negativam tuetur. Interim veriſſimum eſt, quod de efficacia aëris in corpus noſtrum, juxta *Hipp.* & *Celſum l. 2. c. 1.* ſcribit *Botallus.*

(f) *Hipp.*

augere morbos poſſit, non eſt quod nunc exponam.

§. 64. Cibi tum præſentes, tum nuper devorati, vel paucis antegreſſis diebus aſſumpti, vitio non carentes vel ſua qualitate, vel quantitate, vel numero excedentes, vel qui ſtomachum ſubverterint, notandi ſunt: hos namque ſibi fore noxios interdum non putabit patiens, cujus vitium decernet artifex. Communis animadverſio habenda eſt circa potum. Verum hæc ut nocere poſſunt, præter rationem accepta, gravius etiam abſtinentia obeſt, ſi citra rem obſervetur: in hac graviter errantes non pauci languentes, propria corpora in extremam ariditatem vel tabitudinem inducentes, non ſecus ſemetipſos lædentes (cum, quæ ſunt noxa, putent eſſe remedia) quam imperiti faciant, qui temere multa aggredientes, majorem contumacioremve reddunt morbum. *Cibi qua ratione noxii* *Et potus.*

§. 65. Motus ex iis eſt etiam, quæ ociſſime alterare corpus valent, maxime ubi ipſe velox fuerit, ut patet in iis, qui à celeri curſu, vel à ductis choræis excandeſcunt, in quibus plærunque omne genus inæqualitatis pulſuum notatur, quæ ſubinde quiete ſedatur, niſi æſtus, ſive febris ſupervenerit: Otium & ipſum noxium, non tamen æquè atque labor. *Motus & quies.*

§. 66. Somnum nimium non citra injuriam ducimus: injurioſior tamen multo, vigilia excedens. *Somnus.*

§. 67. Alvi ſiccitas confundere & corporis officia conſuevit, verùm pertinax fluxio celerrime effœtas vires facit. *Alvi excretio.*

*Animi parthemata.*

§. 68. Inſignis repentinaque voluptas comperta eſt homines ſuffocaſſe: idem & effeciſſe timorem, uſus edocuit. Sed etiam animi mœroris progreſſio, ad funera tandem patientem ſtimulat.

*Excreta & retenta.*

§. 69. Muliebria retenta, vel parcius decurrentia, vel fluentia nimium, vel decolora, vel conſuetos recurſus non ſervantia, vel ſupreſſa venus, vel ultra vires concitata, hæc omnia morbos facere deprehenduntur. Simili modo, & inordinata alia quævis corporis purgatio, nempe pudendi, veſicæ, hemorrhoïdarum, faucium, narium, aurium, oculorum, & cutis totius, noxam corpori inducunt.

*Medicus omnia ſciſcitari, eiq; patientes confiteri libere debent quicquid ab ipſis antea fuerit geſtum.*

§. 70. Cum igitur de morbi cauſa anxius ſollicituſve fuerit medicus circa ea, quę mox enumerata ſunt, animum (ut diximus) intendere patientis eſt, excogitareque num aëre à præſente alieno, diverſoque modo fuerit educatus. Quemadmodum qui originem ſimul & vivendi habitum ex Lutetia duxerint (regione quidem in puriſſimo aëre conſtituta, nullis montibus obſita, extremis algoribus vel æſtibus perquam raro occupata, frequentiſſimo Aquilone flabellata, unde appetentia concitatior hominibus fit, & cibus plenior, & corporis exercitium ſalubriter ſuſtinetur) ac Taurinum ſe contulerint, mutarunt ii & ſolum, & cœlum, & ambientem, à patrio conſuetoque abſimilem, ubi frequentiores plenioreſque generoſioris vini hauſtus, & carnium liberior uſus, citra noxam, concedebatur. Anteacta igitur vita, & deſertum à ſe ſolum medico ut exponat

nat

nat patiens, utile eſt. Sunt præter hæc, qui voluptate æſtivo tempore loca incolunt plus juſto frigidiora humentioraque, ut ſubterranea, vel lucos. Sunt etiam, qui vi diutius in ſpecubus carceribuſque retenti, exiguam vel nullam injuriam tunc percipiant, quæ tandem poſt retegitur. Sicuti etiam mulieres fila glomerantes, quæ ut ponderoſiorem magiſque ſphæricum glomum conſtruant, hunc genuum alterutro ſuperpoſitum, malleo ligneo non raro protenunt. id ferre juventa videtur: ſed ætas ſequens (non citra genuum laborem) præſtat juventutis delicta. Quid venus juvenilis ſupervacua? inducitne hæc ut plurimum, irrumpente ſenio, urinæ ſtillationes, juncturarumque enervationes? quid præteriti ac crebri bacchanales triumphi, & alia multa, quæ hic enumerare ſuperfluum eſſet? ſcimus namque omnia audere effrenatam juventutem, nihilque intentatum relinquere. Verum ſenecta vel virilitas (ſi non prorumpat lethum) impunis non evadit. Luit (crede) harum altera, inſana juventutis peccata graviore ſupplicio. Sed interdum meliore tempore corruit audax ætas, quam ſervare & producere quicunque cupit, libidinem audaciamque domet temperantia, negligentiam moderata cura abigat, & animadverſione inſcitiam excutiat. Sed repetamus relicta. Recenſenda, inquam, ſunt juventutis vel anteacti temporis errata, ſive ex induſtria fuerint præſtita, ſive caſu evenerint, ſive vi allata, vel negligenter præſtita, & non modo, quæ circa ambientem, cibum vel po-

*Veneris damna.*

tum, vel motum, vel venerem evenerunt, ſed circa omnia ſuperius enumerata, & alia denique omnia ſimilium generum. Inter errata hic etiam intelligi volo antegreſſas ægritudines: ex iis enim omnibus, vel plurimis, occultus morbus ſæpe retegitur.

*Aſſiſtentium officium.*

§. 71. Itaque medico perito ac diligenti exiſtente, retecto affectu, & morigero ſe præbente ægro, reliquum erit, miniſtros officioſos & dociles eſſe, medico obtemperantes citra contentionem, & ægro obſequentes fideliter, hilari animo atque jocoſo, omnia quæ contingunt obſervantes, ut ea ad amuſſim medico referre valeant. non dedecet *aſſidentes ſeu ægrorum cuſtodes*, ſi quicquam cenſeant quod ad patientis uſum conferre poſſit, ea medico proponere, & præſtare, ſi laudaverit; ſed etiam cavere ſi tanquam inutilia renuerit: nam multa ſunt, quæ artis imperitus putat profutura, quæ tamen noxiam non levem inferunt, ſi adhibeantur.

*Aſſiſtentium imperitia maxime nociva.*

§. 72. Pernicies ſane gravis atque tremenda eſt aſſidentium imperitorum ignara contentio, potiſſimè ſi de viri potentis negotio ſit quæſtio: avocant enim interdum hæc medicum ab artis opere: veretur namque is (cum in maximo vitæ diſcrimine patiens verſatur) ſi præ morbi magnitudine, hæc præſidia, ab aſſidentibus oppugnata, non conferant, objurgari. Hinc fit, ut jam firmatum hydropem, nemo in potenti viro apertura tentet curare, quamvis aliquem ſanitati reſtitutum ſciamus ex convenienti apertura: quæ verò ſit hæc apertura conve-

conveniens (ſi numina velint) alibi dicetur, cum quam ſeniores excogitaverunt, vix evadere æger poſſit: vel ſi ad hanc medici confugiant, nulla amplius vitæ ſpes relicta eſt, ubi jam aduſtum epar, & fermè ligneum eſt factum, & meſeræum, & omentum quaſi abſumptum: nam hoc tempore, & ægri & aſſiſtentes ad id genus remedii, tanquam ad extremum auxilium (ſi auxilium tunc dicere par eſt) refugiunt. Nec modò tantum hoc in caſu obeſt ægrorum vel aſſidentium contentio, ſeu præſidiorum recuſatio, in tempore inſtitutorum ſeu propoſitorum; ſed & in aliis omnibus magnis morbis, ut in aperiendis empyicis, in terebrando cranio ſub ſe extranea continente, in vena ſecanda, in vomitibus moleſtis, vel alvi fluore, præ partis æſtu concitatis, in repetendis cum purgationibus, tum ſanguinis miſſione, in aperiendis venis in infantia vel ſenio, ubi morbus exigat, & vires reſpondeant, & vino interdicendo, & aliis ſimilibus innumeris, quæ diſtuliſſe, non modo recuſaſſe, plærunque mors eſt.

§. 73. Deſinite igitur vos aſſidentes, vel patientis amici vel affines, vel voſmetipſi ægri, de medicina cum medicis contendere, tantiſper dum artem ipſam calleatis, rati artem eſſe, de qua affirmative vix aliquid proferre poteſt, qui alioqui in ea peritiſſimus eſt. Intelligiteque vos patientes, multos, ne dicam forte omnes homines, eſſe paratos ac liberales in medicis conſiliis promendis, qualiacunque fuerint, tardos tamen ac ſteriles ad opem ferendam, ſi teme-

rarium eorum conſilium infœlicem ferat exitum. Proſpicite vos igitur primum, cum patientes, tum qui patientis curam geritis, quibus in manibus, cuive medico vos credatis, & illi, ſi peritum probumque fama præſtat, omne committite conſilium, pareteque contentione poſtpoſita.

*Uno ſe medico tradere debet æger.*

§. 74. Quod ſi plures medicos ſimul habere velitis, eos eligite, qui comiter atque humanè, quod medici muneris eſt, inter ſe inſtituant. Quod fieri prohibet, ſi querela inter eos quondam orta eſt, quam non deleverit ratio, vel ſi faſtus aliquem eorum plus ratione regat, vel ut paucis finiam, ſi morum fuerit imparitas. Cæterum hoc pro certo habetote, non perpetuò illud eſſe ſalubriùs conſilium, quod à pluribus fuerit determinatum: nam etſi medicinæ principia à quovis medico eadem profeſtantur, per varias tamen vias quiſque ſcopum attingere inſudat: nam medicina latiſſima eſt, in quam ſpatiari unicuique licet ſelecto limite, adeo ut ad unum finem quiſque ſuo tramite properare laboret, quem cæteris omnibus ſibi incognitis præferendum putant ſinguli, innitentes ſic eſſe gentibus perſuadere: intereà qui in congreſſu primas tenet, non ſuam recuſabit ſententiam, quam etiam pro meliore excogitavit, ac forte etiam aliàs uſu comprobavit, ut alienam commendet: idcirco confundit potius multitudo quàm juvet. Sufficiens porrò id eſſe conſilium puto, quod per duos treſve probos artiſque peritos fuerit initum: nam rarò quod addat quartus

*Nam inter plures ferè oriri ſolent contentiones.*

*Nec propterea magis ægro conſultum eſt.*

*Quin multitudo confundit.*

vix

vix ſuperetit momentaneum. Licebit tamen ſemel atque iterum, & quartum & quintum & plures etiam, ſi libeat, accerſere, atque audire, ubi morbus periculoſus ſit vel contumax: ſed aſſiduos eſſe, turbulentia eſt, non patientis modò, ſed aſſidentium & medicorum ſimul. nam aliquis aſſidentium ſciſcitabitur interdum ab uno medicorum ſeorſim, num vinum dandum, num nigrum vel album, num fricandum, num tempeſtivius nutriendum, num aſſa porrigenda, num acetarium condonandum, vel alia ſimilia, quorum forte indifferens fuerit uſus: alius quiſpiam ab alio medico hæc eadem poſtulabit: hic forte concedet, quæ alius interdixerit, hinc oritur inter aſſidentes confuſio, quod hic laudet conſenſu unius medici, quæ alterius conſilio alius damnat: & nullius forſitan momenti erit res, ſive fiat, ſive omittatur. Cæterum hoc non facile credunt, qui artem non norunt, etiamſi hoc ipſum perſuadere conentur, qui contrarium dixerint, medici. Sed quid, ubi ſint faſtuoſi aliqui vel cervicoſi, quod fieri non poteſt, quin adſint in tanta caterva? Pauciores ob id, ac etiam potiores conſulere, ſalubrius eſt, eos potiores in arte eſſe credentes, quos diuturnus artis uſus ad bonorum operum gloriam provexit. *Quamvis in morbo contumaci plurium opiniones audire liceat.*

§. 75. Sed in calamo *pharmacopolæ* munus deliteſcat fas non eſt. Permagni hercle intereſt qua morum probitate & artis ſuæ peritia ipſe teneatur. Probitas primò in eo ſita ſit oportet, mox artis peritia, inde diligentia, ſubinde humanitas, ac comitas. Monet probitas, nihil *Pharmacopolæ munus.*

 hil

hil mutandum eorum quæ inſtituta ſunt, medico non prius monito. Quod ſecus faciunt improbi, ignari, & qui futili gloria ſunt perfuſi, immutantes, vel addentes aliquid à ſuo væſano phantaſmate depromptum, id clanculum patientibus atque aſſidentibus ſignificantes, ſi bene ceſſerit; reticentes verò, ſi malo quippiam evenerit: ex quo, præter id quod ſcelus perpetraverint in perniciem patientis, inique etiam ſilent factum, quod retectum curam indicaret: quandoque etiam poſt partam ſanitatem, etiamſi nil commutaverint, ſe quidquam præſtitiſſe dicunt, unde major ſalutis pars ſubſequuta eſt. Animi igitur bonitas in pharmacopola præ cæteris requiritur: nam hæc nihil immutare ſtimulat, & curioſum hominem reddit ad artis peritiam, & ad merces exquiſitas comparandas, retinendas ac tradendas. Artis peritia eum reddit promptum in agendis iis, quæ ad ejus officium ſpectant, imperitia vero ſemper implexum, tardum & exorbitantem. Diligentia, occaſionem rerum agendarum à medico deſignatam, ſubterfugere non patitur. Humanitas benignum reddit adverſus ægrum, cui condonare debet multa, quæ ſanis non concederet, & eorum iram vel jurgia, interdum æquo animo ferre, ſimul & eorum vicem dolere, & egeno gratuitam (pro poſſe) operam porrigere. Hilaritas ſeu feſtivitas (niſi ſcurrilis ſit) jucunditatem ac meliorem ſpem in animo patientis & aſſiſtentium parit. Quibus omnibus probe per eum præſtitis, retributione liberali dignus eſt, quam

pauper,

pauper, cui neque obulus ſupereſt, laude non modica, ac gratiarum actione perſolvet; dives verò liberaliore ære ſimul & laude.

§. 76. Aſt videor jam ſatis abundè de iis dixiſſe, quæ ad patientis ſalutem conferre poſſunt, avaritiamque ſordidorum medicorum damnaſſe. Sed patientium quorundam divitum tenaciam num reticebimus? id certè putabam, & quandoque ferè decreveram: Verùm ſcomma, vel, ſi lubet, potius antiphraſis, quàm ſæpe in medicos nemo non anteponit urbaniter, mutavit in me ſententiam, & calamum in hæc compegit. Eſt autem ſcomma, ne mordax convitium dicam, Medicorum liberalitas: huic plærique commentum, ſive interpretationem ſimul addunt: recuſant (inquiunt) verbo pecuniam porrecta palma. ſed hic ſalibus colludere altercarique par eſt, rationes tamen noſtras defendendo. Cedo, utram dices potiorem liberalitatem (ſi ſic appellare detur) vel ejus qui recipit debitam mercedem citra reluctantiam, vel ejus qui quovis modo obnititur? nam qui utrunque reluctatur, amicitiæ humanitatiſque ſimul & liberalitatis aliquod ſignum præ ſe fert, alius prorſus nullum. In hujus ſerie reponendi ſunt artifices alii omnes, mercatores, juriſperiti, quæſtores, milites, cohortum præfecti, magiſtri equitum, tribuni, cum plebis, tum militiæ, adeout quiſque (ut proverbio dicunt) ad hunc dæmonem argenteum & oculorum aciem intentè dirigat, & patentem palmam avidius extendat; nemo tamen benignius me-

*In patientium tenacitatem & avaritiam.*

diço: recipit hic qualem & quantamcunque mercedem obtulerit patiens ſine querela. Quis aliorum, in debitoris arbitrium, propriam mercedem decernit? quis tamen medico, qui ex alieno malo proprias ſibi demetit moleſtias, liberaliore dignus eſt præmio? ſerio hæc divitibus non jocoſe dicta eſſe intelligo, qui & medicis improperant avaritiam, quamvis non plus teneatur (arbitror) Medicus gratuitam operam cæteris tradere, (egeno excepto) quàm alii præſtent Medico. Credite igitur medicum debitæ mercedis cæteris munificentiorem.

*Fiducia erga Deum, optimum eſt præſidium in morbis.*

§. 77. Sed claudendus jam hic libellus venit, hac tamen adhuc monitione primùm addita: nimirũ, non parum conferre ad ſanitatem comparandam, fidentia erga Deum. Nempe nil hac valentius lenit animi mœrores, ac corporeas paſſiones, quas diuturnum tempus fovet. In Deo igitur optimo maximoque potiſſimè ſpes firma reponenda eſt, hicque maxima cum fiducia invocandus, deprecandus atque implorandus, tum à medico ut juſtum honorem ſibi comparet, (f) tum à patiente, quò facilius optatam ſalutem conſequatur, denique à quovis mortali, cum omnium ſit rerum conditor. Hæc etſi jure prima eſſe deberent, poſtremo tamen loco poſuimus, ut diutius cordi affixa maneant.

LEO-

(f) *Hipp. l. de Elegantia.* Scientia de Diis penitiſſimè animo medici implexa eſt: Et medicinæ via ſecundum ſapientiam, deorum eſt munus, ac remediorum efficacia ab iiſdem pendet: Iuxta verſiculum

*Ni Deus affuerit, vireſque infuderit herbis,*
*Quid, rogo, dictamnus, quid panacea juvat?*

(g) Quam-

# LEONARDI BOTALLI

*Obſervationes Anatomicæ.*

## OBSERVATIO I.

## DE MONSTROSO RENE

*Nuper reperto.*

EFFLAGITANTIBUS ex me nonnullis artis medicę ſtudioſis, ut, dum liceret, in cadavere oſtenderem, quomodo os capitis perforandum eſſet, dum res ipſa perſuadet: quaque arte puri, vel ſanguini, in thorace retentis, exitus detur, ut in empyicis ſeu ſuppuratis, vel ea parte vulneratis: qua item induſtria, in inferiore ventre in hydropicis aqua exhaurienda veniat: ac quomodo varices, vel aliæ tum venæ, tum arteriæ, quarum munus prorſus interdicere ars medica inſtituit, amputandæ eſſent, de quibus aliquando ſermonem feceram; non potui non illis morem gerere hac in re. *Sectionis occaſio.*

§. 2. Oblatum ob id mihi cadaver fuit, ex quo, præter id quod in eo, quæ ſupradicta ſunt, oſtendi: cæteras partes anatomicas inviſas prorſus iri, æquum fore minimè putans, univerſum corpus diſſectioni ſubjeci. Ubi verò ad renes pervenimus, adeò in iis lu-

fiſ

ſiſſe naturam vidimus, ut admirationem non levem omnibus ſpectantibus pareret, parietque item omnibus anatomicæ diſſectionis peritis, eorum ſpeciem intuentibus: quam dignam eſſe judicavimus, ut ante hominum conſpectus prodiret. Fortuitum fuit, ut cadaver hoc, in manus meas inciderit, quod ejectum fuiſſet non retecta tam monſtroſa, atque omnibus anteactis ævis inviſa, renum effigie.

§. 3. Accipe igitur, lector benevole, ſchema renis non commentitium, neque fictum (ut nonnullis ex famigeratiſſimis Medicis Pariſienſibus ſenſu conſtitit, videlicet dominis Gorræo, Magno, & Baldichio, inſuper & ſcholaſticis innumeris, cadaveris ſectore Jacobo Dyoneo juvene ſanè docto, artiſque medicæ ſtudioſiſſimo) immò ab optimo proboque pictore, fideliter accurateque à naturali delineatum conflatumque, à me ſubinde characteribus inſignitum, atque jacet; quo minore negotio, à quovis artis anatomicæ non prorſus imperito, totius compoſitionis ratio perciperetur. Quatuor enim ſunt renes in una mole conjuncti, ſinibus tamen atque vaſis inter ſe diviſi, ut figura oſtendit. Plures adhuc extabant propagines ab emulgentibus, quàm ſint notatæ, verùm propter earum exiguitatem, patentiores tantùm produci volui.

*Renes monſtroſi.*

§. 4. Non eſt quod hic pluribus verbis agam, in exaranda cauſa tam deformis alienæque à recto naturæ ordine compoſitionis, quum æquam natura poteſtatem habeat, æquamque impotentiam ſupra renes, atque ſupra

ſupra alias corporis partes, (g) quas quandoque geminat, interdum mutilat, aliquando majores, minores interdum, nonnunquam à naturali figura prorſus alienas facit: & hæc vel ob materiam prænimiam, vel ob hujus defectum,

(g) Quanquàm Anatomicorum diligentiâ, rari & admirabiles Naturæ luſus in partibus noſtri corporis fuerint detecti, cujus fidem facit *Cl. Riolani* diſcurſus de omnimoda tranſpoſitione partium naturalium & vitalium, in cadavere ſicarii, anno 1650. Pariſiis diſſecti, reperta: nuſquam tamen feracior ſolet eſſe & frequentior, quam in variandis renibus, vaſiſque ab iiſdem prodeuntibus. In his namque ſæpenumero peccat in exceſſu, ſæpè etiam in defectu, ſive quod iſta variatio non multum poſſit obeſſe corporis oeconomiæ, ſive quod in formandis iis partibus ſpiritus formator modò plus modo minus materiæ reperiat, quam pro natura partis; eam namq; cauſam auctarum aut deficientium partium tradit *Ariſtot. 4. de gener. anim. c. 4.* Exemplum numeri aucti exhibet nobis præſenti obſervatione Botallus: ſimiliter *Barthol. Euſtachius l. de Renibus c. x.* tres ſe vidiſſe renes teſtatur; & *Gemma l. 2. Cyclognom. c. 6.* tales depingit *Bauhinus Tab. I v. fig. 1. Appendicis*. Idemque *Gemma l. 1. Coſmocrit. c. 6.* ait, quatuor aliquando reperiri. Contrà, unicum à ſe repertum fuiſſe renem memoriæ prodiderunt *Carpus in Iſag. Anatom. Stephanus de diſſect. part. corp. hum. l. 2. c. 15. Fernel. de part. corp. hum. deſcript. c. 6. Euſtachius. c. 10. & 41. Panarolus l. 1. obſ. 3.* & ego, annò 1656. dextrum tantum in cane offendi. Mirum eſt, quod *Veſalius lib. 5. c. 10.* ſcribit ſe obſervaſſe in habentibus ventrem impenſe prominulum, & vitiatum coſtarum ductum, unicum interdum renem in medio poſitum, reperiri. Propius accedit ad Botalli obſervationem, ea quæ extat *hiſt. 77. Cent. 2. obſervat. Anatom. Bartholini.*

In Ureteribus diverſitas non raro occurrit, ut teſtis eſt *Cl. Riolanus Anthropog. l. 2. c. 27. Panarolus l. 1. obſ. 4.* & mihi anno 1656. in cadavere decollati dexter ren duplici uretere præditus, conſpectus eſt, qui tamen ambo propè veſicæ ingreſſum conjungebantur. De multiplicitate

fectum, vel ob ejus impeditam actionem, quæ variis cauſis intercipi poteſt, quas enumerare hîc ſupervacaneum eſſet, cùm eas cuique liceat colligere ex Ariſtotelis phyſica, tum è lib. de generatione animalium. Quod hic adhuc nobis dicere conveniet, eſt, nos poſſe putare hunc hominem fuiſſe (h) ſalacem, ob vaſorum ſeminalium abundantiam: præterea, quòd ſi diutius vixiſſet (quod illi fortè natura conceſſiſſet, cùm optimo corporis habitu in cæteris conſtituiſſet, ſed ſicarium trucemque factum jus laqueo de medio abſtulit) cenſendum eſt crure ſiniſtro fuiſſe tumoribus (i) œdematoſis ſubditum, propter emulgentem, quæ ſupra renem ferebatur, in femorali ſtatim inſer-

*4. de Gen. anim. 4.*

citate venarum & arteriarum Emulgentium nihil addo, quia res eſt vulgariſſima. Icones habet *Bauhinus* in *append. figurarum tab.* 1. 2. *&* 3.

(h) Ratio ſalacitatis inſufficiens videtur, deſumpta à numero venarum ſeminalium, ſiquidem, ut ordinariè ſolet, unica tantū hic adfuerit arteria ſpermatica: in hunc errorem ſimiliter lapſus eſt *Salomon Albertus*, in ſchemate renum & venarum emulgentium, hiſtoriæ partium corporis humani, editioni ultimæ anni 1602. ſubjuncto. Veriorem dabat olim Celeberrimus *Pavius*, hujus Lycæi Anatomicus meritiſſimus, nimirum fœcunditatis cauſam referebat ad arteriæ ſpermaticæ magnitudinem decuplo majorem vulgaribus duabus, in cadavere ſuſpenſi à ſe inventam, referente *Hoffmanno Comm. de uſ. part. n.* 1013. Alia Salacitatis cauſa in cordis calore querenda eſt, à quo pectus, etiam in mulieribus, pilis hiſpidum redditur nonnunquā, teſte *Panarolo p.* 5. *obſ.* 37. præſertim ſi in corpore adfuerint humores ſalſi & mordaces, ut egregiè cenſet *Lemnius de occ. nat. mir. l.* 2. *c.* 36. *&* 37.

(i) Conjectura admodum infirma eſt, quam de Tumoribus œdematoſis ſiniſtri cruris adfert Botallus, præterquam enim quod tales à ſero non

inſertam: nam interea dum naturalibus adhuc viribus pollebat (non enim ſupra quadrageſimum annum vixiſſe facies oſtendebat) ſugebat ren validè ſeroſum humorem: interea & ſi aliquid labebatur, facilè exercitio, & nativo calore robuſto, in halitus abſumebatur, quod non æquè præſtitiſſet, ſi ætatem virilem egiſſet. Ventriculo etiam erat prægrandi, toto corporis habitu carnoſus ac firmus. Tibias, ſeu majora focilia craſſa erant ultra modum, & teretem figuram habentia; fibulas verò minores, quàm corporis habitudini conveniret: & lien, præter vaſa, quæ in ore ſuperiore ventriculi (k) communiter inſeruntur, alia duo habebat ſatis manifeſta ad fundum infixa.

Quum

non proveniant, ſed à pituita, etiam per arterias debebat humor in crus effluere, juxta doctrinam de ſanguinis circulatione. Nunc verò ſanguinis portio per cruralem ſiniſtram reflui, factâ aliquali digreſſione per emulgentem ſiniſtram, iterum ſupra renes venæ cavæ deſcendenti infundebatur.

(k) Nulla ejuſmodi vaſa dantur, quæ à Liene proficiſcuntur, & in ſuperius ventriculi orificium inſeruntur. Intelligit enim vaſa, vulgò dicta brevia, quæ & plura ſunt, à vaſis ſplenicis verſus ventriculum reflexa, & fundo inſeruntur è regione Lienis collocato. Vide *Barthol. anat. Reform. l. 1. c. 9.*

(l) De

## Characterum Figuræ primæ Explicatio.

*A. Vena cava.*

*B. Arteria magna, ſive aorta.*

*CCCC. Vena emulgens ſiniſtra, quæ in renem non fertur, ſed multas in eo propagines inſerit, ipſa verò deorſum procedit, cuti renis adhærens, tandem in femorariam inſigitur juxta Q.*

*DD. Vena emulgens dextra, quæ & ipſa ſupra renem fertur uſque ad literam X. ubi in inferiorem dextrum ſinum diſpergitur.*

*E. Vena adipoſa.*

*F. Arteria ſeminalis dextra.*

*b. Arteria ſeminalis ſiniſtra.*

*Ggg. Venæ ſeminales ſiniſtræ quæ invicem junguntur & una fiunt in f.*

*f. Locus ubi junguntur ſimul aliquot venæ ſeminales, & una tantum fiunt, exorta ab emulgente ſiniſtra.*

*HHHH. Propagines variæ ab emulgente dextra & ſiniſtra productæ, quæ diſperguntur in ſuperiorem ſinum.*

*IIII. Seminales dextræ, quarum duæ à vena chili, & duæ ab emulgente in unum coeuntes in d.*

*d. Locus unionis ſeminalium ex dextra parte inſurgentium.*

*KK. Arteriæ geminæ inſertæ, altera in ſummitate renis dextri, & altera in ſummitate ſiniſtri.*

*LL. Propagines multiplices ureterum, quarum pars à ſupremo ſinu prodit, pars verò ab inferiore, coeuntes juxta p.*

*p. Locus ubi uniuntur varii ureterum proceſſus, exurgentes ab utroque ſinu dextro.*

*MMMM. Exortus ſiniſtrorum ureterum ſuperiorum nempe & inferiorum, qui in (a) copulantur.*

*a. Locus conjunctionis ureterum ſiniſtrorum.*

*N. Altera emulgens ſiniſtra quæ in ſuperiore ſinu inſigitur.*

*O. Arteria quæ implantatur inferiori ſiniſtro ſinui.*

*PP. Productiones venarum, inſurgentes ab emulgente ſiniſtra, ſiniſtro infimoque ventriculo, ſeu ſinui inſitæ.*

*QQ. Femorales venæ, nimirum dextra & ſiniſtra.*

*RR. Femorales arteriæ, dextra ſcilicet & ſiniſtra.*

*T. Locus ubi inſigitur arteria una, notabilis magnitudinis, à magna arteria producta, in parte tamen ſuppoſita quæ ſuperiacet & arteriæ & venæ magnis: arteria autem magna incipit intra O & N. exurgere ſupra venam cavam ut in ſchemate patet.*

*V. Locus ſuperioris ventriculi ſeu ſinus dextri renis.*

*X. Inferioris dextri ſinus locus.*

*Y. Inferioris ſiniſtri ſinus regio.*

*Z. Regio ſuperioris ſinus ſiniſtri.*

## Figuræ ſecundæ Explicatio.

*AA. Renes.*

*B. Truncus venæ cavæ.*

*C. Arteria magna.*

*dd. Seminalis vena utraque.*

*ee. Arteriæ ſeminales.*

*FF. Vaſa emulgentia.*

*GG. Ureteres.*



*A. V*
*B. A*
*CCCC.*
*in renem*
*propagine*
*precedit,*
*in femora*
*DD.*
*& ipſa (*
*literam X*
*ſinum diſ*
*E. Ven*
*F. Ar*
*b. Ar*
*Ggg.*
*qua invic*
*in f.*
*f. Loc*
*quot ven*
*tum fiunt*
*niſtra.*
HHHH
*mulgente*
*ducta, qua*
*ſinum.*
*IIII. S*
*dua à ven*
*in unum*
*d. Lo*
*dextra pa*
*KK.*
*altera in*
*altera in*
*LL.*
*terum, q*
*prodit, pa*
*tes juxta*
*p. Loc*
*rum proc*
*ſinu dext*

Quum oppoſita ſeu diverſa, juxta ſe poſita, magis eluceſcant, propterea hîc affiximus renum naturalium (l) formam, quò clarius conſtaret inter utroſque differentia.

---

## Observatio II.

# OSSA INVENTA INTER UTRUNQUE *Cerebri ventriculum.*

IN alio cadavere reperimus oſſicula quatuor, inter utramque cerebri partem, dextram videlicet

(l) De Naturali Renum forma acturus, ad tria reſpicere debet, ad eorum figuram externam, ſitum, & vaſorum Emulgentium exortum. Figura talis eſt, qualem vaſa admittenda requirebant: & qui faſeolis, h. e. turcicis fabis, ut noſtrates vocant, comparant, nihil aptius invenire poſsunt. Situs varius ſecantibus occurrit, præſertim in hominibus, monente *Euſtachio. c. 9.* Adverſam quidem habent poſitionem, ad latera venæ cavæ & arteriæ magnæ, quibus firmandis velut anchoras utrimque appoſitos eſſe ſcribit *Hippocr. l. de oſſ. nat.* ita tamen ut interdum è regione ad amuſſim ſibi reſpondeant, raro dexter ſiniſtro ſit altior; frequentius ſiniſter elatiorem ſedem occupet. Nec tamen pro ratione altitudinis & poſitus renum, vaſa quoque emulgentia in ſuo exortu ſimiliter ſe habent, poteſt enim venæ & arteriæ origo humilior eſſe, & tamen renem elatiorem accedere, prout eadem vaſa vel longiora ſunt, vel poſitione magis obliquæ. Vid. ad *Tab.* 1. 2. & 3. *appendicis figurarum Bauhini*, quas tamen ab *Euſtachio* mutuatus eſt.

delicet & ſiniſtram, (m) recta ſub ſagittali commiſſura poſita, & ſub torculari (quod ληνὸν à Græcis dicitur) ſepto ipſo affixa adnataque: horum autem majus erat longitudinis craſſitudiniſque faſeoli; alia vero paulo minora; minimum autem ſublongioris lentis ſpeciem repræſentabat. Dura erant atque duriſſima cranei pars, intuſque ſpongioſa inſtar oſſis lambdoidis.

*Ληνὸν vocat Herophilus.*

*Figuram ejuſque explicationem* *vide pag. 68.*

## OBSERVATIO III.

## VENÀ ARTERIARUM NUTRIX, A NULLO

*Antea notata.*

Diebus iis proximè peractis, cum Galenum atque Columbum diſſentire vide-

rem

(m) Non memini ſimilem apud alios me legiſſe obſervationem. Si autem per *ſeptum* intelligit autor noſter eam craſſæ meningis duplicaturam, quæ figura non abſimili falcis meſſoriæ (unde Falcis nomen ei inditum) cerebrum dividit, ferè ad uſque corpus calloſum, in partem dextram ſini ſtramque; bis idem à me obſervatum eſt Lugduni-Batavorum: & etiamnum domi aſſervo falcem, è capite Viri Clariſſimi, anno 1653. exemptā, in qua ſpectare eſt utrinq; magis tamen à dextra parte, oſſicula plura è lata baſi in acumen deſinentia, & rupis cujuſdam inſtar aſpera & inæqualia, duriſſima item & valdè ſolida, intuſque, quantum oculis aſſequi licuit, quodammodo cavernoſa. Cum autem ſuſpicio incideret, num continuo capitis dolore afflictus fuiſſet Vir ille, dum vita frueretur, negabant hoc propinqui. Huic admodum affinis eſt obſervatio *Iſaaci Cattieri*, quæ inter ejuſdem obſervationes Medicinales ſubjunctas iis, quas *P. Borellus* nuper edidit, eſt ordine decimaquinta; cujus figuram ibidem exhibuit æri inciſam, uti nos repræſentamus in adjecto ſchemate noſtram.

(n) Pace

rem de via, qua in cor ſanguis, qui per arterias vagatur, fertur: aſſerente Galeno, hunc in cor transfundi per parva foraminula cordis ſepto inſita: (n) Columbo verò, per alia ad arteriam veno-

(n) Pace Botalli dixerim, præ nimia φιλοδοξίᾳ, an potius δοξοσοφίᾳ? cœcutiiſſe virum egregium, dum pro nova obſervatione & peculiari nobis obtrudit, quam *Galenus* ab hinc plus quam mille quingentis annis prodidit *lib.* XV. *de uſ. part. c.* 6 Quem ejus locum, quiſquis ſedulo inſpexerit, mirari ſatis non poterit, cum adeò exactè vaſorum cordis in fœtu uniones ab ipſo fuerint deſcripti, quid cauſæ fuerit, quod inſignes Anatomici, *Veſalius* inquam, in magno ſuo Opere, nihil iſtius conſtructionis meminerit; *Fallopius* verò, in diſſectionibus alioquin oculatiſſimus, alterius ſolummodo duorum vaſorum unionis mentionem fecerit, arteriæ ſcil: pulmonalis cum magna arteria quæ per canalem fit, de altera ne verbum quidem addiderit. Iterumque *Veſalius* à *Fallopio* monitus, in *Exam. obſervat. ejuſdem* rem hanc parum rectè tradiderit, ut clariſſimè evincit *Ioh. Bapt. Carcanus* libello de Vaſorum cordis in fœtu unione. *Galenus* cum de tranſitu ſanguinis è dextro cordis ventriculo in ſiniſtrum agit, prout is in adultis contingit, non ſatis ſibi conſtat, modò enim per venas hoc fieri arbitratur, ut 6. *de uſ. part. c.* 16. mox vero *c.* 17. & 3. *de fac. nat.* 15. per ſepti foramina eum deducit. Solus è recentioribus *Columbus l.* 7. *de re anat.* non per aſia foramina, ut ſcribit Botallus, ſed per venam dictam arterioſam, mutuis anaſtomoſibus cum arteria venoſa junctam, è dextro in ſiniſtrum ventriculum deferri primus apertè prodidit. His viis, quæ manifeſtiſſimæ ſunt, non contentus Botallus, alias inquiſivit, tandemque repetit, (vena cava circa cor adaperta) ſupra foramen venæ coronalis alium ductum, qui ſtatim in ſiniſtram aurem recto tramite fertur. Protinus exclamavit cum Archimede εὕρηκα, ſed cecinit, quod dici ſolet, triumphum ante victoriam: Etenim luculentiſſimè ſcribit. *Gal.* 15. *de uſ. part. c.* 6. *In fœtibus vena cava in arteriam venoſam eſt pertuſa:* Item, *velut foramen quoddam utrique commune pertudit Natura, tum membranam quandam in eo inſtar operculi eſt machinata, qua ad pulmonis*

## Figuræ primæ Explicatio.

*A A A. Falx.*
*bbbb. Sinus falcis ſuperior, ſeu longitudinalis, apertus.*
*C. Oſſiculum maximum. D. aliud prædicto minus.*
*e f. Duo exigua oſſicula, ſatis tamen acuminata.*

## Figuræ ſecundæ Explicatio.

*A. Cor.*
*B. Auricula dextra aperta.*
*C C. Vena Cava ſimiliter diſſecta.*
*D. Foramen venæ coronariæ.*
*E. Foramen ovale, per quod ſanguis in auriculam ſiniſtram tendit.*
*F. Valvula eidem foramini appoſita.*

## Figuræ tertiæ Explicatio.

*A. Cor.*
*B B. Pulmones.*
*C C. Arteria aorta aſcendens.*
*D D. Arteria Truncus deſcendens.*
*E E. Arteria pulmonalis, ſeu Vena arterioſa dicta.*
*F F. Canalis à pulmonali arteria tendens in aortam.*

venoſam, quæ & ſi fruſtra olim perquiſiverim, nuper tamen denuò eidem inquiſitioni me tradens, cor dividere occepi, ubi paulò ſupra

*vas facilè reſupinaretur, quo ſanguini à vena cava cum impetu affluenti cederet quidem, prohiberet autem ne ſanguis rurſum in venam cavam reverteretur.* Mox adjungit, *ſuperat omnem admirationem, prædicti foraminis haud ita multo*



ſupra coronalem ( quam ſtephanoidem appellant Græci ) ſatis conſpicuum reperi ductum, juxta auriculam dextram, qui ſtatim in ſiniſtram aurem recto tramite fertur: qui ductus vel vena, jure arteriarum, vitaliumque ſpirituum, nutrix dici poteſt, ob id, quòd per hanc feratur ſanguis arterialis in cordis ſiniſtrum ventriculum, & conſequenter in omnes arterias, non autem per ſeptum vel venoſam arteriam, ut Galenus vel Columbus putaverunt. Hic autem ductus in vitulis, ſuibus & canibus ſatis grandis patenſque exiſtit: in hominibus

*multo poſt conglutinatio. Cum enim animal perfectum fuerit ætateque jam floruerit, ſi locum hunc ad unguem denſatum inſpexeris, negabis fuiſſe aliquando tempus, in quo fuerit perviſus.* Hæc fuſius deducere placuit, ut oſtenderem, non eſſe hoc novum Botalli inventum: minuſque adæquatè eum huic Vaſi impoſuiſſe nomen nutricis arteriarum; non enim vas hoc in arteriam pertunditur, ſed in ſibi ſimilem venam; neq; ſanguinem arterialem, ſed ſimpliciter venoſum, in cordis ſiniſtrum ſpecum ducit; in quo, etiam in adultis, in quibus clauditur hic aditus, ſanguinis coagulati magna quantitas ordinariè reperitur. Et cur quæſo, hunc potius ductum præficimus ſanguini ex uno ventriculo in alterum commeanti, non enim ſic refrigerabitur magis, quam ſi per ſeptum iret? cumque per univerſum corpus ſanguis ex arteriis transfundatur in venas, quid dubitamus idem de pulmone concedere? Mecum facit *Cl. VValæus Epiſt. prima de motu chyli & ſanguinis*, qui videatur. Cum Botallo conſentit *Cæcilius Folius*, medicus Venetus, & contendit, non tantum apertam manere hanc anaſtomoſin, ſed præterea fingit adeſſe exigua quædam foraminula, per quæ tranſit ſanguis, dum occaleſcit anaſtomoſis, & minori materia eſt opus. Tacite namque innuit, non eſſe hanc viam ſufficientem pro traducendo ſanguine, aliamque inſuper deſiderari: quod nos contendimus, non negantes poſſe, ſed rariſſimè tamen, in adultis

nibus verò aliquibus flexuoſus reperitur, & veluti valvulis utrinque, vel ſaltem ad ſiniſtrum latus, munitus: in aliis verò non minus conſpicuus quàm in ſupradictis brutis. Hinc fit ut interdum (quod ſubinde diligentius obſervavi) ſanguinis aliquid coacti, in ſiniſtro cordis humani ventriculo offendatur, in dictis vero brutis ſæpiſſime vel ſemper. Hæc obiter dicta ſint monitionis gratia, non ut Galenum, vel Veſalium, Columbumve, vel alios, ſi qui ſint, qui probè de rebus anatomicis ſcripſerint, redarguere putemus: nam iis ſanè nos, ſimul & tota poſteritas, plurimum debemus. Verùm accidit interdum, ut quicquam in quavis arte à minus exercitato retegatur, quod ab exercitatiſſimis non fuerit antea cognitum.

LEO-

tis ſervari apertam hanc anaſtomoſin.

Dicam tribus verbis de altera conjunctione venæ arterioſæ cum arteria magna, quæ fit extra cor: cumque *hæc vaſa inter ſe aliquantulum diſtarent*, ait *Galenus l. c. natura aliud tertium vas, quod utrumque conjungeret, effecit*: canalem videlicet arterioſum, idque in eum finem, ut ſanguinis in dextro ventriculo elaborati, (cum totus ad pulmones tranſmitti non deberet, excepta exigua portione, pro iiſdem nutriendis neceſſaria) ſuperfluum, aortæ infundi commodè poſſet. Plura vide apud *Barthol. l. 2. c. 8.*

(o) De

# LEONARDI BOTALLI ADMONITIO

## *De Fungò Strangulatorio.*

QUEMADMODUM in militia ſpeculatoribus ac præcurſoribus nulla eſſe legitima excuſatio poteſt, quominus luſtratas inimicorum inſidias præfectò ocyſſime retegant: ita neque medico, ubi quicquam quod humano generi obeſſe aliqua ex parte poſſit, compertum habuerit, locus aderit juſtæ cavendæ culpæ, idipſum ſi in medium ferre diſtulerit. Non injuria igitur, imo quidem non citra frugem, hæc brevis admonitio huic noſtræ opellæ erit addita.

§. 2. Non equidem hîc fungorum omnium naturas, ſpecies (o) & cætera ad hos ſpectantia exarare ſtatuimus, ſed obiter unum tantum genus, maxime omnium peſtiferum, & ad

(o) De fungorum natura & ſpeciebus peculiarem tractatum edidit *Cluſius*, ſubjunctum ejus Hiſtoriæ rariorum plantarum. Summa eorum diſtinctio eſt in Eſculentos & Pernicioſos ſeu Lethales. Ex poſteriorum genere eſſe *Strangulatorios* Botallo dictos, dubium non eſt, qui tamen, præterquam quod in ingens diſcrimen hominem conjiciant, peculiari inſuper modo hoc agunt, ſuffocationem inducendo. Hoc vero etiam aliis ſimplicibus commune eſt, ut de ſemine ſtaphidis agriæ teſtatur *Dodonæus l.* 12. *c.* 10. de Colchici bulbo. *l.* 14. *c.* 34. *de Viſco. l.* 29. *c.* 3. In genere verò de omnibus pernicioſis fungis hoc aſſerit *Dod. l.* 15. *c.* 24. Quænam ſit facies aut figura hujus fungi, exactè definire non poſſum, quantùm verò ex Botalli deſcriptione liquet, erit ea, quam depingit *Dod. l. c.* & *Cluſius in appendice litt. D.*

 (p) Hip-

ad ſuffocationes ſeu ( ut ajunt ) ſtrangulationes inducendas promptiſſimum, declarare. *Facies fungi ſtrangulatorii.* Conſtat autem hoc duplici parte, pediculo ſcilicet, & tegula ſeu pileolo. Aſt ſicuti cæteris fere omnibus tegula convexa eſt ſuperiore parte, in hoc concava reperitur, ut aquam contineat dum pluit; inferiore verò tota pectinatim inciſa, colore eſt lacteo, lacque edens, quacunque parte dividatur, acerrimum, atque etiam ad ſuffocationem faciendam promptiſſimum, quamvis non devoretur, ſed tantum ſummitas linguæ intingatur; ſimilem etiam effectum præſtans momentum crudi fungi, puta ad magnitudinem ciceris manſum, non tamen devoratum, adeo ut tithymalli acrimoniæ nulla in re cedere videatur. Quamobrem credendum eſſe puto, Pauſaniæ *5. Epid. 90.* filiam ( de qua Hipp. meminit, cùm dicit, ex fungi crudi eſu anxietas tenebat, ſtrangulatio, dolor ventris, aquam mulſam calidam bibere ac vomere profuit & balneum ) ab hoc genere fungorum fuiſſe affectam: forte etiam *l. 22. c. 22.* & familias, de quibus Plinius & alii ſcriptores narrant.

§. 3. Jam jam tertius appetit annus, ex quo *Hiſtoria.* non longe à Rothomago, generoſiſſima ac ſplendidiſſima familia quædam, poſt eſum fungorum omnes illico in labores inciderunt, nempe in vomitus graviſſimos, alvi fluores ac animi deliquia, quæ ſymptomata non parum ſuſpecta patientibus ſe præbebant: tandem citra ullum noxæ veſtigium, poſt paucas horas, ſolo naturæ officio ( nam in agris erant à

medi-

medicorum pharmacopolarumque præſentia remoti) liberati ſunt. Quam rem cum hi poſt aliquot dies mihi exponerent, dicerentque ipſoſmet fungos collegiſſe in campis, ſtatim poſtulavi, num tales eſſent, quales ſuperius notavi: annuerunt, locumque dixerunt unde orti eſſent; quo in ſolo & ego aliâs non paucos id genus videram, multiſque nobilibus horum virulentiam patefeceram.

§.4 Locus autem erat agreſte ambulacrum, quercubus raris conſertum, non admodum umbroſum, nec humens: nam facilè ſimilibus in locis naſcitur, præcipue etiam juxta itinera, & nemorum margines, quas non diuturna umbra vel humor fovet multus. Reperitur autem à medio vere ad medium uſque autumnum: verùm autumno frequentiſſimus eſt, ut cætera etiam genera fungorum. Abundat in Italia ac in tota Gallia. ſunt qui mihi dixerunt, ſe ex iis plerunque & abundè comediſſe citra injuriam, qui tamen cum meo conſilio ex crudo deguſtaſſent, coctos attingere ſubinde non audebant. Fieri tamen poteſt fortè, ut ab elixatione eſculenti reddantur, acrimonia congenita reſoluta, non ſecus atque alia omnia acria quæ ebullitione & diutina maceratione miteſcunt. Sed hac in re putarem ſatius eſſe ab iis abſtinere, niſi aliorum ciborum extrema penuria cogeret. Sed plura de cæteris aliàs. Cæterum hæc, veluti per tranſennam, & amicæ tantùm monitionis gratia, dicta ſint, quæ facile tacuiſſem, ſi quenquam ante me de hujus pravitate aliquid ſcripſiſſe *Locus natalis.*

 intelle-

intellexiſſem. Itaque hoc noſtrum breve amicumque monimen æqui bonique facite.

# LEONARDI BOTALLI
## DE INCIDENDÆ VENÆ, CUTIS SCARIFICANDÆ,
### *Et hirudinum applicandarum, modo.*

*Cauſa cur errores committantur in ſectione venæ.*

ETſi parvæ induſtriæ eſſe videatur aperiendæ venæ ratio, frequenter tamen accidit, ut ea variis modis artifici negotium, & patienti laborem non exiguum faceſſat, vel quia artifex opus ipſum non aggreditur, vel aggreſſum ad finem avitum non perducit.

§. 2. Dum non aggreditur, id fit, vel quia vena ferienda nullo modo ſeſe offert, vel oblata à tonſore non percipitur. Ex quibus, ut primum liberat artificem à culpa; ita alterum illius arguit imperitiam, aut ſenſuum ignaviam. Interim etſi non inire negotium oblata occaſione, artificis induſtriæ exiguitatem detegat, benignè tamen is excuſandus erit, & propemodum laudandus: cum præſtet nihil aggredi, quam trepide aut temere quicquam alieno periculo tentare vel audere.

§. 3. Quùm verò opus init, & optato fine non

non potitur, id accidit, aut quia vena intacta fuit, aut tacta quidem, ſed non ut conveniebat. Fuit intacta, aut quia ea non ſuberat, aut ſubditam ſcalpellum non attigit, aut tactam non ritè diviſit. Quidquid horum evenerit, abſurdum id eſt, & alienum ab arte: niſi id contingat ægri culpa membrum ſubducentis operis initio. Si verò artificis imperitia peccati cauſa ſit, id erit, vel quia vinculum laxius, aut alio modo incongruè accommodatum eſt, cujus occaſione vena cohiberi aut firmari non poteſt, ſed labilis ex contactu aufugit tonſorem ludens: aut non repletur neque turget, ſed mollis concidit, ferro non reſiſtens: aut quia obtuſa eſt ferri acies, vel quia inepte ferrum impellitur.

*Ex parte ægri.*

*Ex parte artificis.*

§. 4. Malè dividitur, cum anguſta inciſio eſt, aut nimis ampla, aut non reſpondens cutis inciſioni. In largiore ſectione metuenda eſt ſanguinis effuſio per ſomnum. In anguſta, præter id quòd ex animi ſententia ſanguis non trahitur, tumor exoritur ad vulnus, thromboſis Græcis dictus. Ferè idem accidit, dum venæ & cutis inciſio non invicem ſibi reſpondent: quod multis modis evenire ſolet. Vel quia vinculo cutis extra ſuam ſedem ducitur: vel pollice venam cohibente trahitur: vel ferrum nimis obliquè inſeritur.

*Error, in apertione committitur, ſi Latior ſit; Aut nimis anguſta; Aut quia inciſio venæ & cutis ſibi non reſpondent;*

§. 5. Sed alia contingunt errata propoſitis graviora, dum nervi ſcilicet violantur, aut imprudenter arteria tunditur. Quæ mala hoc uno gravius ægrum torquent, quòd illi ſibi calamitatem & perniciem prodire cernat, unde ſalutem

*Aut quia nervus vel arteria vulneratur.*

ſalutem vel opem ſperabat. Quicunque igitur in hoc periti artificis famam agendo aſſequi ſtudet, ſumma cura niti debet, ut has evitet ærumnas: quod facilè præſtabit, ſi hæc paucula benignè à nobis ſcripta, & olim frequentiſſimo & fœliciſſimo uſu comprobata, æquo animo recipiat.

*Manus chirurgi ſint calentes.*

§. 6. Inprimis porrò manus artificis calentes ſunto, & æger in cubili vel ſella ſedens (ſed aptius in cubili fuerit ob animi deliquia) mox membrum luci, (p) aut lucem membro ſic tonſor adaptet, ut venæ locus adeò ſit conſpicuus, ut is, manu operi adhibita, nullâ umbrâ tegatur. Videbitur quidem multis hoc poſtremum de luce monumentum ſuperfluum fore, in eo tamen ſæpe chirurgos peccare obſervamus, & per conſequens malè operari. Deinceps ſic vinculo membrum eſt diſtringendum, ut vena impleatur, (q) & extendatur.

*Cautiones in ligatura in ficienda.*

§ 7. Sed in diſtringendo vinculo duo obſervari debent, à multis pueriliter neglecta. Primum eſt, ut manus (ſi in hac vel brachio incidenda vena eſt) aperta contineatur, donec

(p) *Hippocrates. l. de chirurgi officina* hanc de lumine ſeriò inculcat cautionem.

(q) Addam hoc, veram cauſam intumeſcentiæ venarum, poſt injectum vinculum, eſſe ſanguinem per venas ex arteriis aſcendentem & à ligatura, veluti repagulo, cohibitum. Ut fusè docuerunt *Harvejus Exer. Anat. de motu cordis & ſang. c. XI.* *VValæus* Epiſtola ſecunda: nec ſatis mirari poſſum, quod, cum à tot ſeculis hoc experimentum fuerit oculis omnium expoſitum, nullus tamen in eas cogitationes, ante Cl. Harvejum, deſcenderit.

(r) Ratio

nec vinculum, ut par eſt, conſtrictum fuerit: nam ſic facilius poſtea ſanguinem foras exprimit. (r) dùm conſtringitur. Alterum eſt, ne dum id adhibetur, cutis venæ prætenſa neque ſurſum (ut plærique faciunt) neque in alterutram partem, neque alio quovis modo (s) extra ſuam ſedem trahatur. Obturat enim hæc, dum redit in locum proprium, venæ vulnus: redit autem illa ſtatim, cum vel modicè lorum laxatur. In venoſis corporibus ſanguine refertis, levis quæque tonſoris induſtria plærunque ſatisfacit, & quilibet tyrunculus eximius artifex æſtimatur: Verùm in ſanguinis exiguitate, aut venarum anguſtia, aut earum profunditate, aut inconſtantia, major requiritur induſtria, tùm in indaganda & dignoſcenda vena, tùm in ea retinenda, tum etiam (quod eſt maximum) in ea ritè ferienda.

§. 8. Vinculo itaque appoſitè his dato, ſi vena emineat, aut viſui ſit conſpicua, aut tactui manifeſta, tam citò findenda eſt, quam primùm in ea renixus eſſe cœperit, nam cunctando obſcurior fit, quo etiam difficilius opus redditur. *In vena pertundenda.*

§. 9. Sectionis locus is erit aptior, qui tutior fuerit, & magis patens. Tutiorem dico eum, *Locus ſectionis.*

(r) Ratio hujus expreſſionis petenda eſt, tum ab intumeſcentia muſculorum brachii, tum à conatu quem in claudenda manu adhibemus, à quo cordis motus augetur.

(s) Huic incommodo ut occurrant chirurgi Neapolitani, ſolent duplici adhibita ligatura ita ſecandam venam conſtringere, ut loco moveri, lanceolamque ſubterfugere, vix poſſit.

(t) Præ-

eum, qui longius abeſt à nervis & arteriis: patentiorem verò magis exertum, aut manifeſtum.

*Si vena latet, fovendus eſt locus.*

§. 10. Quòd ſi dato vinculo, & leviter perfricato membro, adhuc vena lateat, ad calida lintea & fotum ex aqua calida recurrendum eſt: per quæ niſi deprehenditur, vix alio ingenio palam prodibit. Quare neque ibi ſorte ferrum inſeri, ſed proximior (t) vena aliqua, ſi turgeat, aperiri debet.

*Anguſta ſectio dilatanda.*

*Et quomodo.*

§. 11. Succuritur anguſtæ ſectioni ampliatione vulneris, ita ut obturationi aut ſtipationi ſubvenitur amotione ejus, quod obturat aut ſtipat. Verùm in emendanda anguſtia major requiritur induſtria, quàm ſi nullo pacto vena prius tacta fuiſſet: propterea quòd inter cutem & venam ſanguis continuò diffunditur, qui cutem altius pellendo à vena disjungit. Ergo ubi primùm in hac cutis ad vulnus in tumorem aſſurgit, ea illicet pollice miniſtræ manus molliter præmenda eſt, ut currentis ſanguinis impetus retundatur, & inſurgens tumor deprimatur: mox digitus ſenſim tantiſper retrahendus, dum vulnus pateat, & operatrici manui ſeu ferro, præbeat operandi ſpatium. Inde leviter & cautè ſcapellum in primam ſectionem immittendum, & inciſio tantùm augenda, quantùm à juſto modo prior ſectio defecerit. Animadvertendum tamen in hac operatione eſt, ne cutis tantùm (quod ſæpiſ-

(t) Præſertim cum poſt detectum ſanguinis circuitum, delectus venarum amplius locum non habeat.

(u) Non

ſæpiſſimè fit) ſine vena dilatetur, eo quòd inanis eſſet & labor, & dolor. Moderatè igitur ferrum remittendum eſt uſque in ipſius vaſis capacitatem, vulnuſque ex arte ampliandum quantùm ſat fuerit. Si verò à cutis recurſu ſanguinis effluxus prohibetur, hæc blandè in eundem locum reducenda eſt, in quo erat, dum pertuſa vena fuit, quo ejus & venæ diviſio ſimul conveniant, ibique detinenda, donec ex arbitrio ſanguis exierit. *Si cutis fluxum prohibet.*

§. 12. Sed accidit etiam, ut cutis, vel potius totum id quod ſupra venam eſt poſitum, venæ vulnus obtegat, quod tamen à ſua ſede non fuerit abductum: Idque evenit, dum in venam altiuſculè poſitam, chirurgus nimium oblique ferrum inſerit, nec cuſpidem attollit, ſed id per eandem viam, qua inſeruit, reducit. Quod dum accidit, ut ſanguis fluat (ſi ſatis diviſa vena eſt) ſummo & perquam tenui ſpecillo, aut aciculæ capite intromiſſo, cutis ſublevanda eſt, aut vena eodem ſpecillo, vel acu leniter deprimenda, uſque dum ſanguis prò libitu emanaverit: nam eo modo, vel vena à cute, vel hac à vena parum disjuncta, via ſanguini traditur. *Alius error in aperienda vena.*

§. 13. Detracto ſanguine ut convenit, & loro reſoluto, venaque utrinque molliter expreſſa, ſeu exgurgitata (ut chirurgorum vocabulo utar) quominus oræ vulneris inter ſe dehiſcant, aptiuſque conjungantur, pollice miniſtræ manus ad alteram ſectionis extremitatem (ad infimam facilius ſiſtitur) poſito, cutis trahenda eſt ſecundum vulneris rectitudinem, *Quomodo vulnus ſit claudendum.*

nem, & pulvillus parum denſus ex linteo vel goſſipio ſuperdandus concinneque vinciendus, ne ultro ſanguis profluat, nec nimia conſtrictione vinculi membrum doleat. Quod ſi ſanguis ægrè detinetur, vel ob ejus tenuitatem (ut ſæpe evenit in ſanguine valde ſeroſo) vel ob ampliorem ſectionem, tunc pollice & indice, vel medio ſiniſtræ manus, cutis ad utramque ſectionis extremitatem utrinque trahenda eſt in rectam lineam cum ipſa ſectione, & ſic ſanguis cogitur: vel, ſi lubet, pollice & indice non ad vulneris capita, ſed ad latera appoſitis, oræ ſunt conſtringendæ. Primus tamen modus, dum locum habet, præſtantior eſt & operi accommodatior.

*Quid vulneri imponendum.* §. 14. Retento itaque ſic ſanguine, & oris vulneris concinne inter ſe conjunctis, pulvillus ex tela (u) aranea, aut (quod tutius eſt) media faba, vel (quod eſt omnium præſtantiſſimum) gleba boli armenæ, in ſpeciem dimidiæ fabæ, aut dimidiæ avellanæ reducta, vulneri vice pulvilli ſuperdanda eſt, quæ molli pulvillo linteo vel goſſipino obtecta, ſic arte vincienda, ne nimia adſtrictione lædat, aut laxitate inopinatæ fluxioni præbeat occaſionem. Quibus rite peractis, vitandus erit omnis corporis labor, & membri motus. Poterit hoc noſtrum monumentum à multis contemni, ſed certè ab iis, quibus ægrotantis vita parum chara eſt, cum quandoque mori homines ex hac

(u) Non eſse ſatis tutam applicationem telæ araneæ, cũ ſit veneñoſitatis particeps, teſtantur Autores nonnulli.

(x) Aneu-

hac negligentia videantur. Quare cum ſuo pondere aut mole, una faba aut boli gleba, chirurgum aggravare non multum poſſit, ea vacare non deberet is, qui in mittendo ſanguine frequens eſt.

§. 15. Si verò inciſa arteria propoſita arte cohiberi non poſſit, nihil æquè conducit ac tutius ægrũ ſervat, quàm obductas & egregie adjunctas (x) ſectionis oras, dicta gleba obtegere, & ex induſtria vincire, mox manu item blandè & jugiter retinere & premere, donec illa coïerit, quæ cura interdum in dies aliquot adhibenda erit. *Quid faciendum, ſi arteria ſit vulnerata.*

§. 16. Diximus hactenus quomodo ſit ocurrendum ſanguini ultrò fluenti, & moderanda venæ ſectio ineptè facta, & quot modis in ea peccari ſoleat, & qua arte pars dictorum errorum caveri poſſit. Reliquum nunc eſt, alia perſequi, quæ profecto ignorari operæ precium non eſt, ut quomodo inopinata arteriæ ſectio, aut nervi, aut tendinis punctio vitanda ſit, quot ſint ſectionum & ſcalpellorum convenientium genera: qua arte ferrum adigendum, & alia quæ ſubſequentur.

§. 17. Scire itaque licet venas, quæ medica inſtitutione tundi ſolent, nuſquam arterias, aut nervos, aut tendines, habere ſupra ſe poſitos, neque etiam pari altitudine cohærentes, ſed quidem infra pluribus locis, non autem omnibus, quod (præter eam fidem, quam

(x) Aneuryſmatis ab arteriæ ſectione exorti & per compreſſionem ſanati, teſtes ſunt *Hildanus. cent. 3. obſ.* 44. & Ampliſſimi. *Tulpius. l.* 4. *obſ.* 16.

quam artifex ex cadaverum diſſectione conſequitur) facilè conſpicitur in viventium manibus, pedibus, poplitibus, cubito & aliis corporis partibus. Ex quo patet, qui arteriam, nervum, aut tendinem ſimul cum vena pupugerit, altius ſcalpellum inſeruiſſe, quàm pro ſanguine mittendo eſſet neceſſarium: cum ad requiſitum munus ſat foret, venam ſuprema ſui parte, quæ cuti eſt proxima, vel à latere eſſe diviſam; non altius impreſſo ferro utrinque perfodi.

§. 18. Ægrè ſane nervus, qui in hoc opere ſauciari ſolet, decernitur, antequam ſit læſus, ac ne alius uſquam in toto corpore, quod intellexerim, lædi conſuevit, præterquam is, qui in medio (y) cubiti flexu ſub vena communi jacet. Verùm tendines, propter eorum frequentiam & magnitudinem, crebrius quidem attinguntur, ſed minus (z) etiam habent noxæ & periculi, quam nervus violatus. Læduntur hi interdum ſorte, dum profundius ferrum adigitur, interdum dum tonſor, ſpecie rei ſubjectæ deceptus, tendinem vice venæ ferit. Aſt; ut quidam ſunt, qui tendinem afficiunt loco venæ, ita ex adverſo quandoque ſubjectam venam, non viſui ſed tactui manifeſtam, dividere non audent, credentes tendinem aut nervum eſſe. A quibus difficultatibus & erroribus

(y) Qui ſub vena communi in flexura cubiti jacet, non eſt nervus Recentioribus ſic dictus, ſed tendo muſculi bicipitis.

(z) Non minus eſſe periculi læſo tendine, quàm nervo, docebit te *Aquapend. Pentat. Chir. l.* 2. *c.* XI. confer *Fallop. l. de vuln. c.* 30.

(a) Prin-

tibus nonnunquam ægros & chirurgos relevavi, ipſe interdum venam aperiendo, quam chirurgus dicta occaſione attingere non audebat; aut ferrum inſeri prohibendo, cum ſubjectum tendinem venam ille fore exiſtimaret. Extant exempla nonnulla, quæ reticere ſatius eſt, cum earum memoratio neque ad ægrotantium utilitatem, neque ad chirurgorum diſciplinam, ulla in re facere poſſit: lædere tamen quandoque alicujus animum valeat. Satis igitur ſit diſcenti, rationem habere, qua vitet erroris culpam, & rectè agendi notitiam, à nemine fortè ante nos declaratam, conſequatur.

*Quomodo nervus & tendo ſubjectus ſit dignoſcendus.*

§. 19. Cum igitur vinculum membro datum eſt, & vena eo loco, quo reperiri ſolet, evidens non eſt, ſed altius ſub cute quicquam teres percipitur, de quo ambigas an vena ſit, ſtatim vinculum laxa: nam ſic & illa laxata concidet, nec digito amplius percipietur, niſi denuò reſtricto membro. Igitur ſi id, quod tetigeris, tam loro revincto, quàm reſoluto, eandem ſpeciem referat, crede abſtinendum eſſe à ferro, cum id non vena ſit, ſed tendo, vel muſculi caput, vel aliud præter venam. Micant verò arteriæ cutemque pulſant, ubi ſunt: per quod & locus & profunditas earum, vel modicè exercitato artifici, declarantur.

*Arteriæ ſubjectæ cognitio.*

*Animi deliquio quomodo occurrendum.*

§. 20. Incidit frequenter circa venæ apertionem animi deliquium, quod præſentibus, imo & medicis parum exercitatis, majorem metum, quàm ægris damnum inferre conſuevit. Id tamen non artificis culpa accidit, ſed

 mollitie

mollitie animi patientis, quæ nimis promptè ſpiritus in corpore perturbat, ac penè cohibet, ex quo exſolvi animus videatur: parvo tamen momento id præcavetur; nempe ſi æger ſtratus jaceat, & liquorem aliquem, aquam puta, aut vinum, ore contineat, dum vena pulſatur & ſanguis fluit. Si nihilominus præhendat, retento ſanguine pollice vulneri adhibito, facies frigida aqua illico reſpergatur: ſi longius pergat, etiam & nares trahantur, quo ſoluto abductoque pollice, ſanguinis quod ſat viſum fuerit prudenti artifici, detrahatur: non autem cohibeatur, ut à nimium formidoloſis fieri ſæpe ſolet. Quod ſi ſedentem corripiat, eo modo ſubveniendum eſt, quo ille potuiſſet præſervari: protinus is accuber thoro, vel leniter humi ſupinè ſternatur, reſperſa facie frigida ut dictum eſt: facile enim ejus adventum cognoſcet artifex, ſi patientis vultum intueatur, aut pulſum obſervet: ille enim palleſcit, hic rhythmum variat. Sed ut facilè percipitur, & à tam levi occaſione concitatur, ita neque ægrè diſſolvitur, neque non facile patiens ab eo correptus, in priſtinos ſenſus reſtituitur. Licet in ejus acceſſu nonnullis terrificas totius corporis jactationes, palpebrarum & labiorum everſiones, & alia id genus advehat, quæ tamen citò evaneſcunt. Quod equidem non fit in eo animi deliquio, quod ſuperfluas inanitiones conſequitur.

*Quæ ſit figura ſectionis.*

§. 21. Nunc dicendum de ſectionis forma & ſecandi modo. Formam dico pro ratione poſitionis ipſius, etiam & magnitudinis. Perque

que hanc dicimus ſectionem vel amplam, vel anguſtam, vel mediam. Per illam verò vel transverſam, vel obliquam, vel ſecundum vaſis longitudinem factam. Melior longa quàm transverſa. Obliqua optima & factu facilior. At ratio faciendi hoc vel illo modo, quamvis facilius percipi à diſcente poſſit unica operis egregiè facti inſpectione, & obſervatione, quàm clariſſima lectione decies repetita: quia tamen quilibet diſcipulus peritum doctorem habere non poteſt, & lectio rectè percepta nonnihil etiam acceſſionis habet ad manum inſtruendam, de his propterea nunc aliquid dicere non erit abſonum. Subjecimus iccirco, anteque oculos poſuimus dictarum ſectionum ſchemata, vel ſimilitudines, peculiari tabula ſub finem hujus Tractatus.

*Et magnitudo.*

*Optima ſectio quæ ſit.*

*Vide infra Fig. 1.*

§. 22. Itaque membro, arte ſuperius dicta, loro conſtricto, & vena vel viſui vel tactui tenſa apparente, ea ſtatim ferro aptè acuminato erit aperienda. non punctim, veluti ad perpendiculum ſcalpello repentè inſerto (ut multi faciunt, qui in celeritate operis nimium ſunt præcipites) ſed obliquò modo & temperanter immiſſo. Qua perforata, ferrum non retro deducendum eſt, qua prærupit: ſed repentè acies attolenda, cauda ferri depreſſa: id Chirurgi, & non impropriè, appellant elevationem facere. Quod ut commodius efficias, ferrum extra digitos, quibus retinetur, juſto quodam modo prominere debet, puta ad longitudinem longioris fabæ: quam menſuram non propterea extare oportet, ut tota

*Quo modo ipſa ſectio ſit perficienda.*

impellatur, ſed ut aptius res peragatur, quod fieri vetat nimium contracta & brevis. Ad hoc præterea maximè facit, manum magiſtram, dum operatur, non penſilem eſſe, ſed fultam reliquis ſcilicet digitis, ferrum non continentibus, ſubjecto membro innixis.

*Repentinus ictus periculoſus.* §. 23. Eſt repentinus ictus propterea damnandus, quia præter id, quòd ſæpiſſimè deludat artificem, plenus eſt etiam periculi violandi nervi, vel arteriæ, eo quod nullo certo termino aut modo hæc momentanea adactio librari poſſit.

*Obliqua ſectio optima.* §. 24. Quòd ſi obliqua pertuſio non placet, in longum etiam findi vena poterit, necnon in tranſverſum. Verum quemadmodum obliqua aliis eſt præferenda, ita & tranſverſa reliquis eſt poſtponenda. *Lata ſectio qua.* Lata ſectio dici poteſt, cum latior eſt quam ſit neceſſum ad liberam ſanguinis effluxionem. *Anguſta.* Anguſta, cum eſt ſtrictior juſto, & in hac ſtatim tumor aliquis inſurgit. *Mediocris.* Mediocris verò ea, per quam ſinè ullo tumore & ſuperfluo vulnere liberè ſanguis exit.

*Chirurgus ambidexter eſſe debet.* §. 25. Ut hæc omnia congruè & ritè peragantur, ambidextrum artificem eſſe convenit, eo quod dextrum patientis brachium, dexter & domeſticus malleolus, & ſiniſtrum tempus dexteram artificis manum poſtulant: ſiniſtram vero partes oppoſitæ. Poſſunt tamen omnes venæ aperiri vel dextra manu, vel ſiniſtra, ſi alterutram duntaxat artifex peritam habeat: Sed ſanè non æquè accommodatè. Quare bonum chirurgum decebit, utramque manum frequenti uſu exercitatam & promptam *Celſus præfat. l. VII.*

ptam

ptam habere, non ad ſecandas venas tantum, ſed & alia muneri chirurgico oportuna, quæ vix rectè fieri poſſunt altera manu ignava exiſtente.

§. 26. Scalpellorum genera, quæ ad hoc negotium uſui eſſe novimus, in duplici ſunt differentia, alterum apud Germanos & Helvetios tritum, & uſitatum: alterum in Italia, Gallia, & Hiſpania vulgatum & familiare. *Imagines ſpecta in fine hujus libri.* Primum ſanè habet aciem ad imum ſpectantem: & manubrium, quod inter indicem & pollicem miniſtræ manus, dum pulſanda vena eſt, prehenditur, & accommodata acie obliquo modo ſuper locum venæ eminentiorem, dorſum ejus vel pollice illiditur, vel adverſo medio vel indice digito, talitro intro pulſatur. Quod inſtrumenti genus, & utendi ratio non admodum approbanda ſunt: eo quod in ejus uſu fallacia multa ſit, & periculum non exiguum feriendi nervi, aut tendinis, aut arteriæ, ſi venis tundendis hæreant: propterea quod ad unguem (ut jam diximus) nulla repentina impulſio moderari poſſit. Aliud ſcalpelli genus ſimile huic præ ſe fert ſpeciem, quæ mucronatum gladiolum utrinque aciem habentem repreſentat; quod item, niſi exactiſſima cuſpide ſimul & acie fuerit donatum, præter id quod ſæpe venam non aperit, maximo dolore ægrum afficit: cùm ſic non ſcindat, ſed laceret.

*Scalpellorum quot ſint genera.*

*Figurâ ſecunda.*

*Figura tertia.*

§. 27 Variæ ſunt plagæ in humano corpore, multipliceſque venæ, ex quibus medico conſilio ſanguis mitti ſolet: quarum, etſi li-

bello de curatione per ſanguinis miſſionem maximam partem numeraverimus, obiter tamen eas hîc recenſere non pigebit. Sunt itaque in fronte, una ad utrumque tempus, quæ ſæpe biſſulca eſt, una in media fronte, quæ item interdum biſſulca, interdum triſſulca eſt. Secus aures & ad naſum juxta magnum oculi angulum una. Verum ex naſi ſummitate interdum ſanguinem miſimus non inutiliter, immiſſo ſcalpello intra utramque cartilaginem, ad longitudinem grani peponis, unde ſanguis guttatim tantum manat. Duæ ſub lingua. Jugulares etiam duæ, quæ interdum etiam adjunctos ſurculos edunt. Sectio tamen aut nunquam in (a) uſu fuit, (licet plærique ſcriptores eam commendent) aut penitus obſolevit: cum neminem viderim medicorum eam imperare neque chirurgum aperire: non quod ægrè

*Vena aperienda quæ ſint, & ubi ſita.*

*Jugulares an ſecandæ.*

(a) Principum autorum teſtimonio comprobat M. A. *Severinus Effic. Chir. part.* 2. c. 16. Iugularium Venarum ſectionem, nec fictam eſſe, nec obſoletam, ſed à multis celebratam fuiſſe ad varios affectus, utpote in ſuffocanti angina, apoplexia, ſimilibuſque: imò memini, anno 1644. non ſemel, me præſente Clariſſimoque *Th. Bartholino*, Neapoli feliciſſimè ab eodem viro fuiſſe peractam. Vanus etenim metus eſt, ob quem ab earundem ſectione abhorrent multi, quaſi propter vaſis magnitudinem, viciniamque tum arteriarum tum nervorum, in vitæ diſcrimen æger adduceretur, & ſanguinis effluxus cohiberi nequiret: Docet ſanè anatome, nihil eſse à vicinis vaſis periculi; occludique eas facillimè, impoſito glutinante emplaſtro, teſtatur experientia. Sola difficultas ſupereſt, quod non innitantur carni ſubjectæ, ſed glandulis mollibus incumbant; verum huic earum mobilitati occurrit artificioſa ligatura: qua adhibita, patébit, ſupra ligaturam ſectionem eſse faciendam, non, uti in brachio & pede, infra eam.

(b) Quæ

ægrè aut difficulter aperiri poſſint, ſed quia timenda eſt exundans ſanguinis emanatio. ſi tamen quis ea uti velit, ſit manus tonſoris tuta, quæ non amplum foramen faciat, ſed moderatiſſimum, neque ſubjacentem arteriam offendat. Tres in brachii plicatura, quarum baſilica ſeu hepatica ſæpe eo loco in varios ſurculos finditur. Hæc in ſiniſtro brachio ſplenitica etiam dicitur. Cephalica ſeu vena capitis eodem flexu exiſtens raro geminatur. Communis ex cephalica & baſilica oritur, quæ & media, purpurea, & nigra etiam dicitur. Editur ex hac ea, quæ funis brachii dicitur, à qua & (b) ſalvatella ad annularem digitum, & altera, quæ ad pollicem fertur, oriuntur. In pene una, interdum duæ. Ad poplitem (c) & utrunque malleolum una, quæ ubi non reperiuntur, juxta finem ſuum perquiruntur, nempe juxta digitos pedis ſuperiore parte. Ex quibus omnibus ſi ea, quæ perquiritur, haberi non

*Funis brachii.*

(b) Quæ Latinè ſalvatella dicitur, Arabibus Seylen eſt, cujus apertio in morbis melancholicis ſpleniſque affectionibus celebratur à Viris doctiſſimis, interque alios à *Spigelio de corp. hum. fabr. l. 5. c.* 7. ubi cauſam ſucceſſus ex Anatome conatur reddere: & Clariſſ. *Io. Ant. vander Linden ſelect. Exercitat.* XIII. §. 4 23. Quid verò de toto negotio ſtatuendum ſit, fusè docet *Severinus* libro peculiari, quem *Seilo - phlebotomen* inſcripſit.

(c) Venæ poplitex ſectionem commendat ſerio *Severinus Eff. chir. p.* 2. *c.* 26. quam à ſe inſtitutam ſæpiſſimè profitetur *Petr. Paulus Magnus Placentinus l. de Phlebot. c.* 16.

Non meminit hoc loco Botallus quicquam de arteriarum ſectione, quam tamen felici cum ſucceſſu & olim, & hodiè à ſe inſtitutam fuiſſe, docuit *Severinus l. cit. Tit. de Arteriotomia*; & ego oculatus ſum teſtis, arteriarum Temporum ſectionis, aliquoties celebratæ.

 (d) Sca-

non poteſt, vicinior capienda eſt, & ex iis quæ in varios ſurculos dividitur, latior ſemper eſt eligendus, præterquam (ut jam à nobis dictum eſt) in jugularibus.

*Vincula quomodo injicienda.*

§. 28. Vinculi, ad demonſtrandam & cogendam venam, ſpecies & uſus unus eſt omnibus membris infra cervicem poſitis, nemini non cognitus. Neque etiam obſcurus eſt alter, qui cervici datur gratia venarum quæ ſupra thoracem ſunt. Pro quibus manifeſtandis, lintea mappa cervici circumdatur, capitibus ejus in priorem partem productis, quæ ab ægro manibus capiuntur, junguntur, & in funis modum eo uſque torquentur, donec venæ ipſæ promineant: ad quod etiam facit ſpiritus retentio.

§. 29. Sed cum hæc omnia facilius viſu quam auditu diſcantur, diſcant rudes & tyrones ab exercitatis, non omnibus, ſed egregiè operantibus, quorum ſanè numerus non eſt immenſus, quamvis eorum qui venam ſecant, penè infinita ſit turba. Ex iis igitur quos novimus egregios magiſtros, & certè præſtantiſſimos, Secundum Botallum fratrem meum (ne ob ſanguinis conjunctionem meritam ejus laudem reticeam, quæ illi non in hac parte tantùm plurima debetur, ſed & in tota Chirurgiæ facultate) primo loco nominabo, poſtea Euſtachium Regis chirurgum. Non deſunt alii, qui non ineptè id faciunt: ſed profectò (quos noverimus) non tam excellenter ut prædicti.

*Autoris frater.*

§. 30. De ſcarificationibus jam & hyrudinibus

nibus aliquid agamus. (d) Scarificationum, ſeu vulnuſculorum agendorum ratio & modus unam habent univerſalem cauſam, nempe ut pars, qua infliguntur, exoneretur. Ergo pro magnitudine membri, vehementia oneris, profunditate ejus quod evocari debet, & ejuſdem vitio, frequentiora, profundiora, ampliora, aut anguſta, ſublimia, & rara, debebuntur; eo quod rara, parva & cutanea, conveniant morbis non altius inſitis neque gravibus: fortioribus verò alia, ut in gangræna, de qua libro de vulneribus ſclopeſorum.

*Scarificatio quomodo molienda.*

§. 31. Nulla corporis pars ſcarificatu debet eſſe immunis, quæ gangræna tentetur, aut veteri inflammatione opprimatur. Fiunt quandoque, ubi neque gangræna neque inflammatio eſt, ſed futura timetur, ut in morſibus vel ictibus venenatis, puta aſpidis, ſcorpii aut aliorum venenatorum, quibus nulla res magis congruit, quàm repente ſcarificatio adhibita in ipſamet punctura, vel morſu, etiam & proxime puta ad duo, vel tria, vel ad ſummum

*Et in quibus caſibus conveniat.*

quatuor

(d) Scarificatio definitur, cutis & ſubjectæ carnis per ſcalpelli diſſectio, multis foraminibus facta. Adminiſtrandi modus duplex eſt apud *Oribaſium*, vel enim κατὰ πληγὴν fit, id eſt, verberatim & punctim, vel κατὰ συρμὸν, h. e. per tractum & caeſim. Ad priorem modum aptiſſimè adhibetur phlebotomum Germanorum, qui cæteris nationibus in puncturis palmam præripiunt: poſterior modus lancetta aut novacula commodius perficitur, de quo vide *P. Alpinum l. 3. de med. Ægypt. cap.* 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Et de toto negotio conſule *Severinum lib. cit. tit. de ſcarif.*

(e) Hi-

quatuor vulnuſcula. In ſcorpii ictu ſi una tantùm ſit punctio, ſatis erit una ſcarificatio punctioni inſerta. In aſpidum morſibus, quia aliquot dentibus feriunt, aut aliis vel morſibus vel ictibus, in quibus amplius uno aculei vel dentis veſtigium comperitur, fas eſt ad quamlibet puncturam vulnuſculum dare. Sine gangræna & inflammatione, ſineque horum ſuſpicione, adhibentur ad derivationem cum cucurbitulis aut corniculis.

§. 32. Fiunt omnes ſcarificationes aptius novacula, quam ullo alio ſcalpri genere: ſed cum cucurbitulis aptiſſimum præterea eſt Germanorum phlebotomum inferius depictum *figura prima*.

*Hirudinum uſus.* §. 33 (e) Hirudinum uſus non eſt efficax auxilium gangrænis magnorum membrorum, quamvis efficaciſſimè proſit iis, quæ parvas corporis partes invadunt, ut aurium, narium, digitorum, penis & hæmorrhoidum extrinſecus turgentium aut etiam intrinſecus, quibus adhuc celerius & tutius ſubveniunt vulnuſcula impacta, quàm hirudines: ſed hæ mollibus & effœminatis (quos ipſum ferri nomen

(e) Hirudines ſive ſanguiſugæ, ſunt vermes aquatici, in ſtagnis potiſſimum degentes, ibidemque jumentorum pedibus ſe applicantes. Hinc ad medicum uſum tranſlatæ ſunt. Varium earum genus eſt; ſed virides, maculis nigris diſtinctæ, præferri ſolent. Omnes tamen alicujus venenoſitatis participes ſunt; ideoque aſſervari ſolent aliquamdiu in aqua pura, ut eam deponant. Si applicare eas velimus, non ſolum pars mundanda eſt, ſed vel lacte, vel ſanguine columbæ illinenda, interdum leniſſima ſcalptura guttula ſanguinis extrahenda; Oſcilla habent triquetra,

men terrefacit) loco ſcalpelli non rarò applicantur.

§. 34. Non agglutinantur niſi cutis ſit nitida, omnis ſordiciei & mali odoris expers: quare ſi qua parte apponendæ ſunt, in qua vel oleum vel emplaſtrum fuerit uſurpatum, ſic ibi detergenda cutis eſt, ut nihil alienum ab humana carne referat: interdum etiam & leviſſima ſcalptura, qualis adhiberi ſolet in corniculis, cuti infligitur, ut ſenſu præſentis ſanguinis hæreant. Hyberno tempore non facilè adglutinantur, niſi loco tepido ſint ſervatæ. *Quomodo applicanda.*

§. 35. Retinentur in vaſe vitreo vel figulino aqua pleno, & rectè obturato, ne aufugiant: renovanda eſt aqua ſaltem bis in hebdomade. Ad uſum ſint paratæ quocunque tempore, nempe vel ipſa die qua ſunt captæ in flumine, vel lacu, (niſi nuper ſint paſtæ nam ſic non facile agglutinantur) vel ad aliquot dies ſervatæ. Servantur enim ad menſes quatuor & ſex & plures: verum tam vetuſtæ inefficaces ſunt, vel ob famem, vel ob ignaviam, vel ob alias cauſas. Quare dum reno- *Qua ratione ſint conſervandæ.*

triquetra, quod ex vulnere apparet, ait *Geſnerus lib.* IV. *de aquatil. hoc tit.* vel potius tres ibidem aculeos, qui aliquando relicti, vulnera faciunt inſanabilia, teſte *Plinio l.* 32. *c.* 10. Sponte cadunt ubi ſanguine fuerint repletæ, ut canit *Horatius.*

*Non miſſura cutim, niſi plena cruoris hirudo.*

Tenuem eos ſanguinem trahere, non craſſum, autor eſt *Hoffmannus in paralip. officinal. cap.* 10. cæterum quibus in affectibus frequentius adhibeantur, præter *Geſnerum lib. cap.* exponit *Monfetus l.* 2. *de Inſectis c.* 40.

(f) Parùm

renovari poſſunt, ſatius eſt id fieri ſecundo aut tertiò quoque menſe. Quæ ſemel in uſum venit, rejicienda eſt: nam rarò aut tardiſſime operam ſuam iterum præſtabit.

§. 36. Ubi eſt agglutinata, ſinenda eſt donec ſponte cadat, aut ſi prius auferenda eſt, ſale aut cineribus reſperſa, cutem ſinit. Si, plusquam poſſit illa capere, detrahendum de ſanguine eſt, ima ejus cauda forfice ſcindenda eſt, non deſinit illa tamen ſanguinem abſorbere, qui per ejus vulnus effunditur: cadet tamen illa per ſe, aut ſale aut cineribus ejus dorſo appoſitis.

*Quid faciendum ubi ſufficienter ſanguinem hauſerint.*

FINIS.

*Ad. p*

re
au
ve
op

ne
ſal
pl
ſal

*Quid faciendum ubi ſufficienter ſanguinem hauſerint.*

# LEONARDI BOTALLI,

## DE CURATIONE PER Sanguinis miſſionem, LIBER.

Poſtrema Auctoris manu recognitus.

# LEONARDI BOTALLI

*Ad benevolos lectores.*

## PRÆFATIO.

*Haud ignoro, æqui lectores, fore multos, qui conſpectò hujuſce noſtri libelli titulo; aut eo tantum audito, protinus eum inutilem judicabunt: quoniam de hac materia, & ſub eodem titulo, perutilis commentarius à Galeno ſit nobis relictus. Alios verò, qui non inutilem modò, verùm etiam & temerarium nuncupabunt, utpote quòd Hippocratis interdum, & Galeni doctrinam, redarguere minimè vereatur. Verumenimverò ſi ab cenſoris animo livor & inſcitia abſint, is profectò hæc noſtra ſcripta potius cum dictis auctoribus, & aliis ſapientiæ cultoribus, & rectis artis uſibus convenire, quàm diſſentire, recognoſcet. Quandoquidem nemo ſapientum non libere fateatur, propriam opinionem prius eſſe impugnandam, & rejiciendam, quàm aliena ſententia veritatis integritatem violandam, vel occultandam. Hinc Ariſtoteles, veritatis amorem benevolentiæ Platonis, Socratis, & ſui nominis ſe præferre, multis locis declaravit. Hinc etiam ſinceriſſimus, & veritatis amantiſſimus Hippocrates, nulla affectus erubeſcentia, cauſam interitus Autonomi, Eupolemi, & aliorum aliquot ægrotantium, de quibus meminit, ſua & ſuorum ſodalium*

*negligentiæ vel ignorantiæ tribuere non eſt veritus. Quos ( ut inquit ) fortè ſervaſſent, ſi diligentius, quæcunque artis erant, in illis expendiſſent, & præſtitiſſent. Aliquando etiam Galenus, & alii plures celebres ſcriptores, ſe in Medicina erraſſe fatentur. Si igitur hi, errore ſuo recognito, ſibimet in publicam utilitatem parcere minimè voluerunt, cur nos, illis defunctis, in eadem cauſa multis hominibus exitiali, ignoſcere debemus? At ſi, re neglecta, Hippocratis & Galeni authoritas in omnibus præferenda eſt, tuenturne, rogo, illorum præcepta Medici noſtri ſæculi, qui gravidis mulieribus, & pueris quartumdecimum annum non attingentibus, & ſenibus ſexageſimum aut ſeptuageſimum excedentibus, ſanguinem mittunt? Frequentiſſimo tamen uſu compertum eſt, id fore his omnibus efficaciſſimum & tutiſsimum auxilium. Conſentiuntne præterea cum Hippocrate & Galeno Neoterici, qui fortè nos hoc loco, non minus iniquè quàm leviter, damnabunt, dum corpora eorum, quos alvi proluvies conficit, non unicâ duntaxat aut geminatâ, ſed pluribus vicibus repetitâ purgatione, laceſſunt, & conſumunt? Attamen non minus hanc Galenus in profluviis ventris arceri voluit, quàm ſanguinis miſſionem, imò pari modo utramque evacuationem dixit eſſe, tanquam infenſiſsimum hoſtem, abdicandam. Ergo ſi, quia purgatio in cita alvo quandoque utilis eſt inventa, nihilominus contra veterum ſententiam uſurpatur: Cur,*

*Cur, cum in eodem caſu apertio venæ plus illâ prodeſſe ſit cognita, tollenda eſt à præſidiorum ſerie propoſitæ ægritudini conferentium? Quanto enim ea ſit uſui, quamque efficax, non ſolum in multis fuſæ alvi generibus, ſed etiam quamplurimis aliis morbis, quibus inconſultò, & magno mortalium malo, plerique recentium, & olim præteritorum Medicorum, adverſam eſſe exiſtimaverunt, per ſequentia docebimus: inter quæ fideliter, varia artis exempla, evidentiſſimâ ratione confirmata, inſeremus, à nobis non temerè inchoata, neque infeliciter abſoluta. Aſſerentes ſine mendacio & fraude, nunquam nos hoc auxilio fuiſſe uſos indecorè, aut ex quo infelix ullus caſus ſit ſubſequutus, qui vel animum nobis aliqua peccati conſcientia ſtimulaverit, vel ægris, aut aliis (quod perceperimus) quorum patientis ſalus intereſſet, juſtam ſuſpicionem fecerit illius increpandi vel damnandi. Res certè non prudentiæ noſtræ, ſed clementiæ & benignitati ſupremi numinis referenda. Quod item ſuppliciter deprecamur, ut & his, & omnibus aliis noſtris conſiliis, inſtitutis, & operibus velit præeſſe. Viſum eſt nobis, hæc quæ jam à quinquennio continuâ oratione exaraveramus, nunc per capita partita, quò legentibus res ipſa gratior redderetur, nullâ interim in illis magis quàm in his duabus epiſtolis nuncupatoriis, mutatâ aut ſublatâ priore ſententiâ, ſed roborata potius & confirmatâ*

 *vali-*

*validioribus argumentis, & hiſtoriis ſeu exemplis ſcitu digniſſimis, auctaque multis aliis fructuoſiſſimis difficilimarum quæſtionum, ad præſentem materiam pertinentium, diſcuſſionibus, antea à nobis non expoſitis. Non quia ab eo uſque tempore nobis non eſſet in animo id faciendi ut nunc, ſed quoniam videbamur, jam ſatis multa nova de hac re in illa comprehendiſſe, niſi etiam & alia creditu difficiliora (ut veriſſima tamen) adjungerentur; ut, ſanguinis miſſionem eſſe ſenibus & gravidis mulieribus utiliorem & magis neceſſariam, quàm juvenibus & mulieribus non gravidis: Sanguinem novum, non eſſe veteri, & eo qui emittitur, deteriorem: Criſi imperfectâ, & illaudabili accedente (niſi in certò deploratis) ſanguinis miſſirnem præſentaneum eſſe præſidium: Nullo in peſtilenti morbo ſanguinis mißionem eſſe inutilem; & alia nonnulla, in quibus Medicorum vulgus imprudentiſſimè peccat. Quæ profectò non dubitamus futura Medicinæ ſtudioſis, & reliquis mortalibus utiliſſima, licet hoc non æquè verbo, ut corde, ingratos homines faſſuros, minimè dubitemus. Sed malumus multis ingratis benefacere, quàm paucos gratos; & innumeros alios, quibus neque gratitudinis neque ingratudinis nomen convenit, hoc beneficio privari. Valete. Datum Antverpiæ, Idibus Junij, 1582.*

# LEONARDI BOTALLI
## *DE CVRATIONE*
## Per Sanguinis Miſſionem
## COMMENTARIUS.

### CAP. I.

*Quo modo veteres ſanguinis miſſione ſint uſi, & in quibus morbis; & in quibus etiam non: & quid ſit Sanguis, quo modo gignatur, quoque modo ſit corpori utilis vel inutilis.*

NON ſolâ aſſeveratione eruditorum Medicinæ parentum comprobatum eſt, ſed operibus artis, quotidie ſine ulla diſſenſione confirmatur, facultatem medicam circa duo potiſſimùm verſari, videlicet circa detractionem ejus, quod in corpore exuperat, & additionem ejus, quod deeſt: quibus ſi (f) tertium, quod ſane horum medium eſt, tutelam *Hipp. l. de Flatibus. n. 3.* *Medicina circa quæ verſetur.*

(f) Parum conſentaneè principiis Hippocraticis è *l. de Flatibus* à ſe adductis, tertiam ſubjungit Botallus medici actionem, quam conſiſtere ait in tutela ejus, quod rectè à natura conſtitutum eſt. Quid enim, nonne *Hippocrates loco citato* in exemplum proponit famem, & remedium quod famem

tutelam ſcilicet ejus quod eſt à natura rectè conſtitutum, adjiciamus, nihil deliquerimus. *Ars naturæ æmula.* Quæ ſententia lucidiſſimè approbat, Medicinam undique Naturæ rectè operantis eſſe (g) æmulam, imitatricem, & miniſtram: cùm illa

famem abigit, hoc verò cibum facere dicit? Ex quo conſtare arbitror, tutelam ejus, quod rectè à Natura conſtitutum eſt, &, ut uno verbo dicam, ſanitatem, procurari per additionem ejus quod deeſt; imò etiam per detractionem ejus quod ſupereſt, ut exemplo habitus athletici clariſſimè docet *Hippocr.* 1. *aph.* 3. Fortaſſe dicet quis, *Hippocratem* famem morbum appellare? Ita eſt, quicquid enim homini moleſtiam adfert, morbus ipſi eſt. Hæc verò moleſtia modo major eſt, modo minor: ſi major, tunc morbus eſt, ut ſic dicam, in eſſe, & hominem lecto decumbere facit, habetque locum ἐν θεραπευτικῇ: Si minor, tum morbus eſt, ut ita loquar, in herba ſed homo adhuc ambulare poteſt erectus, & ei ſubvenitur per τὴν ὑγιεινὴν neque enim in hac venam ſecamus, purgamus ex *Aph.* 47. *lib.* 6. atque in illa. Niſi enim in priori caſu aliquid ſupereſſet ſanitatis, hoc eſt, niſi Natura adhuc pugnaret, fruſtra medicus ſumeret operam; Et rurſus, niſi in ſecundo caſu aliquid ſubeſſet morbi, quid opus eſſet medico, ſani enim eo non indigent *Matth.* 1x. 12. Ideoque cum corpus noſtrum non ſit adamantinum, ex *Gal.* 1. *de ſanit tuend.* 2. Sed ob ſubſtantiæ fluorem quotidiè aliquid decedat, ut in ſuo ſtatu conſervetur, quotidiano victu id reſarciendum eſt: Et cum raro aliquis tam exacta utatur diæta, quin plethoræ aut cacochymiæ aliquid congerat, cogitur medicus per detractionem lapſus iſtos parvos emendare. *Hac qui optimè facit, primus eſt medicus, ait Dictator. l. c.*

(g) Ita ſanè eſt; ars, quid facere debeat, niſi Naturæ indicio, non novit: *Natura* quippe, ut ſcitè *Hipp. l. de arte num.* 22. *oſtendit artis peritis quæ facienda ſunt.* Unde & perpetuo in hanc, ſeu magiſtram, oculos intentos habere decet. Sed ex hac Naturæ præmonſtratione tandem ars didicit ejuſdem neceſſitates cognoſcere, iiſque ſubſidia tum parare tum ſubminiſtrare, quapropter Naturæ miniſtra.

illa certè nihil amplius præſtet, aut præſtare ſatagat, quàm augere deficiens, imminuere redundans, &. quoad fieri per eam poteſt, in proprio ſtatu ſervare id, quod à natura integrum eſt factum.

§. 2. At cùm admirabilis hæc ars tam paucis comprehendatur, parvo propterea (h) tempore, & minore adhuc labore poſſe comparari, multis videri poterit. Verumtamen non ſic res habet, eo quòd maximum inter rem & verba, aut inter dicta & facta (ut vulgari (i) proverbio dici ſolet) diſcrimen intercedat. Ergo quia Medicina ex iis diſciplinis eſt, cujus vis & finis, non penes verba aut orationem, ſed penes actionem conſiſtit: Idcirco operæpretium, imò & pernéceſſarium erit, illam factitare, vel docere volenti, magis in idonea operum actione, quàm in facunda oratione, vel arguta ratiocinatione, eſſe verſatum: cùm certiſ-

*Medicina parvo temporis ſpatio addiſci non poteſt.*

*Medicina finis in actione eſt.*

*Medicus non fit legendo.*

*Hipp. l. de Arte n. 25.*

ſtra meritò appellatur, quia ipſa non ſemper quod faciendum eſt, ſe ſola poteſt, ſed opus habet juvari ab arte, quæ vel primam curationis partem adminiſtrat, ut in repoſitione oſſis luxati; vel manca inchoataque munera ipſius explet, ut cum ſuperfluas in ulcere aufert humiditates, ſine qua exſiccatione nunquam ſolutio coiret; vel ut citius peragat partes ſuas, auxilium adhibet, ut *Celſus loquitur. l. 2. c. 14.*

(h) *Galenus l. 9. M. M. c. 4.* de ſeipſo teſtatur, quod non heri aut nudius tertius, ſed ſtatim ab adoleſcentia, ad artem ſe contulerit, ac per totam vitam ejus operibus incubuerit. *Idem l. 1. Meth. c. 1.* in Theſſalum acriter invehitur, qui artem medicam ſex menſium ſpatio ſe traditurum profitebatur. atque utinam hodie, proh dolor! tales non reperientur.

(i) Proverbium Italicum eſt, *dal ditto al fatto, vi è gran tratto.*

*Hipp. l. de Præcept. n. 1. Valleſ. præf. l. 8. Controv.*

certiſſimum ſit, eum, qui ſola lectione, auditione, & meditatione illam didicerit, non aliter poſſe eam exercere aut docere, quàm aliena dicta aut ſcripta ſequendo, aut illa referendo inſtar convallium & antrorum echûs, quæ alienæ duntaxat vocis aut ſonitus imaginis eſt relatrix. Qua occaſione, egregium tyronibus monumentum memoriæ reliquit, divinus Hippocrates, dum dixit: *Inanem futuram expectationem ejus, qui multifidam dogmatum hujuſce diſciplinæ lectionem ſe poſſe conſequi ſperarit, citra exercitationis conſtantiam.*

*Lib. de Præcept. num. 10.*

§. 3. Ergo cùm ex tribus enumeratis Medicinæ partibus, illa frequentiſſimè in uſum veniat, quæ circa ſuperfluorum detractionem conſiſtit, hæcque ipſa multorum ſit generum; de ſanguinis miſſione nunc agere inſtituimus, quæ cunctis evacuantibus auxiliis, humano generi ſalutaribus, præſtat facilitate operis, toleratu, ſecuritate, utilitate, & temporis antiquitate: utpote cùm vetuſtiſſimus & eruditiſſimus Hippocrates, illam in nullo penè morbi genere omiſerit, & ejus innocentiam, & fructum, præter veterum teſtimonia, quotidianus uſus confirmet: modò ſcilicet is nullâ artificis temeritate pervertatur, aut caſu aliquo iniquo non fraudetur. nam his duabus cauſis ea debentur incommoda, quæ & triviales Medici, ignavæ plebis exemplo, reformidare ſolent, ut pallor faciei, extenuatio corporis, virium lapſus, convulſio, jactura officii ejus membri à quo ſanguis detrahitur, & id genus alia, quæ profectò ſi non ex vulgarium ingeniis,

*Sanguinis miſſio ex omnibus præſidiis præſtantiſſimum.*

*Perito medico non eſt reformidanda.*

geniis, ſed ex æquo & bono judicentur, longè minus in hac timenda ſunt, quàm in uſu pharmacorum purgantium, aut certè in ſanguine ipſo, ſuâ exuperantiâ corpus onerante & ſuffocante, vel ſuo vitio idipſum corrumpente: cùm ſanguinis ſit, corpus alere & ſuſtinere, non autem affligere & extinguere. Verùm alit tantummodo purus, qui modum non excedit.

§. 4. Ergo ſive is ita exuperet, aut inutili aliquâ qualitate ſic peccet, ut malè corpus afficiat, corrigendus eſt. Ad quod negotium nihil aptius, (ſi Hippocrati, Galeno, & ſecundis operum ſucceſſibus fides aliqua debetur) confert, quàm ipſa venæ ſectio. Contumax verò corporis decoloratio, infeſta animi deliquia, membri mutilatio, & aliæ ſimiles noxæ, quæ interdum hanc ſequuntur, non magis ipſum auxilii genus redarguunt, quam ipſum vinum, ebrietas; aut ſicarii telum, cædes, judexve: imò imperitiam, & temeritatem artificis, detractioni modum, & oportunitati animum non adhibentis, aut ruditatem tonſoris ſuum opus perperam agentis, aut ejuſdem audaciam Medici conſilium excedentis, aut patientis incuriam ſibi non recte proſpicientis, aut pravi alicujus caſûs adventum curationem pervertentis.

*Sanguinis miſſio quæ vitia corrigat.*

*Incommoda Phlebotomia unde veniant.*

§. 5. Verùm ſi horum cauſa, quæ ſanè rariſſimè contingunt, miſſio ſanguinis metum faciat, quantò magis metuenda ſunt purgantia medicamenta, quorum temerarius uſus, (quo hoc noſtro ſæculo nihil eſt frequentius, & importunius) crebrò graviſſima mala, ſæ-

*Purgatio magis metuenda quam ſanguinis miſſio.*

viſſima ſymptomata, miſerabiles denique mortes affert? Ergo quia hanc Medicorum formidinem, multis mortalibus ad hunc uſque diem fuiſſe, & in poſterum iterum futuram perniciosiſſimam, niſi emendetur, cernimus; ab arte propterea alienum minimè fore putamus, ſi eam animis excutere nitamur.

*De quibus acturus ſit.*

§. 6. Non enim plenè & abſolutè, *de Curatione per Sanguinis miſſionem*, hîc agere inſtituimus, cùm multa rectè de hac re Galenus egerit: ſed tantùm de iis dicere cogitamus, in quibus non prorſus cum Hippocrate, & Galeno conveniмus: quibus tamen in juniorum gratiam nonnulla etiam connectemus, ab iiſdem auctoribus rectè quidem propoſita & inſtituta, ſed poſtea à multis imprudenter neglecta, & improbata: quæ tamen nos cum maxima cautione, & proſpero eventu, crebris experimentis comprobavimus. Fuerunt quidem Hippocrates & Galenus in mittendo ſanguine longe liberaliores, quàm eorum poſteritas fuerit; interim tamen aliquando, ab hoc auxilio, non ſine magna artis & languentium injuria, receſſerunt.

*Hippocratis & Galeni ratio mittendi ſanguinis.*

*Hipp. ferè in omni morbo ſanguinem miſit.*

*l. 2. c. 10.*

§. 7. Porrò quàm id magni fecerit Hippocrates, facilè ex ejus ſcriptis (k) colligitur, quibus docet, ſe in omni propemodum morbo, veluti ad ſacram anchoram, ad illud confugiſſe: quod tamen Celſus minime obſervaſſe videtur, dum dixit: *Sed, nullum penè morbum eſſe, in quo non mittatur, novum eſt.* Tacebo

(k) Præcipuè libris de *Vict. rat. in acutis.*

(l) Con-

cebo quòd ea familiariſſime ſit uſus in ardenti febre, angina, pleuritide, peripneumonia, volvulo, in qualibet inflammatione, in urinæ difficultate, in ſputo, & rejectatione ſanguinis, in doloribus capitis, tam vetuſtis quàm nuper natis, in cerebri tumore, in ictero, tam nigro, quàm flavo, in hepatico & ſplenico affectu, in articulorum & aliarum corporis partium doloribus, in gingivarum tumoribus, in lippitudine, in vulneribus ex quibus multus ſanguis non fuerit profuſus, in luxationibus, in fracturis, in virginibus quæ percelluntur, in conceptus & partus auxilium. quibus in affectibus vix quiſquam noſtri temporis (quamvis parcius) eam non recepit, ſed etiam in aliis multis, in quibus magna Neotericorum pars, tanquam adverſiſſimam aſpernatur, ut in flatuoſa (ut Cornarius vertit) ventoſitate, in convulſione citra febrem, in vocis ſubita amiſſione, in hydrope graviſſimo, & aliis, de quibus dicemus, ubi prius obiter egerimus de ſanguinis materia, ejuſdemque generatione, & fine. *Vide 2. Epid. ſ. 5.*

§. 8. Eſt enim ſanguis humor calidus & humidus, aut, ſi placet, temperatus, nam utraque dicta temperies de eo dici poteſt, quamvis diverſis rationibus. Ejus materia eſt electior ciborum pars, ſeu craſſiuſculus ſuccus, qui à ventriculi & inteſtinorum venis attractus (hunc Medici chylum nuncupant) & ad jecoris cavum delatus, (1) in ſanguinem verti- *Sanguis quid. & generatio ejuſdem.*

(1) Condonandum eſt autori noſtro, quod in ſanguinem verti chylum ſcripſerit, intra parenchyma Iecoris, licet

vertitur, eo modo quo fit lac ex ſanguine in uberibus recepto. Is inde in magnam venam, gibbo jecoris adnatam, transfuſus, per omnem corporis partem, alimenti cauſa, demandatur. At quemadmodum ventriculus ingeſtum per œſophagum cibum, &, quatenus per eum licet, confectum aut coctum, protinus deponit in ſubjecta inteſtina, & mox cupiditate novi cibi exardeſcit: ita jecur hauſtum per meſaraicas venas chylum, & in ſanguinem verſum, continuò pro corporis alimento tranſmittit in venas, & ſtatim (m) eſuriens novum chylum expetit. Simili quoque modo, quælibet corporis particula ſanguinem ex venulis trahit, verùm non ut ad alias amandet, ſed ut in ſe retineat, eoque nutriatur, & ſibi aſſimilet, qui aſſumptus & aſſimilatus, paulò poſt in halituoſum ſpiritum & inſenſiles excretiones reſolvitur & diſſipatur. Ex quo fit, ut ſimiliter dictæ corporis partes omnes, illicò novo ſanguine, ſeu novo alimento indigeant, veluti ventriculus novo cibo, & jecur novo chylo, & ubera novo ſanguine. Hæcque omnia hoc ordine fiunt, vegetativæ animæ & innati caloris

*Sanguinis diſtributio.*

cet enim præparationem accipiat, & ulteriorem diſpoſitionem, à blando calore hujus viſceris, ultima tamen in Corde perfectio eidem accedit. Quapropter etiam confectus ſanguis, è ſiniſtro cordis thalamo egreditur in aortam, & per ejuſdem tubulos ad omnem corporis partem amandatur.

(m) Non eſt eadem eſuritionis ratio in hepate & ventriculo: nam hic percipit alimenti defectum ob ſenſum paſſionis, quam in ejus ore excitat ſpiritus: & ob eam cogitur homo cibum appetere. Hepar verò non habet organa ad exquiſitum ſenſum comparata.

(n) Con-

tis beneficio: cujus occaſione, nulla corporis pars otioſa manet, ſed in aſſidua attractione, coctione, nutritione, ſeu aſſimilatione, & inutilium expulſione verſatur, more ferè ſiphonis aquam ex imo trahentis, & fundentis ratione vacui, cujus inſtrumenti actio ita ut ceſſat, ſimulatque ipſa aqua defecerit, ſic deficiente cibo in ventriculo & inteſtinis, deficit meſaraïcarum venarum officium; quibus chylo inanitis, non eſt etiam aliud quippiam, quod jecori materiam ſuppeditet ad ſanguinem conficiendum. At ſanguificatione, vel vitio jecoris, vel alimenti defectu ſublata, neceſſe eſt ſimul & animalis vitam extingui; Quoniam calor ipſe, tam naturalis quàm extraneus, ſi abſit humiditas in quam agant, depaſcunt ſtatim eam, quæ partibus hæret, & corpus ſuſtinet: Idcirco quotidie novus cibus ſumitur, quia etiam quotidie novus (n) ſanguis gignitur, plus minuſve, pro ratione quantitatis, & qualitatis aſſumpti cibi, & copia ſanguinis exiſtentis in corpore, & jecoris habitudine, quorum omnium modum & integritatem ſequi ſolet integritas & vitium naſcentis ſanguinis. *Calor innatus nunquam otioſus.*

§. 9. Quocirca, ut extremam ſanguinis effuſionem ſeu inanitionem, ſequitur corporis interitus, ita abolitione ſanguificæ functionis id ipſum occidit. Aboleri & violari ſanguifica jecinoris facultas ſolet, non aliena ratione, quàm vis concoquendi cibi in ventriculo, & confi- *Extrema ſanguinis effuſio mortem affert.* *Sanguifica vis unde vitietur.*

(n) Confer dicta *Hippocrati l. 4. de morbis. num.* 10. 11. 12.

(o) Vide

conficiendi lactis, tempore lactationis, in ipſis mammis. Deletur enim aut vitiatur harum partium facultas, aut defectu alimenti, aut ejuſdem immodica copia, aut vitio, aut intempeſtiva aſſumptione, aut quavis intemperie, vel noxa, ipſi inſtrumento adnata.

§. 10. Ergo ut hæc ab aliena qualitate, vel indebita menſura, vel importunitate ingeſti cibi afficiuntur, ita par eſt, omnem corporis partem affici & læſi ab inutili ſanguine. Quo modo autem inutilis ſit, diſci poteſt ex his Galeni verbis: *Dupliciter*, ait ille (9 *Method.* 11.) *ſanguis eſt inutilis corpori, nempe cùm propriam qualitatem ad unguem non ſervat, nec amplius nutrire, ſicuti prius cùm utilis eſſet, poteſt; Vel ita multitudine crevit, ut aut vires premat, aut tum venas, tum arterias vel diſtendat, vel findat, vel obſtruat.*

*Sanguis inutilis dupliciter.*

§. 11. His intellectis, facile comprehendi poteſt, quo modo à ſanguine morbi naſcantur, increſcant, & vitam tandem homini eripiant, aut aliqua corporis parte mutilent: ex adverſo etiam, quo modo à natura pellantur, & extenuentur, vel ab artifice infringantur, & vincantur, aut infringi & vinci debeant. Fiunt à multo ſanguine, etiam puriſſimo, aggravatio, oppreſſio, & ſuffocatio facultatum corpus gubernantium, non diſſimili modo quàm à nimio oleo vel eſca, extenuari vel extingui flamma ſolet. Ab ejuſdem vitio non ſecus etiam quàm (o) flamma minui, obſcurari,

*Similitudo elegans.*

(o) Vide ſis ad *Conringium l. de Calido Innato c.* 23.

(p)

rari, aut reſtingui conſuevit ab olei, vel ſevi, vel alterius eſcæ limo, vel aqua, vel alio quovis ſucco, à flamma alieno.

§. 12. His exaratis, accedamus primùm ad ea, in quibus Hippocrates, & Galenus hanc putant eſſe adverſam: deinde ad ea corporis mala, in quibus Hippocrates eâ uti non eſt veritus, quæ tamen à multis noſtri ſæculi Medicis, in eiſdem morborum generibus minimè probatur: Poſtea deſcendemus ad alia multa, in quibus hoc in negotio, vulgus Medicorum, maximo ægrotantium damno, & artis vituperio, delinquit. De quibus omnibus non plene tractare decrevimus, ſed obiter duntaxat errores ipſos, quoad per nos fieri poterit, retegere: deinde viam, qua ab illis declinandum eſt, aperire: mox quàm breviſſimè & efficaciſſimè per nos fieri poterit, ſingula ſuis rationibus confirmare. *Summa tractandorum.*

---

## CAP. II.

### *Pueris, & ſenibus, dum res poſtulat, ſanguinis miſſio utilis eſt.*

PUeris Celſus voluit poſſe ſanguinem mitti, Galenus non ante pubertatem, ſive ante quartum decimum annum. Quam opinionem, *libello noſtro de Vulneribus Selopetorum*, oſtendimus alienam eſſe à ratione & veritate, cùm ſæpiſſime illi, æque ut juvenes, imò crebrius & gravius, variis inflammationibus & febribus *Celſ. l. 2. c. 10. Gal. comm. 4. de rat. vict. textu 19. De cur. per ſang. miſſ. c. 9.*

bus torqueantur & extinguantur, & validius etiam ſanguinem gignant. Quid igitur obſtat quo minus mittatur, ſi in iis abundat, aut vitioſus eſt? Galeni rationes parvi momenti eſſe, dicto loco oſtendimus.

*Senibus utilis venæſectio.*

§. 2. Quare ad ſenes tranſeo, quibus etiam non Celſus, neque ratio, ſed Galenus vix ſexagenariis mitti volebat, aut ſaltem ſeptuagenariis, niſi hi habitu adhuc corporis valido eſſent conſtituti: quoniam facultates omnes in iis concidere & langueſcere videntur. Verùm hac ipſa ratione nos dicimus, magis eſſe adjuvandos ſenes miſſione ſanguinis, dum

*Et quare.*

morbus poſtulat, aut corporis eorum habitus malus eſt, quàm ubi hæc (quod multis abſonum videbitur) juvenibus contingunt: quoniam juventus, ut eſt promptior in ſubeundis morbis, & in vitianda bona corporis habitudine ſuâ vivendi intemperantiâ, ita & eſt habilior in illis vincendis, & habitu corrigendo, ſuo virium robore, quod aut hac ætate eſt maximum, (niſi ex accidenti in perpaucis, qui interdum firmiores & vegetiores ſunt ætate conſiſtenti, & primo ſenio, quam ſua juventute fuerint,) aut nunquam erit majus. Quod non æque ſenilis ætas præſtare poteſt, ſine magno artis auxilio: quo etiam neque integre adhuc in priſtinam valetudinem reſtitui poterit, ſed adjuvari, & ſuſtineri debet contra vim mali, quo longius ipſa vita producatur, & lenius ſenii morbus feratur.

§. 3. Ergo morboſus, aut mali habitus ſenex, mali inquam habitus, non ejus, qui ex

ſola

ſola virium ſeneſcentium reſolutione advenit, qui nulla arte evitari vel corrigi poteſt, ſed ejus qui ad aliquod vitium ſequitur, ut, dum primo ſenio quis valetudinarius eſt, aut ſcabie infectus, aut alio ſimili affectu, de quibus meminit Hippocrates *ultimo Aphor. lib.* 3. divexatus, rectè miſſione ſanguinis adjuvatur, & hac frequenti potius & moderata, quàm rara & abundanti. *Sanguinis miſſio in ſenibus qualis debeatur.*

§. 4. Verùm in his (præter eas indicationes quæ ſumuntur à morbi ſpecie, magnitudine, & aliis quæ communes ſunt cuique ætati) non ſimiliter atque in juvenibus æſtimanda eſt ſanguinis miſſio ampla, vel exigua, vel moderata; vel frequens, vel rara, vel mediocris: Quoniam ea quæ in ſenibus rara, aut ampla erit cenſenda, in juvenibus erit frequens, & exigua. Conferimus ſenem ſibi, aut alteri juveni ei ſimili, non autem magnum pumilioni, aut ſanguineum exſangui.

§. 5. In vehementi igitur morbo, & inchoante, & venoſo corpore, non erit ſuperflua detractio libræ unius, & repetitio ad ſemilibram à meridie, aut ſex horis poſt, ſi mali vis poſtulet, & ſanguinis vitium adſit, ſed cibato prius corpore ut convenit. Morbos magnos eoſdem eſſe intelligimus in ſenibus, quos in juvenibus, licet non tam frequenter hi, quàm juvenes, acutiſſimis prehendantur; nec etiam metuenda eſt in iis poſtridiana repetitio (ſi ingraveſcat morbus) ad parem modum ſanguinis, aut paulò majorem vel minorem, pro ratione urgentis neceſſitatis, & venarum tenſione, *Quantitas quæ convenienter ſeni detrahi poteſt.*

H

ſione vel depreſſione. Eadem etiam quantitas in propoſito corpore utiliter poteſt detrahi, ſi artuum dolor, aut renum, aut capitis, graviter vexet: Utiliſque & in hac eſt iteratio, ſi corruptela exiſtat. In ſcabie, malove corporis habitu cum languore aut laſſitudine, detrahendus eſt frequenter, & minore copia. Necnon ad præcautionem idem facere utile eſt, modò ex dextro, modò ex ſiniſtro brachio, & tum ex hac vena, tum verò ex illa, ſæpius tamen aut ſemper ex amplioribus & eminentioribus, quam ex minoribus.

*Quoties in anno ſeni poßit mitti ad præviſionem.*

§. 6. Quater ſexieſve in anno, ſeni non integrè valenti, & impuri ſanguinis, venam tundi neque eſt ſuperfluum, neque etiam ſuſpectum: homini verò bene valenti, & inculpatæ valetudinis, ut etiam juveni, etiam ſemel ſuperfluum eſt, licet nulla in re (ſi ſemel tantùm feceris in toto ſemeſtri) damnoſum: cùm ſanguinis generatio difficilis non ſit, nec novus veteri deterior, ut malè quidam putant, ſed melior, quod oſtendetur poſtea. Quare melius illi ſeni conſultum eſſe credas, qui cùm ſanus minimè degat, curet vitam dicto modo cum minore periculo & dolore producere, renovato ſic frequenter ſanguine, quàm illi qui falſo terrore ſeductus animam, (quam cum Critia putat ſedem in ſanguine habere, & in eo vivere) imprudenter ſinit in illo extingui & ſuffocari; ignarus ſenibus plus eſſe virium in conficiendo ſanguine (ni alimenta deſint, nam laborandum non eſt ubi fames) utili & ſufficienti ad alendum corpus in

*Seni valetudinario neceſſaria eſt mißio ſanguinis.*

*Vide Levit. 17. 11.*

*Aph. 2. 16.*

in ſingulos dies, quàm in expellendo aut corrigendo inutili & corrupto, quo corpus non alitur, ſed gravatur & affligitur.

## C A P. III.

### *Prægnantibus an conveniat Phlebotomia.*

PRægnantibus etiam Phlebotomiam fore utilem Celſus voluit, & ratio, & experimentum confirmant. Hippocrates tamen, & Galenus contrà. Quorum opinio ita fuit olim animis Medicorum inſita, & permultis etiamnum hæret, ut dictas mulieres, graviſſimis & acutiſſimis morbis implexas, non audeant opportuna nec convenienti Phlebotomia adjuvare, ſed inanibus auxiliis eludere. *Loc. cit.* *L. 5. Aph. 30.* *Error veterum.*

§. 2. Extant nobis innumera exempla illuſtria, quorum unum recens & egregium exponam. Hoc menſe Decembri, dum in Anglia eſſem cum Sereniſſimo Duce Andium, & nobiliſſima mulier D. Drury, ſeptimeſtri fœtu gravida, & febre aſſidua tertianæ finitima afficeretur, cum magnis & perpetuis doloribus in ventre inferiore, & ad jecoris regionem, ictero fœdiſſima, & deſcenſu infantis ad pubem: Sereniſſima Regina, quæ illam magnopere diligit, me, præſente Sereniſſimo Duce, benignè rogavit, ut illam vellem inviſere, dixitque putare ſe, illi convenire poſſe ſanguinis miſſionem: Quare me rogat, ſi id videam illi expedire, ut illi quam primùm perſuadeam. *Hiſtoria Dominæ Drury gravidæ ſeptimeſtris.*

Accedo ad ægrotantem, ætatis circiter annorum viginti octo, quam graviſſimè lamentantem, & propoſitis morbis & ſymptomatibus affectam reperio, urinas habentem denſiſſimas, & incenſiſſimas, præterea nihil expectantem in ſingula temporis momenta præter abortum, narratque illa mihi, ſe à duobus fere menſibus fuiſſe correptam tertiana ſimplici, quæ degeneraverat in duplicem, mox in aſſiduam, qualem videbam, ſed alternis interim diebus exacerbationes habentem graves luci, nocte graviſſimas cum lancinantibus doloribus, & perpetuis ferè vigiliis, niſi ſub auroram, qua aliquid ſomni capiebat, non blandi, ſed utcunque vires laboribus fractas colligentis: Rogo ab illa, quid in ejus curatione antea fuerit præſtitum: purgationes, reſpondit, aliquando fuiſſe datas, à quibus non modo nullam opem ſenſerit, ſed damnum; venæſectionem verò fuiſſe quidem primis diebus propoſitam ab eruditiſſimo viro Domino Beleo, Sereniſſimæ Reginæ Medico, (qui illam in principio cum altero Medico tractabat) ſed non celebratam, quoniam alterum Medicum videret non ex animo, ſed trepidè in Belei ſententiam deſcendere, audiebatque non Medicos modò, ſed alios ferè omnes dicentes, id eſſe gravidis perniotioſiſſimum. Quare illa perterrita, non ſtatim primo die conſenſit ad faciendum: Verum nunquam poſt ullam ei fuiſſe mentionem factam abſente Beleo, qui Reginam erat ſecutus in oppidum Richemont. Hîc ego nullum ei præſentius remedium eſſe

poſſe

poſſe dico hoc ipſo, & ſui, & fœtus cauſa: Verumtamen fœtus, incertum eſſe an ſervari poſſet, cùm eum jam ad pubem & os matricis à biduo deſcendiſſe nuntiaret. Interim tamen, ſi abortus accideret, non eventurum occaſione miſſionis ſanguinis, ſed mali urgentis. Connivet illa meæ ſententiæ, dicitque, Dominam Staforti ejus matrem, quæ ſemper Reginam inſequitur, Reginæ juſſu hoc ipſum auxilium illi ſæpius propoſuiſſe. Tunc ergo conſtantius dico, in hac morbi ſpecie, gravitate, contumacia, corporis habitu, & ſanguinis vitio, quod in ea ſummum eſſe percipiebam, ſanguinem eſſe mittendum, verùm non confertim & unica vice, ſed pluribus, paucis diebus; attamen me nihil præſtiturum, inconſultis Beleo & Medico altero, qui ejus curam gerebat, præſertim cùm ſimul colloquendi nobis eſſet ſatis temporis, quoniam die hac (quæ erat majoris exacerbationis) nihil generoſi eſſe moliendum exiſtimarem. Convenimus veſperi, Beleus prudentiſſimè ſeorſim mihi dicit, dolere ſe quod maturius id non fuerit factum, tamen nociturum nunc ſe minimè putare, ſed vix juvaturum in hoc præcipitanti caſu: Itaque abortum, aut quid deterius in matre ſi contigerit, in propoſitum auxilium nomenque noſtrum illud caſurum, præſertim cùm Medicus alter diſſentiret, nec conſuetudo eâ regione frigida eſſet hujus Medicinæ, præſertim in gravidis, eoque minus, cùm jam ſeptimum menſem attingerent. Tum ego in medium profero & ægrotantis, & ejus matris confeſ-

ſionem, quòd ſcilicet nihil minus ſperarent, quàm poſſe illam evadere inſtans periculum abortus. Præterea, ægram jam id poſcere, Reginam proponere, ejuſque matrem, & maritum, & fratrem Dominum Stafort id nobis perſuadere, tum ſuo eorum proprio nutu, tum etiam benigno Reginæ monitu. Quare non eſſe nobis timendum à calumnia, cùm morbum id requirere jam eorum uterque fateretur. Conſentit uterque: poſtridie ejus diei hora nona matutina, cùm noctem habuiſſet laborioſiſſimam, tantumque ſub auroram tantiſper quievíſſet, venam aperire fecimus baſilicam dextram ad uncias decem ſanguinis, cujus vix ſexta pars ſanguinis viſa eſt, ejuſque peruſti, huic duplum pituitæ tenaciſſimæ ſuperjacebat, reliquum totum ſerum: hic dolores evidenter miteſcunt. Hora ſecunda pomeridiana iterum circiter unciæ ſex detrahuntur priori ſimiles: nox quieta, febris mitior, fœtus altius contrahitur, & omnia in melius procedunt: conſulebam ego, biduum poſt eſſe iterandam venæ ſectionem, quod factum non fuit, quoniam tolerabile eſſet malum, quæ res potius monebat id eſſe faciendum, non expectandum denuò accerbari morbum, qui ubi recruduit, ſtatuitur ad id eſſe redeundum. Quo facto, die ni fallor octavo ſeu decimo, poſt primam ſectionem, ex eodem brachio, (quoniam jecur dolebat cum tenſione,) & ægrâ præſentaneam utilitatem ſentiente, ſtatim illa jucundè & ſubridens, hæc mihi narrare cœpit, præſente eo Medico qui niſi coactè hæc fieri conſen-

*Cui ſanguinem detrahunt Medici.*

*Eaque Phlebotomia repetitur à prandio.*

*Tertio mittitur ſanguinis.*

conſentiebat: Hora dimidia prius quàm appelleretis, acceſſit ad me Medicus quidam hujus urbis, qui habetur doctiſſimus, inquiens, audivi Botallum ad te mox venturum, quo denuo tibi ſanguis detrahatur; itaque ego pietate ductus, properavi ad te ignaram periculi quod ſubitura es, cùm ut de eo te commonefaciam, tum etiam ut coram te, ſi placet, de hoc negotio cum Botallo conferam, fretus me illi oſtenſurum rationibus efficaciſſimis, & veterùm auctoritatibus approbatiſſimis, ſanguinis miſſionem in gravidis mulieribus non eſſe uſurpandam multoque minus iretandam: Cui, inquit, ego reſpondi, me nolle illum tecum hac de re, non ſolùm me præſente, ſed neque etiam domi meæ, contendere, minuſque etiam eum operi faciundo intereſſe. Sic illum ſtatim dimiſi: quod factum hactenus volui te celare, ne fortè (calumniæ metu) ſi hæc prius reſciſſes, ab eo deſtitiſſes, quod in meam ſalutem agendum jam animo conceperas. Cogita hîc benigne Lector, quanta fuerit hominis illius (ab altero Medico qui præſens aderat, ut intellexeram, introducti) impudentia: ex adverſo quanta mulieris prudentia, quæ hoc auxilio ſolo, (humano ſcilicet) ſervata eſt, adeò ut uno menſe poſt, dum Anglia decederem, refricuerit mihi hæc verba (ſæpius etiam mihi ab illa prius dicta) ſe ſcilicet poſthac maximi facturam ſanguinis miſſionem, tum gerentem utero, tum non gerentem, nec tam facilè in hoc ſe credituram multorum Medicorum ambagibus. Dicamus amplius,

*Medici cujuſdam conſilium ultroneum.*

*Sanitati reſtituitur.*

*Domina Nemorenſis & Domina Guiſiaca.*

præter hunc teſtem. Illuſtriſſimas & honeſtiſſimas Principes Ducem Nemorenſem, & Ducem Guiſiacam, & alias multas mulieres inferioris notæ, apertiſſimè teſtari, quantum ſanguinis miſſio ſit utile gravidis præſidium, tum ad depellendos morbos, tum etiam ad eos prohibendos, & fœtus conſervandos.

*Objectio.*

§. 3. Sed dicet fortè hîc invidus & ingratus aliquis. Num ideò hæc duo illuſtria exempla hîc inſeris, quaſi ipſe videri velis auctor hujuſce facti, tum in illis, tum in aliis multis? Cui reſpondebimus, quòd Blæſis Illuſtriſſima Domina Nemorenſis ſemel, dum me ſecum cœnare coëgiſſet, & dixiſſet palam, me maximum animum adhibuiſſe mulieribus uterum gerentibus, & non parvam confidentiam Medicis in mittendo ſanguine, tum in gravidis, tum in reliquis hominibus: quam teſtationem audiens doctiſſimus ſanè Medicus, qui etiam ſimul cœnabat, ſtatim dixit, non eſſe novum, ſanguinem mittere in prægnantibus, ſed vetus. Cui illa ſtatim reſpondit. Dicite quod lubet, ſit ita antiquum ut placet, ſed conſtat omnibus, in Gallia hanc frequentem ſanguinis miſſionem, quâ nunc utimini, & quæ à decennio & amplius in Botallo à multis Medicis injuſtè vituperabatur, à Botallo emanaſſe. Quam item reſponſionem Dux Guiſiaca ſe ſæpius feciſſe multis Medicis, qui idem quod prior, dicebant, mihi faſſa eſt. Si ergo non ſemper fuimus auctores, aut perpetuò non interfuimus, dum illis vena ſecaretur, celabunt & auctores quantum libuerit; attamen adjuviſſe

*Reſponſio.*

*Botallus frequentis venæſectionis in Gallia autor.*

viſſe nos illos in hac, maximè jam ab annis quindecim, aut exemplis, ſive experimentis, aut ſermone, aut ſcripto, certò ſcimus.

§. 4. Redeamus ad rem, dicentes de gravidis mulieribus adjuvandis miſſione ſanguinis, ſi cum iis quæ non ſunt, aut cum ſemetipſis non gravidis conferantur. Quod diximus de ſenibus collatis ad juvenes, nempe illam ſenibus eſſe magis & neceſſariam & utilem, quàm juvenibus: Ita dicimus gravidas plus egere hoc præſidio non gravidis. quoniam in his duntaxat timendum eſt à noxa, quæ primo contingit à febre, vel alvi fluore, vel alio quovis affectu: in illis vero etiam ab ea quæ ſæpe ſuccedit, nempe ab abortu, qui plerunque affectus advehit graviores noxas prioribus.

*Gravidis magis neceſſaria quam non gravidis.*

§. 5. Sed inexpertus reſpondebis forſan, in ipſo auxilio plus videri periculi, quàm in morbo, quem curandum illo proponimus, cùm ſit ab Hippocrate dictum, & à Galeno confirmatum, venæſectionem in gravidis abortum facere; non autem id dixiſſe de febribus, niſi de maximis, ardentibus, nec de alio quopiam morbo, ſi tenaſmum & dyſenteriam excipias. Hîc dicemus, ſi velis ad unguem Hippocratis & Galeni verba ſervare, quæ ſingula non ita ſunt dicta, (parcant ſi placet qui à vero declinantes aliter ſentiunt) ut contrarietatem in ſe nullam præ ſe ferant; ſemper eorum ſenſum primum eſſe tibi ſequendum, & ſuſtinendum quæ ſunt veriora, aut ſaltem probabiliora apparent. Credere igitur iis prius, & magis debes Hippocratis & omnium

*Obj.*

*Reſp.*

*Hippocratis & Galeni ſententia non ſemper vacant contrarietate.*

omnium Philoſophorum ſententiis, dicentibus, effectum nullum removeri, niſi ablata cauſa, contraria contrariis curari, & morbos qui ex plenitudine vel ſuperfluo aliquo fiunt (ſi vis particularius dici) evacuatione curari. His igitur ſi ſentias eſſe credendum, nec temere etiam deſpicias illud Hippocratis dictum, Medicum non oportere tam eſſe intentum probabili ratiocinationi, quàm exercitationi cum ratione, Intelliges certè, falſum illum eſſe Hipp. aphoriſmum: *Utero gerenti vena ſecta, &c.*

*l. 2. Aph. 22.*

*l. de Praecept. n. 1.*

*Aphor. 30. l. 5. falſus.*

§. 6. Poſſum ego quidem hoc teſtari, me pluribus prægnantibus, & ſolum, & aliis Medicis intervenientibus, feciſſe venam aperire aut ægrotantibus, aut ægrotare timentibus, nullam tamen ex iis aut feciſſe abortum, aut periiſſe, aut injuriam aliam paſſam fuiſſe. Imò unam noſco, cui undecies fuit vena ſecta dum utero gereret, & vix unquam minus libra una ſanguinis, ſæpe vero plus unciis quindecim, cujus natus quinquennis, fortiſſimus omnium fratrum & ſororum, qui illum præceſſerunt, qui quatuor ſunt numero, quorum item ille imbecillior eſt, in cujus geſtatione minus ſanguinis fuit matri detractum. Noſcimus & alias multas, quibus quater, quinquieſque fuit miſſus, non ſolum ſine noxa, ſed cum magna utilitate. Ex adverſo multas, quæ vi morbi, & alias quæ ab aſſumpto medicamento purgante, ut morbos vitarent, perſuadentibus Medicis, quæ (nulla præcedente ſanguinis miſſione) miſerrimè fœtus ejecerunt. Unde & ratione

*Prægnanti cuidam ſanguis undecies miſſus.*

*Utilitas ſanguinis miſſionis in gravidis.*

ratione confirmante, ut mox oſtendemus, & uſu comprobante, non ſolùm eſt utilis ſanguinis miſſio gravidis & in iis magis neceſſaria, ſed longè etiam utilior & tutior purgatione.

§. 7. Verùm hæ tibi cautiones ſunt adhibendæ, ſi vitare calumniam ſtudes, ut in graviter ægrotante id non efficias, non ſignificato prius & ægro, & affinibus periculo, imminenti à morbo: ex quo poteſt contingere, ut tam malè ſit fœtus affectus, ut eo die vel poſtridie, à quo ſanguinem miſeris, abortus fiat. Veluti ſimilitudine comprehendi poteſt in fructibus arborum, vento agitatis, quorum aliqui paulò tenacius hærentes, non flante vento, ſed poſtridie & tempore tranquillo decidunt; Verùm non tranquillitas criminanda eſt, ſed pridianus flatus, aut agitatio aliunde orta: Sic in his non venæ ſectio, ſi ſit moderata, ſed præcedens, aut item ſequens, aut perſiſtens morbi acerbitas, quæ, ut dixi, ſæpiſſimè per ſe abortus molitur. Neque eſt ea etiam valde timidis & repugnantibus intenſius perſuadenda, præſertim ſi inſigni aliquo morbo detineantur, quoniam his dum invitè trahuntur, præter eum laborem quem habent ex morbo, accedit alius ex metu & ſuſpicione remedii; unde aut animo concidunt, prius quàm ſcalpello attingantur, aut momento poſt, aut etiam, (quamvis deliquio non capiantur) ubi aperta vena eſt, protinus curant hanc concludi ante tempus. Unde fit, ut ex hac parum aut nihil proficias, & calumniæ inſigni

*Cautiones obſervandæ.*
1ª.
*Celſus l. 5. c. 26.*
*Similitudo inter fœtum & arborum fructum.*
2ª.

ſigni te ſubjicias: Quoniam quicquid ſiniſtri in ea, toto geſtationis curſu inciderit, ſcito relatum iri in idipſum quod invita ægra, aut contentioſo Medico, aut aſſidentibus, fuerit uſurpatum. Ut quidam Medicus (cujus anima gaudeat in cœlo) qui vituperabat eſum peponum, dum veris tempore decumberet ex podagra, quam non erat paſſus à ſexennio, mihi, & aliis multis dicebat, non poſſe ſe imaginari aliam cauſam motricem redeuntis affectus, niſi peponem quem ſuſpectè ederat menſe Auguſto præcedente. Certè hæc ſuſpicio in inſontem incidebat, ut in Medicina ſæpe fit, & mali & boni Ergo quia nunquam non fuit propenſius multorum hominum ingenium in inurenda iniqua calumnia, quàm in referenda juſta gratia, ideo magna cautione in iis procedendum eſt, præſertim circa illuſtria ſubjecta.

*Ad præcavendos morbos in gravidis conducit venæſectio.*

*l. 2. Aph. 30.*

*Principiis obſtandum.*

§. 8. Cæterùm non ſolùm utilis eſt in magnis prægnantium morbis ſanguinis miſſio, ſed & utilior ad prohibendum ne magni fiant, cùm rariſſimè magnus morbus ſponte fiat, qui ab exiguis non oriatur initiis, quibus longè facilius reſiſtitur (juxta illud Hippocratis, *circa principia & fines omnia ſunt imbecilliora*) quàm ubi altius radices egerunt, & fortiores ſunt facti, quoniam nunquam morbus increſcit, quin tantundem virium corporis dejiciat, & vice verſa, quantò corporis vires invaleſcunt, tantò & morbi extenuantur. Quare quò citius occurritur morbis, ſive ægrotantibus, eo etiam celerius hi adjuvantur, & illi expelluntur.

tur. Quæ res etſi non peculiàriter dicenda ſit de gravidis, ſed de omnibus corporibus & morbis, magis tamen in his convenit, quoniam promptius hæ in periculum trahuntur, tum ex primis morbis, tum ex abortu, quo periculo aliæ vacant. Res ita per ſe clara eſt, ut ulla demonſtratione egere minimè videatur, cùm dubium non ſit, imbecilliorem eſſe gravidam non gravidâ: & quò quis fuerit imbecillior, eo etiam magis omnibus morborum generibus patere, & facilius in vitæ diſcrimina rapi, & ægrius etiam eidem ſuccurri: maturius igitur & tutioribus auxiliis hæ ſuccurrendæ & ſuſtinendæ ſunt, quàm illæ. Quare utilior, & magis neceſſaria his ſit ſanguinis miſſio quàm illis, quoniam per hanc cauſa morborum, quibus prægnantes, imò corpora omnia afficiuntur, facilius, celerius, & benignius detrahatur, & revocetur, quàm ullo alio auxilio.

§. 9. Quibus quæſo morbis patent hæ? Num eiſdemmet, quibus patebant ante imprægnationem? amplius abortui, & his affectibus abortum ſequentibus. At qui ſunt & illi, & hi? Suntne febres, dolores, alvi fluores, abſceſſus, alia id genus? quæ, (ſi rectè cuncta examines) intelliges fieri, & excitari, & increſcere, ex ea materia, quæ in venis eſt, aut per venas defertur: &, ſi aliter cenſeas, crede, te, non me, errare. *Gravidæ quibus morbis ſubjiciantur.*

§. 10. Sed miraberis hanc noſtram ſententiam, & maximè, quod & alvi fluores adducam: & rogabis fortè, num id omne quod eo excer-

excernitur, è venis effundi velim. Ut ſtulti certè eſſet hoc inferre, ita profectò & imperiti artificis eſt, non intelligere maximam partem contumacium fluxionum alvi, cauſam habere ex ea materia quæ in venis eſt, non ex alia, ut mox oſtendemus. At miraberis me magis, ſi hanc eandem materiam, quæ in venoſo genere eſt, cauſabor ut auctricem vomitionum, quibus prægnantes urgeri ſolent, non eam quæ vomitu excernitur, licet ſtatim quodammodo leventur ab eo vomitu: eſt tamen hæc ipſa. Oſtendit autem curatio, cùm hæc nullo tam præſentaneo remedio tollantur maximè, quàm miſſione ſanguinis, ut teſtari poſſunt Domina Chaſtellier, & Damicella Blanquet, & aliæ aliquot.

*Materia alvi fluxus & vomitus ſæpiſſimè in venis hæret.*

*Iis igitur ſanguinis miſſio convenit.*

§. 11. Sed rationem poſces, & jure. Quæ meo quidem judicio hæc eſt, quod fœtus menſtruus tam eſt exiguus, ut recens ejectus vix accedat ad pondus drachmæ, ſeu coronati unius, quamvis integerrimè ſit formatus, (ut oſtendimus multis, & oſtendere item poſſumus roganti) bimeſtris autem vix attingat, vel ſuperet ſex drachmas, & trimeſtris uncias tres vel quatuor; quæ corporis exiguitas menſtruum ſanguinem conſumere minimè poteſt. Reliquum eſt igitur, ut redundet in corpore, & in genere venoſo, & juxta jecur, & in his etiam venis, quarum officium eſt à ventriculo & inteſtinis attrahere quod chyloſum eſt: quam attractionem cum minimè ut par eſt, propter eam redundantiam quâ opprimuntur, præſtare poſſint, reliquum eſt jecur opprimi copia ſanguinis,

*Ratio ejus effati adducitur.*

guinis, & ventriculum copia ſuperfluitatum, unde nauſea ſequatur: adeo ut curatio poſterioris noxæ petenda ſit ab ejus exordio, non aliunde. Id autem eſt quod in venis abundat. A venis ergo eliciendum eſt. Et cum quicquid eſt in venis contentum & liquidum, à qualibet vena educi poſſit, ſed non utiliter & commodè ex ſingula: ideo ſemper evacuatio ab ea fieri debet, quæ artis uſu cognita eſt aptiſſima. Ea autem eſt in propoſito negotio, quæ in brachii flexu reperitur ampliſſima, & ſede infima vel media, & ex dextro brachio magis, quamvis etiam ex ſiniſtro ferè, ſi æque utilis. Quare ſi crebrius ad hanc redeundum eſt, nec quicquam particularius ad ſe revocet intentionem, etiam ex ſiniſtro evacuatio molienda eſt. Modum enim in his ſumimus ex habitu corporis, & venarum plenitudine, & conſuetudine, & aëris temperie, & aliis Medico prudenti conſiderandis. In muliere mediæ habitudinis, & veris vel autumni tempore, ad præcautionem, excedens quantitas non eſt unciarum decem vel etiam duodecim, ſi venæ tumeant: repetenda ſemel atque iterum, ſi ægritudo ſit, aut eo die, aut poſt, prout vis ipſa morbi indicabit: fortè etiam & purgandum, ſed id periculoſius eſt, quàm ſanguinem mittere.

*E qua vena tum ſanguis detrahendus ſit.*

*Et qua quantitate.*

§. 12. Aude igitur potius in gravidis (dum res poſtulat, & vires valent) ad hoc auxilium confugere, quàm ad illud, & celerius quam tardius: nec crede ullo tempore impraegnationis eſſe interdicendum, ut quidam putant, freti

*Quolibet tempore impraegnationis poteſt mitti ſanguis.*

l. 4. Aph. 1. freti illa Hippocratis ſententia, *Gerentes utero ſunt medicandæ, à quarto menſe in ſeptimum; juniore verò & ſeniore fœtu, cautius agendum.* Cujus rei cauſam commentatores omnes ad Galeni imitationem, dicunt, tutius eo intermedio tempore commoveri poſſe corpora prægnantium, quoniam initio ſuâ teneritate, & poſtea ſuâ gravitate & facilitate decidendi, & alimenti defectu, minore etiam negotio abigantur. Quæ ratio ſi vera eſt, (ut aliquo modo eſt) tam etiam, & magis, eſt conſideranda de cauſa movente & alterante, quæ intus infantem aut matrem, aut utrumque urget, quàm de eo quod faciendum eſt in ejus auxilium. Quare, ita ut non laudo ſanguinem mitti nulla re invitante, ita nec laudo cauſam nocentem tempeſtivè non demi, dum poteſt bene, cum ſæpe plus adſit periculi ex hac in corpore perſiſtente & increſcente, quàm ex aliquot unciis ſanguinis detractis, nulla neceſſitate urgente: quoniam perpetua eſt vis ſanguificandi in jecore, cum adeſt materia, ut patet in lactantibus mulieribus.

*Sanguis non mittendus ſine cauſa convenienti.*

*Objectio.*

§. 13. Sed dicunt aliqui. Cum natura nil temerè neque ſuperfluum ſoleat efficere, rationi conſonum eſt, non parem vim exiſtere ſanguinis efficiendi rationi in jecore prægnantis, & lactantis; ſicuti etiam rationabile eſt, minorem adhuc eſſe in ea quæ uterum non gerit, cum hæc intus neque foris habeat nutriendum puerum, neque etiam parem in mare & in fœmina, propter eandemmet rationem. Certè ratio hæc veritatis habet apparentiam,

*Solutio.*

tiam, ſed tamen veram non eſſe per hæc intelliges. Sciebat quidem Natura, neque viris, neque fœminis fœtum non habentibus, tanto eſſe opus ſanguine, quanto aliis; attamen parem utrique dedit ſanguinis efficiendi vim, freta hujus redundantiam facilius parvo momento poſſe demi, quàm repente ſummam inopiam, crebro inopinate contingentem, corrigi. Cui inopiæ tam viri quàm mulieres, & tam gravidæ quàm non gravidæ, ſunt ſubditæ. Quis non eſt ſubditus recipiendis vulneribus, & venarum apertionibus, unde ilicet ſumma ſanguinis copia uſque ad animam effundatur? Ad hoc itaque magis Natura proſpexit, cui neque ipſa æque poterat alio modo, quàm dicto, ſuccurrere; quàm ad illud, cui & ipſa, apertis uteri, aut narium, aut ani venis, & ars apertis aliis ad cutem apparentibus, illico poterat occurrere. Quàm autem facilè ſanguis multus, repente amiſſus, regignatur, is intelliget, qui inſignes ſanguinis effuſiones notaverit ſine patientium interitu, quarum nos multas obſervavimus, ut dicemus alibi.

§. 14. Verùm cum tanta ſit Hippocratis authoritas, ut optimo jure inſtar oraculi in Medicina habeatur, non nobis eſt ab hoc negotio, in quo prorſus ab ejus ſententia recedimus, abeundum ſine examine, an ſcilicet ea ſententia Hippocratis fuerit, &, ſi fuerit, quomodo tam clarè experimentis artis, rationi conſentaneis, redarguatur. Certè non facilem nodum explicandum ſubimus, ſed nitemur interim *Hippocratem excuſat.*

terim tanti authoris, veræ artis medicæ parentis, famam & laudem ſuſtinere. Fuiſſe igitur aphoriſmum illum Hippocratis credi poteſt, duplici hoc argumento; tum quòd ſic eſſe habeatur à Galeno, & aliis omnibus, ni fallor, qui de illo aliquid ſcripſerunt: tum quòd in illius reliquis genuinis operibus nil reperiatur (ſi bene memini) quod ab eo diſſentiat. Scripſiſſe ergo illum aliquid particulare à veritate alienum, humanum eſt, & præcipuè in Medicina, quam dixit nullo modo poſſe eſſe ſtatam, neque certam: & maximè, quod ejus tempore, tabulis potius quam methodo (ut ex Plinio licet videre) & experimentis potius quàm ratione (ſi ipſum Hippocratem excipias) ars diſceretur & tractaretur. At quis neſcit, omnia eſſe in ſuis initiis difficilia, eoque magis, quò res ipſa per ſe difficilis eſt: ſed medendi facultate (ipſomet Hippoc. fatente) quid difficilius & obſcurius, præſertim viro integerrimo, qui, alienæ vitæ diſpendio, novis experimentis uti contra veterum præcepta non audet? Credendum eſt itaque eum hunc aphoriſmum (ut etiam & multos alios) accepiſſe ab avo ſuo Hippoc. Medico, & aliis qui eum anteceſſerant, nec auſum fuiſſe periclitari in experiundo contrario, ne ſi quid contra ejus votum contigiſſet, ſycophantis (à quibus jam ſæpe læſus fuerat, & qui nullo tempore non invigilant in bonorum maledicentiam) novam ſui operis calumniandi anſam dediſſet. Non fuiſſe autem illius tempore tam tritam venæ ſectionem atque Galeni ſeculo; ex

*l. de loc. in hom. n. 1.*

ex Hippoc. Galeni, &c. aliorum veterum authorum ſcriptis colligi poteſt: ſicuti etiam neque Galeni tempore, atque nunc Lutetiæ eſt, fides ex dignis ſcriptoribus petenda eſt. Mirum itaque non eſt, ſi neque Hippocrates neque Galenus (cujus etiam opera à ſycophantis attentius ſpectabantur, redarguendi potius cauſa quàm commendandi) propoſitæ ſententiæ veritas non fuerit cognita, ſicuti neque permultarum aliarum, quæ quamvis ex fide authorum à Medicis commendentur, à nemine interim uſurpari videntur, ut varia medicamenta, variæque ſectionum & uſtionum ſpecies, nemine audente in iis, periculo ſui nominis, ſe poſteris ducem præbere.

§. 15. Sed priuſquam de iis finiamus, afferamus adhuc duo exempla fratris mei in proprias filias, quibus intelligetur, quàm ſit prægnantibus utilis, & parum formidanda copioſa phlebotomia, præſertim in morbis acutis & periculoſis. Scripſit igitur ille ad me, biennium agitur, duabus ejus natis utero gerentibus, & febre ardente laborantibus, cum graviſſimis doloribus renum & capitis, detraxiſſe utrique libras tres ſanguinis primo die, & tantundem poſtridie, nempe duas manè, & unam à meridie, unde quarto finitus eſt morbus, ſine ulla fœtus & matris injuria. Ad quam evacuationem moliendam (quam in aliis multis utiliter uſurpavit) impulit multarum mulierum, eo tempore abortus & interitus, quibus ſanguis parcius mittebatur; ſcribens amplius ad me hæc verba: Verùm in hac

*Hiſtoria tres neptum Botalli.*

I 2

hac forma mittendi ſanguinis, morbi tantum principio facienda, non eſt dandum oblivioni alere corpus horis interpoſitis, ſaltem juſculis & ſorbilibus epulis, alioquin vires concidunt. Jam pergamus ad alia, ad quæ etiam major Medicorum pars in ægrorum perniciem offendit, nempe ad alvi fluorem.

## CAP. IV.

### *In alvi fluore conferre ſanguinis miſſionem.*

Comm. in 4. Acut. n. 116.

SI *cuipiam ſanguinem auferre confert*, inquit Hippoc. *ventrem confirmare oportet, & ita auferre.* quo loco Galenus ait, *fluente alvo, ſanguinem non detrahes. Nam ſi poſt detractionem perſeverat fluor, virtutem proſternit.* Quam Hippocratis poſitionem iterum Galenus his verbis confirmat. *Si cum alvi profluvio febris acceſſerit, aliâ evacuatione non eſt opus; verum ipſa per ſe ſufficit, etiamſi non ſit pro multitudinis ratione. Quicunque verò ab iis, tanquam majori evacuatione egentibus, vel ſanguinem ducere, vel ventrem movere auſi ſunt, in graviora pericula ægros præcipitaverunt.* Certè hæc ſententia tanti eſt momenti, quanti ulla alia totius Medicinæ: cum alvi fluor omnibus ætatibus, anni temporibus, & regionibus contingat; modoque per ſe eveniat, & modò aliis affectibus complicetur, ſitque vitium, quod dum ſolum eſt, brevi vires corporis conſumit, & alteri adjunctum, brevius.

l. 1. de art. cur. ad Glauc. c. 14.

Quare

Quare manifeſtum ſit, penes dictæ poſitionis falſitatem aut veritatem, plurimorũ hominum mortem aut ſalutem conſiſtere. Quæ cauſa me movet circa eam pauld prolixius inſiſtere.

§. 2. Profecto cum Galeni ingenium & perſpicaciam expendo, non poſſum non ſatis mirari, quo modo hac in re ſit lapſus, tamque à veritate receſſerit, cum tam eruditè de morbis omnibus, & præſertim de iis qui ab intemperie oriuntur, adverſum errata veterum diſputaverit. Rogo, æqui lectores, hæc pauca ſine livore, ſineque ullo animi affectu, præterquam veritatis, expendite. Quis inficiabitur inteſtina eſſe ejuſdem naturæ, cujus eſt ventriculus, cui illa continuantur? At ſi ventriculus (ut Gal. latiſſime & eruditiſſime docet 7. *methodi*) omnibus intemperiebus patet, cur & inteſtina ipſa eiſdem patere minime convenit? Nam cauſa nulla eſt, cur illis debeatur immunitas, quæ principibus partibus eſt denegata. Vexatur cerebrum, cor, jecur, ventriculus, lien, uterus, veſica, denique omnis pars corporis modo calida, modo frigida, modo humida, & modo ſicca, modo multipliciter ex iis compoſita, intemperie; & inteſtina ab iis intacta inviolataque manebunt? Stupidi ſanè animi eſſet id credere: nec id Galenum latuit, licet in hoc particulari conſilio imitatione etiam, ut in præcedente, ſit lapſus à recta via. Ergo ſi ab iis inteſtina patiuntur, reliquum eſt, ſymptomata cujuſque affectionis ſuam conſequi affectionem. At inter ſymptomata affectuum omnium, maxime commune eſt functionis

*Contra Galenum.*

*Inteſtina omnia omnib. intemperiebus patent.*

ctionis vitium. Quæ eſt igitur inteſtinorum functio? Multiplex: ut aliarum partium, puta attrahendi, retinendi, coquendi, & expellendi. Has igitur functiones omnes lædi in inteſtinis neceſſum eſt, à quacunque intemperie fuerint divexata, eaſque plus minuſve pro ratione magnitudinis ſuſcepti vitii, & interdum unam magis, aliam verò minus: ideoque ſi retentricem inteſtinorum facultatem labefactari contingit à calida intemperie (quod frequentius evenit quàm à frigida) quid prohibet quominus huic affectui occurramus ſanguinis miſſione, veluti ei quæ à ſimili cauſa in alia corporis parte contigerit? Carentne venis inteſtina per quas ſubjiciantur humorum decurſui? Patiunturne & illa inflammationes, gangrænas, & extinctiones ab humorum fluxu? Scatentne æſtuoſis & vellicantibus ulceribus? acerbiſne doloribus affliguntur dum dyſenteria exercentur?

*à quibus eorum functio offenditur.*

*Inteſtina quib. ſint juvanda remediis.*

§. 3. Sed licet per hæc ſatis ſuperque oſtendiſſe videamur, ſanguinis miſſionem injuriâ fuiſſe à Galeno in totum abdicatam, in curatione fluxus alvi; non recuſabimus tamen, quaſi per tranſennam, ejus argumento, quo putabat ſenſum ſuæ orationis confirmaſſe, reſpondere: quod eſt, ſi à miſſione ſanguinis vel purgatione alvus non cohibeatur, vires corporis ab iis proſterni. Certè in controverſia id poni non debet, quòd perſeverante fluxu vires concidant, eoque magis, ſi ſupervacue ſanguis detractus, aut adhibita purgatio fuerit. Sed quæſo, num hoc peculiare eſt huic affectui?

*Refellit Galeni argumentum.*

affectui? Num & febris id facit? Num dolor quilibet inſignis? Non, dices, tam facile, cum per hæc, in quibus nulla inſignis evacuatio cernitur, non tã celeriter vires exhauriantur, quàm per alvi fluorem. At quid in ſanguinis fluxu è naribus, vel utero, vel hæmorrhoïdibus, vel pulmone, vel ventriculo, vel demum à quavis corporis parte, in quorum curatione ſanguis mitti jubetur, non tantum à peritis, ſed à vulgaribus Medicis? Dices, in iis tantum concedi ſanguinis miſſionem revulſivam, qua exiguus modus detrahitur, ut ſcilicet in adverſa parte parata via ſanguini qui in motu eſt, deſinat fluere quà cœpit. Hac ipſa ratione & nos dicimus, ex brachiis eſſe mittendum ſanguinem in alvi fluore, concitato à calida intemperie, quæ nunquam non habet humoris affluxum comitem, quo huic aliunde parato exitu, & eo ex parte detracto, deſinat reliquum currere, & gravare partem quam obſidere cœperat. Itaque eo partim diminuto, & in aliam partem revocato, æquum eſt intemperiem, quæ fluoris cauſa erat, leviorem fieri: qua extenuata, neceſſe ſimul cum ea inclinari & quod ab eadem cauſa afficiebatur, ſuperfluam ſcilicet alvi dejectionem.

*Ratio probans & evincens ſanguinis miſſionem in alvi fluxu convenire.*

§. 4. Sed jam ſatis videmur rationibus non parum efficacibus concertaſſe, quas ſi ſecundis & rationabilibus experimentis confirmare valeamus, operæpretium (arbitror) in hoc negotio præſtitiſſe cenſebimur, eo quòd Medicæ rationes, uſum comprobantes, probabilitate potius & conjectura artificiali, quàm neceſ-

*Ratio experimentis confirmatur.*

ſitate concludant: Ideò hæ potius exemplis, ex artis uſibus, qui non caſu, ſed conſilio & ratione, feliciter ſucceſſerint, confirmandæ veniunt, quàm longioribus verborum demonſtrationibus. Logicum enim axioma eſt, ad univerſalem poſitionem evertendam ſufficere, unum ſingulare in contrarium objicere. At nos non unico ſingulari ſeu uno exemplo erimus contenti, ſed plura afferemus in medium. Idque non ea ratione duntaxat, ut evertamus Hipp. & Galeni poſitionem illam univerſalem, ſed ut exemplorum pluralitate, trepidantium quorundam Medicorum animos facilius confirmemus.

*Polemarchus Brixiacus dyſentericus.*

§. 5. Exordiar itaque in iis recitandis, à paulo vetuſtioribus, ſed ſanè non obſcuris multis. Bilioſa, cruenta, & ramentoſa dyſenteria, adjuncta febri, cum jugi egerendi ſtimulo, & acerbitate doloris, jam per menſem ferè integrum, Polemarchum Brixiacum adeo afflixerat, ut de ejus vita parum ſpei Medicis, & minus aſſidentibus, ſupereſſet: ſic tamen levatus eſt à miſſione unciarum ſex ſanguinis ex baſilica dextra, à me propoſita, & à Clariſſimis olim viris & primariis Regis & Reginæ medicis, I. Capella, & Honorato Caſtellano, accepta, & à nonnullis aliis improbata, ut poſt opem divinam, quæ humanis remediis ſemper eſt præferenda, præſentaneum & ſolemne auxilium, etiam ab iis Medicis, qui alterius erant opinionis, fuerit judicatum: cum ipſomet die noxæ omnes, quæ antea nihil remiſſi patiebantur, ſic evidenter inclinare cœ-

perint,

perint, ut brevi priſtinæ valetudini fuerit reſtitutus.

§. 6. In eodem morbi genere, cum tumore lienis, detractus ad uncias decem ex ſplenitide, mirum in modum, & ad ſalutem, profuit uxori Troillaldi Regis concubinarii. *Uxor Troillaldi.*

§. 7. Tormina item & febris tridui ſpatio graviter extorſerant D. Caſtaneti, Equitem torquatum: die quarta, miſſo ſanguine ad uncias decem, ſic mala remiſſa ſunt, ut poſtridie in totum fuerint reſoluta. *D. Caſtaneti.*

§. 8. Graviſſimè & periculoſiſſimè Reynerus Foquetus habebat, à febri & ramentoſa inteſtinorum difficultate, à quibus cum propemodum confectus & exhauſtus eſſet, me circiter diem vigeſimum à decubitu accerſiri jubet; quem cum ſæpe Medicus alius inutiliter rheo purgaſſet, detractus ſanguis ad uncias decem (quod factum ſtatim prior Medicus, qui de ægrotantis vita parum ſperabat, in aures imperiti vulgi & affinium vituperare cœpit) tam evidenter adjuvit, ut & ipſe cubans, & ejus frater, & aſſidens mulier, qui de ſalute funditus deſperabant, in firmam ſpem valetudinis redierint. Hunc, biduum poſt miſſum ſanguinem, cum omnino dyſenteria reſoluta non eſſet, viribus tamen paulò firmioribus factis, purgavimus ſena, & ſyrupo roſarum pallidarum, quod medicamentum reſiduum mali ſubduxit. *Foquetus.*

§. 9. Non tam diuturno malo fuit agitatus famulus à coquina D. Salvii, ſed certè non minus periculoſo. Prehenderat hunc primò *Coquus D. Salvii.*

I 5 febris

...bris acerbiſſima, poſtridiè inſe...
...a, non remiſſa tamen febri, ad q...
...us ſub veſperum, cum viderem la...
...m pendere periculum à virium...
...diem ſequentem efficax & requiſit...
...dium produxiſſem, illicò ex dextra...
...detrahi juſſi circiter uncias quindecim...
...dis, ex quo nox tranquillior fuit. Po...
...verò utrumque, firmius, venoſus, reſol...
...at, eorum numero & hominis ...
...nde, & impermixtum ſanguinis ...
...auriunt...

§. 10. Mirum item inven...

[D]omino ... Eſſarium ... quem ...
...bris cum ... alvi fluore ... modo ...
...dyſenterico, ... ad excernendum ...
...proximo, jam ... cujus ... mihi ...
...ruſerat. Ad ... morbi ... referebat ...
...hiſtoria ... Medici ... dicebat ... (ſentiebat) ...
...illius curam ... Medici ... ſuerat ... quod ...
...ejuſdem ... interdum ... poſt ... eos ...
...ſe habere ... inutiliter ... ſemper ... ex ... rheo ...
...jugiter ... Purgantibus ... morbo ... colla ...
...ægrotante ... Medici ... horum ... contraria ...
...illo inutili ... urinam ... id genus ...
...quens ... ſingulorum ... vera, ...
...is Medici ... ſecundum ... efficacia ...
...quod ... nihil ... omnia ...
...bicus ... urinam ...
...qua ... ſingulis ...
...cum ... certe ...
(quæ ... in ...

net) protinus illam propoſui. Ibi ille miratus remedii novitatem, ſtatim profluentem alvum, cibi faſtidium, virium imbecillitatem, extremam corporis maciem, tabidam febrim, & deploratam quaſi valetudinis ſpem, coram attulit; quorum omnium cum ſingulum per ſe tale ſubſidium non poſceret (ut ille dicebat) imò ut adverſum repudiaret, eo magis eſſe impugnandum & fugiendum, cum omnia ſimul in extenuatiſſimo corpore ſint conjuncta, vixque alterum Medicum in meam ſententiam deſcenſurum. His à me auditis, & rationibus in contrarium adductis, ſine controverſia ille acquieſcere viſus eſt. Tunditur vena baſilica dextra, nobis præſentibus, ad uncias circiter novem ſanguinis putridiſſimi; quo facto, quia in exercitu Rupellenſi eramus, ubi hominem præ loci diſtantia videre, niſi rarò, mihi licebat, ſignificavi tantam viſcerum & totius corporis intemperiem & ſanguinis labem, quæ ſumma erat, unica hac detractione poſſe quidem minui, ſed non reſolvi aut aboleri; ideoque in rem fore, ut poſt quatuor aut ſex dies ad id præſidium denuò confugeret, verùm ex altero brachio, iterumque poſt dies alios octò aut decem, ex dextro, ſi ex hac prima & ſecunda miſſione aliquid opis ſenſiſſet. Quod ille fieri voluit, invitis Medicis qui ejus curam gerebant, monitus ſcilicet à me prius, inde à fructu primæ miſſionis, qui fuit eximius. Sic ille poſt paucos dies morbo penitus liberatus eſt.

*Vena ſecatur ſæpius.*

§. 11. Eadem morborum genera, nempe febris,

febris acerbiſſima, poſtridiè inſignis dyſenteria, non remiſſa tamen febri, ad quem vocatus ſub veſperum, cum viderem maximum impendere periculum à virium lapſu, ſi in diem ſequentem efficax & requiſitum remedium produxiſſem, illicò ex dextra baſilica detrahi juſſi circiter uncias quindecim ſanguinis, ex quo nox tranquillior fuit: poſtridie verò utrumque vitium reſolutum. Is juvenis erat, firmus, venoſus, & ſanguine refertus, ex eorum numero & hominum genere, qui abunde, & impermixtum ſingulis horis merum hauriunt.

*D. Eſſartio lienterico & dyſenterico.*

§. 10. Mirum item inventum præſidium in Domino Eſſartium, quem longa & valida febris cum alvi fluore, modò lienterico, modò dyſenterico, modò alterius generis, modò mixto, jam ad extremum ferè marcorem detruſerat. Ad cujus curationem vocatus, & tota hiſtoria morbi mihi ab uno Medicorum, qui illius curam gerebant, enarrata, auditaque ejuſdem Medici ſententia (quam communem ſe habere dicebat cum altero qui curationi jugiter interfuerat) quod parum ſperarent de ægrotante, cum per eos omnia artis auxilia in illo inutiliter fuiſſent uſurpata, videlicet frequens purgatio ex rheo: nam id videtur multis Medicis horum morborum unicum aſylum, quod niſi morbum tollat, inania ducunt reliqua, urinam moventia, adſtringentes fotus, litus, & reliqua id genus; in quorum ſerie cum minimè enumerata eſſet ſanguinis miſſio, (quæ certè inter omnia remedia primas obtinet)

net) protinus illam propoſui. Ibi ille miratus remedii novitatem, ſtatim profluentem alvum, cibi faſtidium, virium imbecillitatem, extremam corporis maciem, tabidam febrim, & deploratam quaſi valetudinis ſpem, coram attulit; quorum omnium cum ſingulum per ſe tale ſubſidium non poſceret (ut ille dicebat) imò ut adverſum repudiaret, eo magis eſſe impugnandum & fugiendum, cum omnia ſimul in extenuatiſſimo corpore ſint conjuncta, vixque alterum Medicum in meam ſententiam deſcenſurum. His à me auditis, & rationibus in contrarium adductis, ſine controverſia ille acquieſcere viſus eſt. Tunditur vena baſilica dextra, nobis præſentibus, ad uncias circiter novem ſanguinis putridiſſimi: quo facto, quia in exercitu Rupellenſi eramus, ubi hominem præ loci diſtantia videre, niſi rarò, mihi licebat, ſignificavi tantam viſcerum & totius corporis intemperiem & ſanguinis labem, quæ ſumma erat, unica hac detractione poſſe quidem minui, ſed non reſolvi aut aboleri: ideoque in rem fore, ut poſt quatuor aut ſex dies ad id præſidium denuò confugeret, verùm ex altero brachio, iterumque poſt dies alios octo aut decem, ex dextro, ſi ex hac prima & ſecunda miſſione aliquid opis ſenſiſſet. Quod ille fieri voluit, invitis Medicis qui ejus curam gerebant, monitus ſcilicet à me prius, inde à fructu primæ miſſionis, qui fuit eximius. Sic ille poſt paucos dies morbo penitus liberatus eſt.

*Vena ſecatur ſæpius.*

§. 11. Eadem morborum genera, nempe

febris,

febris, & profuſa alvus, tam ſua vetuſtate quàm vehementia, jam penè oſſa carne denudaverant famulo Præfecti Miſſardi in dicta obſidione, quem miſſione ſanguinis ter, ad uncias octo, repetita, & bis purgato corpore ex ſena & ſyrupo roſaceo laxante, ſanitati reſtituimus.

*Famulus Præfecti Miſſardi.*

§. 12. Synochæ putridæ acceſſit alvi proluvies laborioſiſſima ad diem decimum, quæ modò in diarrhœæ, modò in lienteriæ ſpeciem, febre non remittente, Joannem Deſratz aſſeclam meum, peſſimè torquebant. Utraque hæc affectio à ſanguinis miſſione, bis repetita, ſublata eſt, die undecimo. Prima detractio prima invaſione febris fuit, cui poſtridie adjecimus purgationem, quam denuo ad diem octavum repetivimus; à qua cum nihil auxilii recipere, ſed in pejus labi videretur, omiſſo purgantium uſu, ad ſolam phlebotomiam me converti, quam bis iterum in illo uſurpavi, ex uno ſcilicet & altero brachio, die uno interpoſito inter utramque ſectionem, quarum ſingula uncias novem ſanguinis ad minimum capiebat. Itaque ab harum prima magnopere omnis noxa in eo repreſſa eſt: à ſecunda, penitus ſublata.

*Aſſecla Botalli.*

§. 13. Eodem ſubſidio adjutus eſt famulus œconomi D. Salvii, quem lienteria non exigua dierum octo extorſerat, à qua manifeſtè relevari viſus eſt miſſo ſanguine, & poſtridie liberatus ab aſſumpto ſenæ decocto, cum momento infuſionis rhei.

*Famulus D. Salvii.*

§. 14. Non minoris efficaciæ comperta fuit,

fuit, dum Rupellæ obſiderentur, in D. Andrea Birago, fœtidiſſima lienteria, quæ graviſſimæ & ardentiſſimæ febri ſupervenerat, ſine ulla febris inclinatione, cujus affectus & febris ipſius cauſa, venam jam ante fluorem alvi inciſam, denuo reſcindi voluimus cum feliciſſimo ſucceſſu. *D. Andreas Biragus.*

§. 15. Dom. Matringheno, homini ferè ſeptuagenario, diarrhœa dierum octo ſtimulato, & ſanguinis miſſionem præ ſenio reformidanti, infuſum rhei nobis ab illo obnixè petitum inſtituimus: à quo cum nullo modo fuiſſet adjutus, ſanguinis miſſioni animum applicuit, unde ſalutem conſecutus eſt. *D. Matringhenus.*

§. 16. At quid liberavit Dom. Greffierium, & Chattarum, ſodales & amanuenſes D. Salvii, quos dyſenterica proluvies menſis unius jamjam confecerat, præter ſanguinis miſſionem, in primo ſemel, in ſecundo *bis*, uſurpatam? Nam & his non defuit multiplex omnia generis pharmacorum uſus, ab aliis Medicis inſtitutus. *D. Greffierius. D. Chattarus.*

§. 17. Porrò ut horum omnium, & aliorum permultorum, quos ex variis & gravibus alvi profluviis tum recentibus, tum vetuſtis, tum cum febre, tum ſine ea, divinâ gratiâ, liberavimus, maximam illorum ſalutis cauſam in ſanguinis miſſionem referimus: Ita certè ex adverſo, multorum aliorum interitum, quos alii Medici tractabant, ad dicti auxilii defectum referendum puto. Quorum etſi non liceat nobis hiſtorias adducere, licebit tamen non reticere aliquid circa eas, quod faciet ad diſci- *Hiſtoria quorundam ex defectu miſſionis ſanguinis mortuorum.*

diſciplinam, ſuppreſſo interim nomine & ægrotantium & Medicorum, quorum duo, (qui nunc cum ſuperis degunt) cum jam per menſem integrum, & una cum altero Medico clinico & domeſtico, illuſtrem quendam juvenem, annorum circiter viginti octo, febre aſſiduâ & dyſenteria acerbiſſima laborantem, tractaſſent, procedente ſemper malo in pejus, nec unquam ſanguinem miſiſſent, mihi tandem in conſilium accito, & ſanguinis miſſionem proponenti, pertinacius hi quàm eruditius ſic obſiſtere omnibus nervis ſunt conati, ob vires langueſcentes, & ob Galeni ſententiam adverſantem, ut de ea non præſtanda concluſerint. Ipſe non amplius redeo, trahit æger vitam adhuc per menſem. Biduum poſt illius interitum, unus duorum Medicorum (qui ambo erant nominis non incelebris, nec ætate juvenes) cum una apud quendam ægrotantem conveniremus, ſtatim primo occurſu (quaſi piguiſſet illum non contigiſſe nobis prius occaſionem invicem de re hac colloquendi, & oſtendendi quàm rectè ab illis fuiſſet decretum, de abſtinendo à ſanguinis detractione à me propoſita) infit: Obſecro Botalle, quid cenſeres inventum fuiſſe in cadavere ægrotantis, ad quem veneras tale in domicilium, jam menſis agitur? Ego, ſaltem inteſtinorum eroſionem inſignem. Ille, idipſum, & amplius, nempe ferè omnia inteſtina ſphacelo demortua, præterea vix gutta ſanguinis viſa eſt toto corpore, præterquàm in vena magna, & adhuc in ea non multum, adeò ut oſten-

*Quid in anatome dyſenterici obſervatum ſit.*

oſtenderet, quàm importune ſanguis fuiſſet miſſus, qui ſuſtinuit adhuc moribundum in multos dies. Cui ego reſpondi: Non nego, non potuiſſe mitti maturius, ſed & etiam dum appuli, licuiſſet potius id anceps auxilium experiri, quàm omitti. At inventum fuiſſe cadaver exangue, quem Medicum, artem exercentem, debebat hoc latere? Cum id commune ſit omnibus his, qui tabe & marcore conſumuntur, etiam ſine ullo alvi fluore. Quid igitur fieri oporteat in hoc, cui & alvi fluxus (ex quo non ſolum ea quæ per inteſtina labebantur, effluebant inutiliter, ſed & ſanguis, & inteſtinorum ipſamet ſubſtantia, excernebatur) & febris aſſidua, & appetentiæ ſumma dejectio, & vigiliæ aderant? Poterantne hæc octo diebus, non duobus menſibus (quod ſuſtinuit ſubjectum fortiſſimum) corpus ſanguine exhaurire? Ille: crede, inquit, celerius interiiſſet, ſi ſanguis fuiſſet miſſus, ex detracto ſcilicet alimento corpori; qua de re nos rectè monuerunt Hippoc. & Galenus. Ego (quoniam ſenior me erat, & ne viderer contentioſius de re jam inutili meam ſententiam ſuſtinere, quæ illis aliquam ignominiam potuiſſet afferre) jam dico, ſinamus de mortuis loqui, & de vivis dicamus. Alter Medicus, quem poſtridie obviam habui, idipſummet mihi ad divinandum propoſuit, quaſi ita inter eos fuiſſet ſtatutum, fore mihi hoc ſignificandum à primo eorum occurrente: cui id reſpondi, quod priori, qui is fuit, qui ægrè tulerat ſanguinem miſſum fuiſſe Foqueto, & alteri

*Celſ. l. 2. c. 10.*

alteri qui interiit, ut primus, ſed tantum dies viginti ægrotaverat, cujus inteſtina exeſa & corrupta ſimiliter fuerunt inventa, ut in altero mox dicto. Quæ exeſio & corruptio neceſſario omnes graves dyſenterias ſequi ſolent: quas qui non videt fieri ab inflammationibus, & eas pro curatione non minus deſiderare ſanguinis miſſionem quàm pleuritidem, (ſed certè non tam largè & confertim) ſciat ſe artis medicæ parum eruditum fore, parumque perſpicacem in exquirendis morborum, quibus homines affliguntur & interficiuntur, abſtruſis cauſis. Nam quemadmodum pleuritis & peripneumonia interficiunt, ex corruptione pulmonum, & partium thoracis, inſervientium reſpirationi ad vitam neceſſariæ, & ex communicata putredine cordi; ita hæc interficit ex corruptione, & communicatione etiam earum partium, ſine quarum integritate homo vivere nequit, nempe inteſtinorum primum, deinde jecoris, mox per conſenſum cordis, & totius corporis; ut patet per febrem, & alia mala ſymptomata ſuccedentia.

*Dyſenteria quid commune habet cum pleuritide & peripneumonia.*

§. 18. Sed ſatis ſuperque exemplorum & rationum efficacium ad hæc adduximus, quibus vel etiam Medicinæ inexercitatis conſtare poſſit, etiam in his affectibus ſanguinis miſſionem eſſe magis amplectendam, quàm veteres commendent, & Medici noſtri temporis, illorum exemplo, faciant. Cauſam cur in hoc etiam erraverint hi duo graviſſimi viri, & certè totius Medicinæ lumina, eandem eſſe cenſemus, quam præcedente capite diximus.

CAP.

## C A P. V.

*Poſſe ſanguinem mitti, exanthematis, parotidibus, aut aliis criticis evacuationibus apparentibus.*

EXplicatis quibuſdam eorum, in quibus ab Hippoc. & Galeno aperte ſanguinis miſſio improbatur, quorum præcepta paucis aut fere nullis Medicis non videbantur accepta: deſcendamus nunc ad examinanda alia, in quibus cum dicti authores aperte hoc auxilium neque improbent neque approbent, ad illud interim potius improbandum quàm commendandum flectuntur fere omnes poſteriores: ut in febribus dum exanthemata, aut parotides, aut alius aliquis abſceſſus erumpit, aut quidvis aliud critice quodam modo apparet.

§. 2. Dicamus prius quid ſint exanthemata & abſceſſus, & unde ea oriantur, ut facilius mens noſtra percipi & confirmari ab iis valeat, qui exactius naturæ officia ſcrutantur. Sunt igitur exanthemata, exiguæ prominentiæ in cute, aut maculæ rubræ, vel pallidæ, vel purpureæ, vel ſubnigræ, interdum univerſam cutem obtegentes, interdum per eam modo denſius, modo rarius diſſeminatæ, modo latiores, modo munitiores, & modo cutis planitiem nullo modo excedentes. Abſceſſus dicitur, quicquid ex defluxu materiæ tranſmiſſæ in aliquam corporis partem, aut ei inhæret, aut tumorem excitat, ut parotides, qui ſunt tumores juxta aures, & bubones ſub alis, & in ingui-

*Exanthemata quid.*

*Abſceſſus quid.*

*Parotides & bubones quid.*

inguinibus, aut carbunculi, & id genus alia: ſub quo nomine abſceſſus (p) & exanthemata comprehenduntur; item & criticæ evacuationes per alvum, per vomitum, per veſicam, per uterum, per nares, per ſudores. At hi abſceſſus per emiſſionem, illi per depoſitionem dici ſolent. A quibus nullam indicationem mittendi, aut non mittendi ſanguinis ſumemus, ſed à morbis & ſymptomatis ea ſubſequentibus.

*Abſceſſus quotuplex.*

§. 3. Exanthematum & bubonum, & carbunculorum, & ſimilium abſceſſuum materia, eſt ſanguis, corpori ſuâ mole, vel vitio, vel utroque modo inutilis, quem natura, judicationis modo, certo quodam tempore, corpore extrudere nititur: quod illa quandoque ſine alieno auxilio perficit, quandoque verò oppreſſa vincitur egens ope artis. Erit igitur inutilis venæſectio in exanthematis, & aliis dictis abſceſſibus erumpentibus, aut paulo poſt, dum febris, & alia mala accidentia (ſiquæ ſint) ſolvi aut evidenter miteſcere videbuntur: ſignificat enim id, naturæ vires eſſe morbificâ cauſa ſuperiores: Quare ibi artifex animad-

*Abſceſſuum materia quæ.*

*Quando in ſis non mittendus ſanguis.*

(p) Ex profeſſo de Abſceſſibus egit M. A. Severinus *lib. de recondit. Abſceſſ. nat.* c. 1. dicitur autem Abſceſſus à verbo abſcedere. Abſcedit verò vel pars à parte, ut in gangræna, oſſibus aëri expoſitis: vel Humor ab humore, idque per ἔκκρισιν intra viſcera, per ſinus & cavitates naturales; vel per μετάστασιν de loco in locum tranſlata materia extra viſcera, fitque vel fluxione, eaque cita, ut in puſtulis, aut lenta, ut in ulceribus; vel Congeſtione. Vide etiam *Steph. Rod. Caſtrenſis opuſcul. quæ ex quibus l. 3. c. 1. & Marinelli Comment. in Hipp. hoc tit.*

(q) Con-

animadvertere debet, ne naturæ conatus rectè inchoatos imprudenter infringat. Si verò dicti conatus vel prorſus inutiles, vel minus parum efficaces ſint, tunc naturam oneri ſuccumbere, & à cauſa morbi ſuperari, ſignificatur: cui crebrò in tam periculoſo certamine niſi ſuccurratur, victa jacet. Ergo quemadmodum illa non erat interpellanda, dum ſe victricem oſtenderat, ita neque auxilio eſt deſtituenda, cum aliquam Medico præbet ſuæ imbecillitatis & oppreſſionis ſignificationem: quæ ſententia ab Hippocrate & Galeno multis locis lucidiſſimè fuit pronuntiata, præſertim iis aphoriſmis. *Quæ judicantur & judicata ſunt integrè*, &c. & altero: *Quæ relinquuntur in morbis*, &c.

*Quando mitti ſanguis debet.*

*1. Aph. 20.*
*2. Aph. 12.*

§. 4. Dicet hîc quiſpiam, qui velit non ſine aliqua ratione adhuc contendere: Ergo non ſolum non eo die quo exanthemata erumpunt, ſed etiam neque poſtridie, aliquid movendum eſt, cum ſæpe eveniat, ut imperfectæ criſes in plures dies protrahantur. Ad hæc dicemus, certam, ſtatam, & univerſalem regulam his dari minimè poſſe; ſed prudentis eſſe Medici, diſcernere quando primo die, vel ſecundo, vel tardius opitulandum naturæ ſit; vel ea ſine auxilio relinquenda: cum ea indiga auxilii non ſit, ſi die judicationis opus aggreſſa, morbum, ut diximus, deleat, aut maximè extenuet: Contra verò ſi aliter fiat. Adde quod ſanguinis miſſio etiam utilis ſit, ubi, erumpentibus illis, mala utcunque inclinantur. Adeò ut ipſe non differam ſanguinem

*Objectio.*

*Reſponſio.*

*Natura quando non indigeat auxilio.*

mittere, ( etiamſi ante illorum adventum fuerit alias miſſus) ſi lentè febrem inclinare videam: citius enim & hi ſic curantur: ita u illi (ſi convaliturus eſt æger) & citius, & tutius.

§. 5. Verùm de his pluribus diſſerere hî non eſt locus; ſat enim ſit nunc nobis, cun Hippocrate & Galeno dicere, judicatoria qua non judicant, eſſe exuperantis & perverſi humoris, naturam ad præcocem excretionem ſtimulantis, indicativam. Indicat igitur ill tunc, ſe opem poſcere, idque venâ ſectâ potiu quam purgatione: Ratio enim in promptu eſt, eaque firmiſſima: Cum in propoſitis caſibus morbi cauſa ſit in venis, non in inteſtinis recepta. Accedit ad hæc, quòd purgatio præterquam quòd totum corpus perturbat, & impetum, & motum humoris revocat ad principes aut internas partes, alia etiam hæc mala facit, ut ait Hippocrat. *in lib acut. num.* 36 *Quas ſyſtrophas*, id eſt, collectiones ſeu abſceſſus per repoſitionem appellant, *diſſolvi non poſſunt, ſi quis medicamento purgante aggreſſus fuerit nam in his venaſectio præferenda eſt, &c.* Quare ea tantum ex arte datur aut in principio febris, aut dum cocti ad excretionem parat humores ſunt, Sanguis verò (ſi morbi genus poſtulet, nec vires reclament) omni tempore mitti poteſt: Neque hic noſter conceptus de corpore evacuando in parotidibus aut ægrum non levantibus exanthematis, novus eſt, neque à Galeno non confirmatus, in explicatione horum verborum Hippocratis

*Purgatio erumpentibus abſceſſibus nocens.*

pocratis : *Læta exanthemata non admodùm pruriunt, &c.* *l.6. Aph.9.*

§. 6. Eſt & alia objectio, quæ adverſus nos in curationibus ægrotantium à multis Medicis adduci ſolet, & ſcripto, ſi rectè memini, à nonnullis memorata: nempe, quod venæſectione intro revocetur, quod natura foras expellere cœpit, videlicet à circumferentia, ut ajunt, ad centrum. Quæ ratio tenuibus ſatis argumentis fulcitur, cum omnino contrarius effectus illorum ſententiæ luculentiſſimè conſpiciatur, nempe trahi ab internis ad externa, non contra, ut illi dicunt: & licet ſanguis à dextris ad ſiniſtras, vel à ſiniſtris ad dextras partes trahi nequeat, ( adde etiam ſi lubet à ſupernis ad infernas, vel ab infernis ad ſupernas; quod tamen non eſt ita neceſſe, ut in illis ) niſi tranſeat per maximam venam internam ſpinæ dorſi hærentem; id tamen accidit tantùm in ſuperfluis, & non arte factis ſanguinis effuſionibus, non autem in iis quæ arte inſtituuntur. At, hac ratione per eos adductâ, non tam validè venæſectio hoc loco improbatur, quàm purgatio, quam illi nec impugnant, necnon interdum importunè proponunt. Sed eſto, rapiatur aliquid, quod tamen non fit: longè interim major eſt utilitas, quæ ſequitur convenientem evacuationem materiæ onerantis, quàm injuria quæ ex momento materiæ corruptæ, in magnam venam receptæ, poſſit contingere. Contende jam tu in contrarium, ut victor ipſe tibi, ſed falſi videaris, & accedamus nos ad exempla multis cognita. *Objectio.* *Reſponſio.*

*D. Poyrini Caſus.* §. 7. Illuſtrem Dominum Poyrini, robuſtum adoleſcentem putris & inſignis ſynochus corripuit: die tertiâ ſoluta eſt alvus diarrhœæ modo, poſtridie febri, & fluore alvi eodem vigore perſeverantibus, rubra exanthemata denſiſſima, leviterque eminentia, univerſam cutem occupant; luce ſequenti quæ quinta erat à febris invaſione, cum omnia mala perſiſtere & adoleſcere videremus, ſanguinem mitti voluimus, nobis præſentibus, ad uncias octodecim, à quo opere omnes in illo noxæ ſic declinare cœperunt, ut biduum poſt nullum ſupereſſet earum veſtigium.

*Aſſecla D. Barruſſa.* §. 8. Ea ipſa hora qua miſſus eſt ſanguis dicto ægrotanti, & eodem domicilio, eodemque morbi genere, ſed ſine alvi fluore, detrahi etiam juſſimus libram unam aſſeclæ Domini Barruſſæ; Erat autem hic annorum octodecim, & dies ægritudinis quartus, ſecundus verò ab eruptione exanthematum; quo omnia in illo mala extincta ſunt: Unde poſtridie qui quintus erat à morbi initio, ad conſueta ſua obſequia reverſus eſt.

*D. Clarmontius Villardus aſſecla.* §. 9. Vindicavit etiam à febri, & ab exanthematis dicti generis D. Clarmontium vena ſecta. Item & Villardum unum ex aſſeclis Reginæ: & alium aſſeclam Illuſtriſſimi Ducis Allençoniorum Regis fratris, & alios multos à nobis percuratos. *Filius Petrei.* Quod ſe etiam in filio ſuo præſtitiſſe magno ſucceſſu Petreus Medicus eruditiſſimus mihi narravit.

§. 10. In curandis verò exanthematis ſine febre orientibus, aut illam præcedentibus,

qualia

qualia Lutetiæ æſtate 1575. in multis viſa ſunt tum maribus, tum fœminis, tum adoleſcentibus, tum ætate conſtantibus, nempe, denſiſſima per totum corpus prominentia, lata, dura, ſubrubra, aut pallida, qualia à contactu urticarum edi ſolent, eaque modò cum pruritu, modò ſine eo, cum nemo ferè Medicorum ſit, qui ſtatim non confugiat ad propoſitum auxilium. De his itaque nihil nobis agere reſtat, præterquam dicere, errorem eſſe, quod plærique Medici in his faciunt, qui corpora purgant, priuſquam ſanguinem mittant, cum hæc illam præcedere ſemper debeat, imo etiam liberalius repeti, ſi contumax & gravis eſt morbus, propterea quod dictus affectus ab effervefcentia & redundantia ſanguinis ut plurimum contingit, & ſi alvus ſicca eſt, eluenda clyſteribus.

*Exanthemata dura.*

*Error medicorum qui purgationem præmittunt venæſectioni.*

§. 11. Quæ de exanthematis in defecta criſi emergentibus dicta ſunt, eadem puta eſſe dicenda de parotidibus, bubonibus, & aliis hujuſmodi abſceſſibus præmature erumpentibus; nempe in iis expeditiſſimum eſſe ſanguinem è vena mitti, dum ſcilicet illis prorumpentibus febris non inclinatur aut ingraveſcit, quod utiliſſimum eſſe in multis fuimus experti, ut in Janitore Illuſt. Cancellarii, in Alexandro famulo Illuſtris D. Lovei: in Domino à Caſtro novo, in cubiculario Comitis Freſchi, in linteorum lotore ſereniſſimi Ducis Andium, in D. d'Accodre, in D. de Chamois, & aliis multis.

*Parotides.*

*Janitor Cancellarii Alexander.*

## CAP. VI.

### *Menſibus fluentibus, aut lochiis, aut ſanguine è naribus aut hæmorrhoïdibus criticè, quomodo ſanguis mittendus.*

QUæſtioni de exanthematibus, & bubonibus recte accedet & ea, quæ eſt de ſtillatione aut fluxu ſanguinis ex naribus, aut de erumpentibus menſibus, aut lochiis, aut hæmorrhoïdibus fluentibus; num ſcilicet iis evenientibus, aut critico modo, aut aliter, febre aut aliis malis perſeverantibus, ſanguinem è vena pro curatione dictorum morborum mittere liceat: dubium quodammodo à Galeno explicatum, ſed non ſatis aperte. Qui negant mitti oportere, eandem cauſam afferunt, quam de exanthematibus; non eſſe ſcilicet naturam impediendam, neque revocandam ab incœpto officio: Quod quidem verum eſt, dum ea ex parte, ut jam dixi, ſufficere poteſt, fretus naturas ipſas, ex Hippocrate *l. 6. Epid. ſect. 5. n.* 1. morborum omnium eſſe medicatrices, non Medicum aut medicamenta.

*Ratio nolentium mitti.*

§. 2. Ergo indicium mittendi aut abſtinendi, pendet primo ex notione operis naturæ, an id ſcilicet ſufficiens ſit, an curtum & diminutum, ut in iis quibus tantummodo ſtillant nares in febribus acutis. Quam ſtillationem in (q) malis ſignis numerant & Hippocrat. & Medici omnes; quoniam nihil exiguum criticum

*Stillatio narium mala.*

(q) Conſule *Duretum in lib. 1. Coac.* 37. & 61.

criticum eſt, ſed ſymptomaticum, indicans naturam gravari onere, & vitio humoris; quem illa maturè tentat expellere: quod quum abſolvere non poteſt, adjuvanda eſt; quod ſemper facio. Nempe in Villardo Sereniſſimi Ducis Andium aſſecla, ardente febre correpto, cui ter miſimus ſanguinem ad libram unam pro qualibet vice, nempe die ſecundo, & quarto, & ſexto. Quotidie huic ſanguinis aliquot guttæ ſtillabant ſine fructu; ſeptimo ſudore copioſiſſimo liberatus eſt. Idem præſtitimus in curatione filii Illuſtriſſimi Comitis Sancti Agniani, & Domino Gyneſacho, quibus ſimiliter laborantibus, ut ſuperior, febre nempe ardente, cum ſtillatione ſanguinis ex naribus, opem attuli, alteri miſſo ſanguine, die tantum quinto, quo fui ad illum accitus, unde ſeptimo liberatus eſt ſudore copioſo: huic miſſo & ſecundo, & quinto, & initio noni, quo die ſudor copioſus in integrum morbum extinxit. Multos alios, imo omnes æſtate præterita Cameraci, & in exercitu, quibus nares ſtillabant cum febre, (qui innumeri fuerunt) ſic curavi cum felici ſucceſſu; quamvis eſſent ex genere febrium peſtilentium, cum capitis & lumborum doloribus graviſſimis, & urinarum turbulentia, & confuſione; & quidam cum exanthematis, aut parotidibus, quos mors excipiebat, niſi large ab initio ſanguis fuiſſet miſſus: Quod ut diligentiſſimè obſervaret, dicebam Antonino Capluano Philoſophiæ ac Medicinæ candidato, qui me ſequebatur praxeos adipiſcendæ gratia,

*Villardus febre ardente laborans.*

*Comes Sancti Agniani. Dominus Gyneſachus.*

*Quid faciendum, in ſtillatione narium.*

*Capluanus Botallum praxeos gratia ſequitur.*

tia, qui multos per ſe curabat tum in xenodochiis degentes, tum in urbe.

§. 3. Hanc curandi & mittendi ſanguinis rationem, in dictis febribus, cum ſtillatione narium, ſemper obſervavi à decennio, cum ſumma operum felicitate: quod profecto ita non eveniebat antea, dum timidior hac in re, pariter cum cæteris Medicis errarem, ut dum juxta Lemovices Rex cum exercitu adeſſet, quo tempore, præ magno æſtu multi in febres ardentes incidebant, quorum aliis eveniebat larga effuſio ſanguinis ex naribus ad necem, aliis ad ſalutem, & aliis ſola ſtillatio, qui magna ex parte interibant defectu ſufficientis miſſionis ſanguinis, cum raro tunc quiſquam Medicus fuiſſet auſus bis ſanguinem mittere ante diem ſeptimum, & nunquam ſupra uncias novem aut decem, qui erat ſummus modus.

*Plures ardentibus febribus correpti interibant defectu miſſionis ſanguinis.*

§. 4. Haud ignoro hæc non æquo animo ferri ab aliquibus ſenioribus, ſive noſtri ſeculi Medicis, qui ſibi hac in re aliquam fieri injuriam putabunt: ſed ferant obſecro à nobis verum dici, multis aliis cognitum. Quod ſi ipſi nunquam in mittendo ſanguine fuerint juſto timidiores, (quod non credimus, quamvis meminerim Flexelium non fuiſſe timidum, ſed neque etiam à quoquam in ſua opinione ſequutum) credant etiam, ſe extra numerum eorum eſſe, de quibus hic dicimus, quorum tamen me unum fuiſſe fateor. Sed ut ad rem redeam, ſcito, in dictis febribus cum ſtillationibus nil eſſe, quod tam rectè poſſit ægrum à

vitæ

vitæ periculo (in quo Hippocrat. illos eſſe teſtatur) liberare, quam ſanguinis miſſio, maturè & largè facta.

§. 5. Facilius forte quis in hanc noſtram ſententiam trahetur, dum ſanguis tantum parce ſtillat, quam ubi ſponte ſua ad libram unam, vel duas effunditur; quo in loco etiam phlebotomiæ non eſſe parcendum dicimus, ſi res poſtulet. Poſtulat autem ferè ſemper, duplici ratione, una, quo ſpontina evacuatio non tollat ægrum, ut aliquando vidimus, nempe Lemovicibus (annus agitur circiter quartus decimus) dum in exercitu cum Rege eſſemus, juvenem quendam mercatorem, & alterum, ad quos tantum fui accitus, dum retinere ſanguinem Medici non valerent, qui nullo auxilio ſervari potuerunt; quod contigit etiam eo loco & eodem tempore uni ex famulis Illuſtriſſimi Cancellarii, & multo tempore ante hos, uni ex nobilibus Illuſtriſſimi olim Mareſcalli Brixiaci oppido Etlano, cui nulla arte ſanguinem, quem primum ad ſalutem fluere exiſtimabam, & quem ad libras tres vel quatuor, juxta Galeni præceptum, fluere ſua ſponte ſiveram, retinere potui. Quæ res tandem occaſionem mihi dedit excogitandi, & tentandi aliam tutiorem viam ſervandi ſimiles ægrotantes, aperta ſcilicet vena brachii, tum ad retrahendum ſanguinem, ne ſua ſponte fluat largius ex vena latente, quæ reſtringi poſtea non valeat, tum etiam ad evacuandum quantum ſit ſatis, & ex ſanguine impuriore, cujus evacuatio ſalubrior eſt, quam ejus qui

*In fluxu ſanguinis è naribus copioſo venæſectio prodeſt.*

*Nam interibant ex ſanguinis fluxu e naribus.*

ſponte

*Sanguis qui ſponte exit purior eo qui detrahitur.* ſponte effunditur, qui eſt purior. Puriorem (r) perpetuo excerni è naribus ſanguinem, imò & ex hæmorrhoïdibus, eo, qui venâ ex brachio aperta detrahitur, ratione conſtat, & *Probatio.* experientia ſive ſenſu comprobatur. Ratio eſt, quoniam ſanguis qui ex capite effunditur per nares, depuratus magis eſt, cum capiti data ſint emiſſaria, ad illius fæces expurgandas; quibus emiſſariis non egebant artus, qui ex materia ſunt craſſiore, & ignobiliore cerebro.

§. 6. Scio hæc dura, & creditu difficilia fore iis, qui aliter hactenus ſenſerunt: res tamen ita ſe habet, ut dixi, nempe & ſanguinem talem eſſe, & juvari dictos ægros, tutiuſque ſervari, ſi ab ipſo initio, dum ſanguis è naribus erumpit, vena brachii aperiatur, & juſto modo mittatur, pro ratione plenitudinis venarum, quam ſinere ſuâ ſponte fluere. Nec metuendum eſt, ſic naturæ fieri injuriam, ut qui-*l. 1. Aph. 20.* dam dicent juxta illud Hippocratis, *quæ judicantur non eſſe movenda, neque iritanda, ſed ſinenda.* Sententia complectenda potius in aliis evacuationibus

(r) Cur è naribus ſanguis purior excernatur, multiplex ratio dari poteſt, vel quia is qui ad cerebrum tendit, eſt ſubtilior & ſpiritibus magis repletus; quia interdum ex arteriis effunditur reſeratis per anaſtomoſin vel diabroſin; vel, quia è venulis effunditur, ſed in quas ex vicinis arteriolis ſanguis deponitur; unde etiam videmus, (quod contra Botallum notandum) è manu & pede floridiorem ſanguinem evacuari quam è brachio, quod etiam notavit *Spigelius l. 5. c. 13. de fabr. cor. hum.* Sed quid dicemus de hæmorrhoidibus? Sanè ex iis ſpontè apertis, non ſemel vidi ſanguinem floridum fuiſſe evacuatum; quare exiſtimavi, ex arteriolis eum provenisse.

(s) Vide

tionibus quam in hac, ut dum fluore alvi, aut ſudoribus, aut menſium eruptione, aut urinarum craſſarum effluxu, criſes oportune inchoantur: nam hæc in unum aut alterum diem, obſervanda ſunt, priuſquam ſanguinem mittas, quoniam per loca fiant, quibus corporis colluvies naturali conſuetudine ſolet excerni, quorum oſcula non tam facile præter modum dilatari aut diſrumpi poſſunt, ut illa venarum.

*Error Medicorum qui ſanguinem à brachio mittere non audent in fluxu narium.*

§. 7. Non igitur fidendum eſt iis qui dicunt, evacuatione quæ per nares fit, excerni impurum ſanguinem, & retineri purum, quoniam evacuatio, inquiunt, hæc à natura ſagaci fit, ſegregante utile ab inutili: Eſt enim hoc profecto falſum. Eſt quidem opus naturæ rumpentis venas teneriores, copia multa extenſas, unde fluat materia ipſa, quæ corpus onerabat ſine ullo delectu: Quare perpetuo aut rariſſimè non videas, hunc floridiſſimum eſſe & ſynceriſſimum, & eum qui eo ipſo tempore ex brachio detrahitur, ut plurimum eſſe corruptiſſimum, non ſecus: ut ſæpiſſime vidimus à decennio, & adhuc hac æſtate præcedenti Cameraci in permultis, ut in D. Villermont affine generoſiſſimi & prudentiſſimi viri D. de Phargis, præfecti & tribuni militum, & in D. de Chamois, & aliis, quibus Dioneus, Regis, & Sereniſſimi Ducis Andium Chirurgus eruditiſſimus, venam ſecuit: & Peronæ in D. de Tournon conſobrino generoſiſſimi Domini de Drou, & in aliis plus quam viginti, quibus bis terq; ante diem ſeptimum venam ſecuimus ad libram unam ut minimum, aut etiam ad ſeſquilibram pro ſingula

detra-

detractione, tum ut periculum à febre ardente & peſtilente, quæ graſſabatur, vitaremus; tum etiam, ne ita impetu fluentis ſanguinis per nares (ut dixi) venæ dilatarentur, ut conſtringi amplius nequirent, ita omnes ſervati ſunt, ut teſtes idonei ſunt & dictus Capluanus, & Dioneus, qui multis ex iis, meo conſilio, venam ſecuit, & aliis etiam multis, ex animi ſui ſententia. Horum inquam multis, plus quam libræ tres aut quatuor, & aliquibus plus ſex, proſiluerunt ex naribus, quibus tamen nos etiam duas ad minimum, vel tres, vel quatuor detraxeramus. Quorum nemo non fuit perſanatus ſudore copioſo, die ſeptimo, quinto plures, unus verò aut alter nono, excepto Domino Bacquevile Magno appellato, qui ad decimum quartum ſanatus eſt, nec tardius eorum corpora reſtituebantur, imò hi celerius in priſtinam valetudinem redibant, quibus largius fuiſſet miſſus.

*Cautio adhibenda.*

§. 8. Cæterum in his major in detrahendo ſanguine cautio requiritur, quam in iis quibus duntaxat guttatim & lente ſtillat. Hanc itaque animadverſionem eſſe adhibendam methodumque ſervandam, hoc loco dicimus, ut & mature vena aperiatur, antequam corpus morbi longitudine, & vehementia, & victus tenuitate, & corruptela humorum, (quæ ſingulis momentis in ægris corporibus geminatur) ita ſit viribus exhauſtum, ut vacuationem convenientem ſuſtinere nequeat. In quod erroris genus majorem Medicorum partem ruere videmus, expectantes hi ad id auxilium confugere;

ſugere, cum nec licet ſatis mittere, propter vires reſolutas, nec ſi adeo hæ reſolutæ non ſunt, non tamen æque prodeſt, ac ſi tempeſtive fuiſſet occurſum.

§. 9. In gravi igitur febre, aut ardenti, ne verearis primo ipſo die venam aperire, aut ſi dubites futuram intermittentem, (cum ſit difficile tertianam, primo inſultu, ab ardente diſtinguere, cum ſæpiſſime hæc etiam cum frigore prehendat, & par in utraque videatur incendii vis,) collue primâ die alvum clyſtere molliente, detergente, & refrigerante; poſtridie, aut in fine primæ diei, detrahe ex dextra baſilica, in corpore mediocrium virium, libram unam, aut paulo amplius ſi impurus ſit; & horis quinque vel ſex poſt, febre in eodem vigore perſeverante vel increſcente, detrahe item ad uncias ſaltem ſex, vel decem, ſi fuerit impurus. Nec decipiaris falſa illa opinione, minus eſſe detrahendum ubi vitioſus eſt; Quæ ſententia vera tantum eſt, in evacuatione illa immenſa, cujus Galen. aliquando meminit, librarum ſex, vel ad animi deliquium. Si poſtridie ejus diei ſtillent nares, perſiſtente febre, ſanguinem item detrahe ad ſeſquilibram, vel largius, ſi grave malum ſit, & venæ repletæ conſpiciantur: quæ ſanguinis miſſio iterari poteſt, & debet, ſi poſtridie item aut ſtillent nares, aut non ſtillent, ſed febris continuet in eodem vel majore vigore. *Qua facienda ſint in febre gravi aut ardente.*

§. 10. Hanc ipſam mittendi ſanguinis formam ſervamus, ſi è narib. ſanguinem largius effundi videamus. Itaque ſi ad ægrum acceſſerimus, *Forma Botalli in mittendo ſanguine.*

rimus, antequam multus effluxerit, ſed videamus ex ejus impetu largius fluxurum, puta exierit circiter dimidia libra; hic non vereor confertim libram ex brachio detrahere: Si non deſiſtat è narib. fluere cum impetu, revulſive item è brachio mittam, nempe ad unciam unam, vel dimidiam, digito appoſito venæ orificio, & rurſus detracto, ut alibi oſtendimus eſſe faciendum: Qui ſi difficilius detinetur, & vires labaſcunt, vincula extremis partibus danda ſunt, & cucurbitulæ affigendæ, & alia molienda quæ ad hæmorrhagiam cohibendam faciunt, de quibus hîc ſcribere locus non eſt, neque etiam quo modo febres curandæ, ſed quando & quantum in his ſanguinem mitti expediat, ſi nares ſtillent, aut ſanguinem fundant, aut menſes fluant, aut lochia currant, aut hæmorrhoïs aperta ſit, febre conſiſtente & perſeverante: in qua phlebotomia abdicanda non eſt, etiamſi illa adſint, juxta illud Galeni monimentum de curandis ſynochis febribus dicentis: *Si tempore mittendi ſanguinis menſes moveri contigerit, ſive etiam hæmorrhois ſit recluſa, ſi inſpecto fluentis impetu, ipſe ſatis fore videbitur, qui ſolus quod requiris vacuet, naturæ rem omnem permittes. Sin minus, tantum ipſe detrahes, quo ex conjunctis ambobus perficiatur quod poſtulas.* Hæc ſententia univerſalis eſt, licet Galenus eam nunc contraxerit, nominatim dicendo de menſibus & hæmorrhoïdibus, ac ſiquis habere tres angulos æquales duobus rectis ſcaleno convenire diceret, nullâ factâ mentione de reliquis trianguli ſpeciebus. Convenit

venit ergo & omnibus excretionibus criticis imperfectis, & præmaturè, aut parcius venientibus, ut diximus jam non modo nunc de ſanguinis ſtillatione, ſed & antea de exanthematis, parotidibus, & aliis abſceſſuum generibus, indicantibus naturam opem efflagitare.

*Lochia diminutim fluentia non impediunt venæſectionem.*

§. 11. Ergo ſi ſanguinis fluor è naribus, & hæmorrhoïs, & menſtrua purgatio dum ſunt diminuta, non interdicunt ſanguinem è vena mitti, ita profecto neque lochia poſt puerperium, neque alia quævis diminuta evacuatio ſpontina: ut patuit nuper in quadam Damicella poſt partum gemellorum, quæ totos ſex primos dies egit inſomnes, & ferè ſine cibo, ob vehementem & aſſiduam febrem, capitiſque & uteri dolorem, quæ omnia maniſeſtiſſimè fere deleta ſunt (ſaltem dolores) ex baſilica dextra aperta ad libram unam, quod auxilium omnibus nervis quidam Medicus, non juvenis quidem, contendebat obfuturum, fretus, ut dicebat, currentes purgationes ceſſaturas, & omnia in pejus lapſura: quæ rationes vanæ fuerunt inventæ, cum ſtatim, imò exeunte ſanguine (quod præſtitimus hora quinta veſpertina diei ſextæ) fructum perceperit, nocteque dormierit, & ſeptimum diem, & alios ſimiliter ſubſequentes egerit pacatiſſimos: quam medicinam non in hac tantum puerpera utiliſſimam comperimus, ſed & in aliis.

*Exemplum in Damicella quadam puerpera*

*Et aliis.*

*Stymargi hiſtoria ex Hippocr.*

§. 12 At Stymargi famulæ hiſtoriam hîc inſeri neque erit abſurdum, neque inutile, propter eam quam habet cum præſenti tractatu affini-

affinitatem, verborumque brevitatem, & doctrinæ fœcunditatem. *Stymargi*, inquit Hippocrates, *famula ubi filium peperiſſet, converſum eſt eï uteri oſculum, & dolor ad toxam & crus: juxta malleolum ſectâ venâ liberata eſt, & quidem cum etiam tremores totum corpus detinerent. Verum ad cauſam devenire oportet, & cauſa principium.* Hiſtoria hæc dictione modica quidem eſt, ſed documento profecto quidem maxima. Ante omnia eſt in ea obſervandum, à puerperio eſſe miſſum ſanguinem, quod, ut diximus, ferè omnes, medicinam noſtro ſæculo factitantes, irrationali & falſa opinione ducti, deteſtantur; quòd exiſtiment propterea naturam revocari à lochiorum ſeu puerperii purgamentis: præterea, non conferre ſimul moliri hanc evacuationem, alterâ adhuc perſeverante: tum etiam, ne virium lapſus ſequatur. quaſi non ſæpiſſime videamus naturam plures, diverſas, & inſignes uno tempore evacuationes aggredi, in ſalutem ægrotantis. Secundo loco obſervandum eſt, præſtitum id fuiſſe toto corpore tremente, quod multis, ſed inexercitatis, videbitur abſurdum, perinde quaſi interdum non æque conveniat mordentes halitus, & ſuccos per venas & habitum corporis delatos, tremores & totius corporis concuſſiones efficientes, venæ ſectione minuere, ut vomitu aut ventris purgatione eos qui ventriculum & inteſtina opprimunt & vellicant. Addé præterea, quod ſæpiſſime tremores, horrores, rigores, & perfrictiones fiant in univerſo corpore ex putredine aliqua, vel ſanguinis, vel vaporum, commu-

*l. 2. Epid. ſ. 4. §. 5.*

*Primum obſervandum in hac hiſtoria.*

*Secundum.*

communicatâ jecori, cordi, & cerebro, erumpente ab infecta aliqua corporis particula inflammata, ut utero poſt partum, aut vulneribus incenſis, aut in quibus putridi aliquid latet, aut abſceſſibus reconditis, & ad pus venientibus. In quibus omnibus, etiam tremente corpore, imò & rigente, cum hæc ſymptomata aut ſæpe recurrunt, aut in multas horas ſine intermiſſione perſeverant, ſanguinem mittere expeditiſſimum eſt. Tertium eſt, quod in ſummo morbi vigore videatur eſſe factum, quo tempore & ipſemet Hippocrat. dixit *lib. Aphor.* eſſe quieſcendum. at quieſcendum eſt eo tempore, ab iiſque auxiliis abſtinendum, quæ & naturam irritant, & naturæ officio egent in operis ſui executione, qualia ſunt purgantia medicamenta, & ſudorifica, & menſes aut urinas moventia, & id genus alia, quibus tertium adhuc accedat neceſſum eſt, ſi res ipſa proſperum ſucceſſum habitura ſit, concoctio ſcilicet & præparatio ejus quod expelli debet, quæ tantum inchoantur in morbi vigore, & abſolvuntur in ejus inclinatione. Qua ratione dictum ab Hippocrate fuit: *Concocta medicari, &c.* Verum in phlebotomia hæc non requiruntur, quod eo & ſanguis ſua quantitate aut qualitate peccans, & vapores ipſi tetri, in venis contenti, ſemper ad exitum ſunt parati, dummodo pateat illis via, nec exeundo [ ſi modus ſervetur ] naturam fatigant, ſed degravant, & ſuſtinent. Eſt quartum in adducta hiſtoria minime indignum examine, videlicet, detractum eſſe ſanguinem ex malleolo, coxæ & cruti dolenti

*Tertium.*

2. *Aph.* 29.

1. *Aph.* 22.

*Quartum.*

ſubjecto, in morbi vehementia, aut ſaltem in ſummo incremento, quo morbi tempore mittendus potius videbatur ex malleolo, vel poplite adverſo, vel ex brachio parti affectæ propiore, quò non in affectam partem ipſo fluxionis impetu humor traheretur, ſed in contrariam revocaretur. Eſt tamen res ipſa optimo jure ſic facta; nec hoc laudamus, quia res feliciter ceſſit, ſed quia cernimus id præſidium fuiſſe ex arte inſtitutum: Quare etiam non ſorte, ſed ratione id inventum fuit ſalutare. Nam quia ſanguinis miſſio omni tempore adhiberi poteſt, ea ideo utilior eſt, quæ & primis diebus, & minus longe à patienti loco fit, ut alibi declarabimus. *Objectio.* Dicere hîc quiſpiam poterit, eſſe incertum ex quo malleolo ſit miſſus. *Solutio.* Cui reſpondebimus, arteficialem conjecturam nos docere, fuiſſe eum qui dolenti parti ſuberat, eo quod Hippocrat. ſimul atque dixit dolorem factum ad coxam & crus, continua ſtatim oratione dicit, ſanguinem miſſum ex malleolo. *Probatur.* Hanc ſententiam probat ratio mittendi ſanguinis ab Hippocrate memorata *lib. de victus ratione in acutis*, *num.* 12. dum dixit: *Si dolor ſurſum tendat ad claviculam & brachium, venam ſecare oportet internam.* Nam hic ſimillimus eſt loquendi modus cum ſuperiore, de quo ſi ſimiliter, ut de altero, hæſites, ecce quæ dubium tollant: addit, utra fuerit parte? in ea ipſa; Conſtat igitur fuiſſe miſſum in puerpera ex affecta parte, non adverſa. *num. 15. & 16.* Quod ſi adhuc hæreas, hæc item addemus ex eodem Authore, *libro de Ulceribus*; *Tumores*,

*mores*, ait, *in pedibus fientes cum inflammatione, ſi non ſedentur cataplaſmatis, aut fotibus, aut ſi etiam in aliis corporis partibus id fiat, eadem eſt ratio e nam influxio ſanguinis per venas in cauſa eſt, ſi cui non contuſio in cauſa eſt. Verum ſanguinem detrahere oportet de venis, præſertim influentibus; ſi conſpicuæ fuerint, ſin minus, pertundere tumores oportet, profundioribus ac frequentioribus vulnuſculis impactis.* Quæ, rogo, ſunt venæ influentes aut per quas fit fluxio? num adverſæ? non hercle, ſed quæ parti ſunt inſitæ. Sufficiant igitur hæc ad oſtendendum, Hippocratem non ſolum eo in caſu intellexiſſe, ſanguinem eſſe evellendum à parte vicina, ſed & aliis omnibus, quibus humor impactus hæret, aut etiam fluxionis initio, præſertim ſi grandis dolor eſt, aut gravis aliquis morbus imminet. Quam ſententiam Cornelius Celſus hac oratione confirmat. *l. 2. c. 10.* *Mitti verò ſanguis debet ſi totius corporis cauſa ſit, ex brachio; ſi partis alicujus, ex ea ipſa parte, aut certè quàm proxima.* Poſt hæc ut reſpondeat vetuſto errori, qui apud multos Medicos modernos nondum deſuevit, ſtatim ſubjungit. *Nec ignoro quoſdam dicere quàm longiſſimè ſanguinem, ubi lædit, eſſe mittendum; ſic enim averti materiæ curſum; at illo modo in id ipſum, quod gravat, evocari. Sed id ipſum falſum eſt: proximum enim locum primo exhaurit; ex ulterioribus autem eatenus ſanguis ſequitur, quatenus emittitur: Ubi is ſuppreſſus eſt, quia non trahitur, nec venit quidem.* Hæc Celſus ad imitationem Hippocratis, idque non minus erudite quam eleganter. Si quis verò adhuc dicat Hippocratem *lib. De oſſibus* dixiſſe, *eſſe ducendum*

*à parte maximè longinqua*; Huic dicemus, hanc ſententiam anſam dediſſe Celſo, proferendi ea quæ mox ex eo retulimus, quibus magis eſſe aſſentiendum judicamus quàm ſententiæ adverſæ; licet hæc non prorſus ſit rejicienda, ſi recte intelligatur, prout declaramus *libello De vulneribus ſclopetorum*. Eſt poſtremo loco in allata hiſtoria expendendum, cur in fine ſit dictum, *ad cauſam eſſe deveniendum, & cauſæ principium;* cum de ea tamen nihil dicat? Videtur eſſe ratio, quod noſceret ſe in hac curatione genus auxilii uſurpaſſe, quod forte plerique Medici in tali affectu non facile approbaſſent, cum materia quæ tremores facit, multis frigida eſſe credatur, & quod recens puerperium, & morbi vigor, ſanguinis miſſionem impugnare videantur; aut ſi admittant, requiri eam potius ex valente, quam ex ægrotante particula. Verum enimvero, etſi hæc cuipiam opinionem aliquam facere poſſunt, ſunt tamen ea tantum veriſimilia, non autem vera, aut neceſſaria. Quod facile intelliget is, qui cauſam, aut cauſæ initium (ut ait Hippocrates) perceperit. Cauſa igitur eſt humor in corpore redundans; cauſæ principium, vis jecoris mittentis ad uterum, & vis uteri tranſmittentis, aut labi ſinentis ad coxam & crus, id quod ille recipere, aut receptum utiliter retinere, aut per proprias venas expellere non poteſt. Ergo ſi quis hæc recte examinet, fateri cogetur humorem eum, qui in coxam & crus decumbebat, & acerbum dolorem edebat, pro curatione poſtulaſſe ſanguinis evacuationem à proximo

*Poſtremum expendendum.*

ximo

ximo loco potius, quam revulſionem; quamvis ſi ea vena latuiſſet, ut accidit, & vena poplitis, (quæ non niſi in mulieribus macilentis reperitur) alia brachii tundi potuiſſet. derivatio autem per alvum aut renes, omnibus numeris uterum læſiſſet. Sanguis igitur, ea præſentim parte qua detractus eſt, eoque morbi tempore, mitti debebat. Quoniam nullo jure expectanda erat tremoris ſolutio, eo quod nulla juſta ſpes foret, coxæ dolorem potuiſſe leniri ex illius receſſu, vel ab adventu caloris qui illum ſequi potuiſſet, imò potius ingraveſcere. Non enim ſic hi tremores, partium dolores, aut eorum cauſas extenuant, ut rigores (viribus corporis valentibus) febri ardenti ſupervenientes, febrim comminuunt & ſolvunt: eſt enim febris focus & materia, variis corporis partibus diſperſa, & minimè firma, imò huc atque illuc per vaſa tranſcurrens, illa verò uno loco ſeu membro inſita. Quare medicina in indagando, & aſſequendo fine, militiæ ad amuſſim perſimilis eſſe videtur, in qua peritus & ſtrenuus miles hoſtibus circumventus (ſi armis victoriam comparare ſtudet) non hoſtes procul diſtantes evertere nititur, ſed eos à quibus de proximo urgetur: quod ſi interea, dum conflictatur cum proximis, auxiliares & potentes habeat ſodales, tergora hoſtium eminus impetentes, leviore ſanè negotio, & pugna tutiore, victoria potietur, quàm ſi ſine his tota pugna foret ei ſuſtinenda & complenda. Simili, inquam, modo convenit medico adverſus eos morbos pugnare, qui

*l. 4. Aph. 58.*

*Comparatio Medicinæ & militiæ.*

qui ex humorum affluxu oriuntur; cum alioqui metus ſit, ſi aliter faciat, ne interea; dum in revulſionem prorſus operam navat, pars oppreſſa humoris multitudine & vitio, ſuccumbat oneri. Quod ſæpius evenire vidimus in manibus imperitorum. Patet igitur, quomodo vis morbi, & origo cauſæ, Hippocratem induxit, in puerpera, & in fluxionis impetu, totoque corpore tremente, ſanguinem mittere, & à parte afflictæ propinquiori; ad naturæ operum imitationem, quæ ſæpius ſanguinis eruptiones ſpontaneas, quæ frugales comperiuntur, moveat, non longius ab affecta, neque ex adverſa, ſed ex proxima: quamvis etiam aliquando moliatur utiles ex adverſa parte, ut ſanguinis fluxum ex naribus ad leniendos morbos uteri, & fluores uteri, & hæmorrhoidum ad affectus capitis, & alios hujuſmodi. Colligi igitur ex iis, ſpontaneam evacuationem diminutam, quæ morbum eum, quem curare deberet, non evidenter minuat, poſcere potius in auxilium artificialem evacuationem, quam rejicere, præſertim eam quæ ſanguinis eſt.

> *Concluſio hiſtoriæ Hippocraticæ.*

> *Conſectarium.*

## CAP. VII.

### *In peſte, an ſanguinis miſſio utilis.*

VErum cum eruptiones exanthematum, parotidum, ſtillationes narium, profuſiones ſanguinis, & aliæ ſimiles evacuationes, magna

magna ex parte febres peſtilentes ſequi ſoleant, in quibus omnibus diximus ſæpe ſanguinis miſſionem ſimul eſſe adhibendam, abs re itaque etiam non fuerit examinare, num cuique peſtilenti febri phlebotomia conveniat, aut omni, vel potius nulli, cum maxima de his ſit diſſenſio inter medicos; & viſæ ſint peſtes, in quibus miſſio ſanguinis (ut medici, qui intererant, fatentur) utilis fuit cognita, & aliæ, in quibus viſa fuit inutilis. *Num cuique generi peſtis conveniat ſectio venæ.*

§. 2. Ego, ut uno verbo dicam, nullam peſtem eſſe puto, cui hæc non poſſit eſſe ſalutaris ſupra omnia remedia, modo opportune, & quantitate convenienti, uſurpata ſit, ratus eam aliquando inutilem inventam fuiſſe; propterea quod aut tardius, aut parcius quam opus eſſet, aut quod utroque modo circa eam uſurpandam peccatum ſit. *Sententia authoris.*

§. 3. Sed rogabis unde hoc elicio: Certè ex eo, quod omnes ſcriptores poſt Galenum, & medicos omnes noſtri ſeculi quos novi, tum præceptores meos, tum alios, & tum Papiæ, tum Mediolani, & Patavii, & Venetiis, dum ſtudiis operam navarem, poſtea in Pedemontio, deinde in Gallia, & in Anglia, & in Hannonia, demum in Flandria, omnes, inquam, cognoverim in mittendo ſanguine parciſſimos, ita ut verè fateri poſſim, nunquam me reperiſſe medicum, qui in graviſſima febre, aut ſynanche, aut peripneumonia, aut alio quovis morbo largiſſimam ſanguinis detractionem requirente, ultra tria vaſcula, ſeu ultra uncias novem, ſive ad ſummum decem,

 (prius

(prius quam à fratre meo, vel me, id uſu vel lectione cognoviſſent) mittere fuerit auſus, nec idem repetere eodem die, vel altero, niſi ſuffocationis evidens periculum imminere cernerent. Audivi olim Flexelium confidentius miſiſſe ſanguinem quam cæteros; cujus tamen ſententiam tantum abeſt ut alii ſequerentur, ut potius acerrime, tanquam nequiſſimam, deteſtarentur & condemnarent.

*Flexelius laudatus.*

§. 4. At in hac tanta timiditate, & parca detractione, qui fieri poteſt, ut quis rectè poſſit judicare quantum ea in peſtilenti morbo prodeſſe valeat, aut obeſſe? non enim morbus, pro cujus curatione requirebatur detractio librarum quatuor ſanguinis, in quo una tantum detrahitur, ſi hominem interficiat, ideo interficit, quia ſanguis eſt miſſus, ſed quia non juſto modo miſſus eſt, nec fortè etiam opportune. Verum nebulones nequiſſimi & ignaviſſimi, in id ſemper culpam convertere ſatagunt, non quod nocuit, ſed quod per nefas à cunctis vituperari exoptant. aut ſi id nequitia non faciant, ignorantia tamen pravæ diſpoſitionis efficiunt: utraque certè perniciosa, ſed illa magis.

*Cur aliqui ex peſte intereant adhibita phlebotomia.*

§. 5. Verum cauſa ſaltem obiter reddenda eſt noſtræ ſententiæ, *cur ſcilicet ſanguinis miſſio in omni peſte ſit utilis.* Quoniam, inquam, vix unquam ulla peſtis viſa eſt, in qua aliqua genera exanthematum aut abſceſſuum non apparerent, abſceſſus dico aut per emiſſionem aut per repoſitionem. per quos aut ſalus integra ſequitur, dum rectè erumpunt & procedunt, (ut

*Probatio ſententia authoris.*

( ut in perfectis criſibus patet: ) aut morbus ex parte imminuitur, ( ut fit in imperfectis criſibus:) aut non apparent ullo modo, ſed illorum materia partes internas occupat, & hominem citò enecant; aut apparent, ſed extra tempus, & cum labore patientis, ut fit in omni præcoci, & ſymptomatica excretione, per quam æger non levatur, ſed oſtenditur naturam gravari, & irritari ad expulſionem materiæ morbificæ ante ejus maturitatem.

§. 6. *Ergo* tum per eos qui citò curantur, tum per eos qui lentè, tum & per eos qui intereunt à quovis peſtilenti morbo, *conſtat eos fieri à materia vitiata, in venis præſertim recepta;* quæ ubi non adeo redundat, ut à natura regi poſſit, opportunè die aliqua electa, ut ſeptima, aut nona, aut undecima, aut alia quavis convenienti, expellitur aut ſudoribus, aut alvi fluore, aut urinis, craſſam & multam ſubſidentiam habentibus; aut larga ſanguinis profuſione ex naribus, vel utero, vel hæmorrhoïdibus; aut abſceſſu aliquo cito matureſcente, ad alas, vel inguina, vel pone aures, vel ad articulos, vel ad muſculoſum genus congeſto & ſuppurato; aut exanthematis febrem ſolventib. ex toto, aut eam magna ex parte lenientibus. Hæc ſunt in quæ reſolvi, & per quæ liberari ægros, peſtilentibus morbis affectos, Hippocrates dicebat *lib. 2. Epidemion:* Mori verò illos, quibus nullum horum opportune, & juſto modo eveniret. Ideo quibus duntaxat ſtillabant nares ſanguine, aut tenues urinæ, licet multæ, fluebant, aut menſes parce movebantur, aut alia

quævis

quævis evacuatio diminuta accedebat, hi non curabantur, ſed aut interibant, quia non ſufficienter per hæc ſuperflua & noxia prodirent, aut in diuturnum tempus morbus trahebatur, uſquequo aut aliis excretionibus, aut eodem recurrente, natura deonerata, in totum victrix evaderet.

*Confirmatur experientia.*

§ 7. His obſervatis, nemo rationis capax, jure in his morbis vituperare miſſionem ſanguinis poteſt, ſed mirificè, & tanquam divinum auxilium commendare, extollere, & confidenter uſurpare: quod ipſe profecto ab annis quindecim facio. Ideo in morbis peſtilentibus, in obſidione Rupellarum, & Montibus Hannoniæ ab hinc quadriennium, & Pariſiis toto hoc biennio, & Cameraci anno proxime acto, in omnibus meis ægrotis, (qui innumeri fuerunt) nullum præſentius ac ſalutarius reperi ipſa larga & tempeſtiva ſanguinis miſſione. Hujus rei teſtes eſſe poſſunt, & rhedarius Clariſſimi viri Domini Bellieure, à ſecretiore Regis conſilio, qui Montibus Hannoniæ, & exanthematis, & carbunculis ampliſſimis & profundiſſimis, & angina vehementi fuit obſeptus, cui ſanguis noſtro conſilio quater fuit miſſus ex brachiis, nunquam infra ſeſquilibram, præter aliquot uncias quæ fuerunt detractæ ex venis ſub lingua, & præter cucurbitulas cum ſcarificatu ſcapulis applicitas. Et præfectus Chamois, cui in dicta urbe mane citeiter libram cum dimidia detrahi fecimus, & à meridie ex eodem vulnere libram, idque ex brachio partis, qua bubo inſignis pridie

*Rhedarius Domini Bellieure.*

*D. Chamois.*

ejus

ejus diei cœperat apparere, & ſtatim poſt matutinam ſanguinis miſſionem pyroticum apponi juſſimus: Quartus hic jam erat dies morbi, nec illum antea videram; & niſi febris die ſequenti magna ex parte remiſſa fuiſſet, denuo detraxiſſem ſanguinem: at ſeptimo, ſudore multo liberatus eſt.

§. 8. Sed unum exemplum afferam dignum relatu; Lutetiæ Capluanum, quem ſuperius nominavi, ad me venientem in vicum Bethyſi, inſignis febris corripuit; quem dum laſſum & longè diſtantem à ſuo domicilio video, in meum hoſpitium accubare facio; cui poſtridie manè inſigniter febricitanti, cum exanthematis purpureis & minutulis, venam aperui baſilicam dextram ad ſeſquilibram, ſanguine puro exiſtente: poſtridie purgavi corpus ex ſyrupo roſ. laxat. & decocto foliorum ſenæ. Sequenti die, qui erat finis tertii, ingraveſcebat febris, & abſceſſus erupit ſupra cubitum dextrum, ex quo iterum tantumdem ſanguinis detraho impuriſſimi: à meridie iterum circiter libram ex eodem vulnere, & pyroticum abſceſſui appono. Die ſequenti, qui erat quartus, mane dum me videt, quaſi deflens, me obſecrat, ut illi injuriam & noxam, qua me affecerat, ignoſcere velim: interim ut illum domo ejicerem ageremque quicquid velim, tanquam de homine multis modis perditiſſimo, tum præ morte, cui ſe proximum putabat, tum præ infamia & periculo, quod videbat imminere domui, & familiæ meæ toti ejus causa. Ego ex eo rogo unde hæc verba? Ille: *Capluani notabile exemplum.*

Peſte

Peſte graviſſima me correptum video. Unde hoc colligat poſtulo: Ad inguen ſiniſtrum, inquit ille, erupit mihi hac nocte inſignis peſtis: retegit; attingo, illumque in ſpem erigo, ſignificans illi genus mali jam mihi patuiſſe primo ipſo die, dum exanthemata eruperunt. Quare reduco illi in memoriam, me illo die ab eo petiviſſe, num noctu pulices habuiſſet moleſtas: cui reſpondit, ne unam quidem, quamvis tota nocte pervigil fuiſſet. Quod verum eſſe ille intelligens, in meliorem ſpem ſe erigere cœpit. Ego conſideratis bubonis magnitudine, & febris increſcentia, & urinarum incendio, craſſitie, confuſione, & cruditate, venam aperio baſilicam ex ea parte, ſiniſtra ſcilicet, ad libram unam ſanguinis putridiſſimi (nam ipſe hæc omnia præſtabam, ne genere morbi aperto chirurgis, domus mea infamaretur, utque peſtilens, ut mos erat, concluderetur) ſtatim poſt pyroticum buboni applicui. veſperi urinæ aliquid coctionis exhibere cœperunt. Die ſequenti mane, quæ erat quinta, alius bubo ſub axilla dextra inſurgit, febris remiſſior, urinæ meliores: hoc ipſo die, imo & etiam pridie, duo ex meis famulis, qui illi inſerviebant, & mali ſpeciem ſubolebant, rogant me, ut illis liceat, aut ad illum non amplius redire, aut à me penitus recedere. Quod Capluanus fortè intelligens, dum ad illum accedo, me ſtatim ſic alloqui cœpit: Non ignoro, quanta animi moleſtia debeas opprimi mea cauſa, qui jam videor mihi ita morbo leva-

levatus, & viribus reſtitutus, ut non diffidam me poſſe in equum proficiſci ad meum hoſpitium, vel rus. Qui ſermo fuit mihi jucundiſſimus. Itaque jubeo illi parari gradarium equum, & à duobus meis famulis comitari, qui paucis diebus ter quaterve ſanguinis miſſione repetita, priſtinæ ſanitati divina gratia fuit reſtitutus, ut patet ex binis ejus epiſtolis, quas ad me poſtea ſcripſit. Non ignoro me à multis hoc loco accuſatum iri temeritatis; quod jure quidem fieret, ſi ipſe hoc alibi, quàm in meo hoſpitio, præſtitiſſem, aut jam illum manifeſta peſte correptum, ad me duxiſſem, ſed amicum ægrotantem, domi meæ receptum, ſua in extrema anguſtia explodere, quæ fuiſſet immanitas? nam neque ipſa prima luce in pedes, neque in equum conſiſtere ullo modo potuiſſet, propter frequentes nauſeas, graviſſimos capitis & lumborum dolores, ardentiſſimamque febrim: quis illum ſic laborantem, ac morbum diſſimulare minimè valentem, eo tempore quo peſtis per totam urbem luxuriabat, recepiſſet? periiſſet ille, & ego infamiam non effugiſſem. Ita & illum, & me cum tota familia, Deus optimus maximus incolumes ſervavit. Quòd illum ſæpius viderem, & confidentiſſime ter quaterque in die tractarem, venam tunderem, bubonibus cauſtica apponerem, hanc confidentiam (præter Dei gratiam) exhibuit artis uſus, quo didici, *Peſtilentium febrium, & earum ſymptomatum vim omnem extingui,*

*tingui, tempeſtiva & juſta ſanguinis* (s) *miſſione*, quam ipſe in me æquè ut in meam familiam poſſe & ſolere exequi ſciebam. Cæterum etſi de aliis remediis, in illo uſurpatis, nil dixerimus, utebatur tamen ille apozematis refrigerantibus, & detergentibus, & cardiacis. Sed ſcopus propoſitus eſt tantum dicere de ſanguinis miſſione. Verum ecce Capluani epiſtolas.

## Prima CAPLUANI Epiſtola.

*Capluani epiſtola.*

*SEptimus agitur dies (Medicorum decus) ex quò abs te diſceſſi, quo toto temporis ſpatio, quid in me percurando, tuo ſummo conſilio, egerim, niſi quid te detinet, audi. Quinto igitur die, ut omnia ſingillatim in pauca conferam, ſtatim atque ad meum perveni hoſpitium, juſſi iterum, ut conſulueras, mihi venam tundi, profuſuſque eſt ſanguis ad uncias octodecim vel viginti, qui quidem puriformis & corruptiſſimus erat, ex qua quidem ſanguinis detractione maximum percepi fructum: febris enim ex ao tempore facta eſt mitior, & dolor capitis, cæteraque ſymptomata, non tam immaniter me divexarunt. Sextum & ſeptimum diem ſatis commodè tranſegi, idonea victus rationi ſolum intentus, atque ea non prætermittens, quæ ad alvum ſolicitandam uti me oportere ſcripſiſti. At verò octavi initio, moleſtia nec non doloris*

(s) Vide de hac ſanguinis miſſione in peſte, etiam erumpentibus exanthematis, anthracibus è bubonibus, doctiſſime differentem *Septalium lib.* 5, *de peſte & peſtiferis affectibus cap.* 14. & 17.

(t)

*ris percepi plurimum; moleſtiam quidem ex cordis terrifica quadam palpitatione, ex abrupto oborta; dolorem verò ex bubonibus, ac potiſſimum eo qui axillæ dextræ inſedit, & qui nondum eſcharam depoſuerat. Memor igitur divini tui conſilii & paternæ admonitionis, ſtatim vaſcula quatuor ſanguinis ex baſilica dextra mihi detrahi juſſi, quibus peractis, omnia illa ſymptomata paulatim evaneſcere ſenſi, atque ſub veſperam corpus mediocri deambulatione exercui, quo tempore factus ſum obviam cuidam & docto, & mihi amiciſſimo medico; qui quoniam me morbo, ſua contagione deleterio, laborare ex multis intellexerat, (eam enim imbiberant, quotquot me norunt, opinionem) ſubſtitit gradum, dubitavitque magnopere num me alloqui & ſalutare deberet: quem cum tam perplexum viderem, prior ſalutavi, eique perſuaſi, rumores eos de me ſparſos eſſe, meque tantum febre ardente fuiſſe moleſtatum, domique tua, & tuo ſummo conſilio, ac divino prope auxilio, à ſumma morbi pernicie fuiſſe vindicatum, fereque, ut videbat, reſtitutum. Quibus perceptis, metum excuſſit, alacriorque redditus propius acceſſit, pulſum tetigit, ex eoque diſerte pronunciavit non eſſe veroſimile me tali fuiſſe detentum morbo, quo omnes prædicabant, fortique animo mecum amicè & benevolè ſermonem ſerere cœpit, rogavitque ut illi integram meæ ægritudinis hiſtoriam exponerem. Qua audita (*ΚΑΥΧΟΜΕΝΟΝ *ſcilicet me illi perpetuo venditas) mirum in modum eſt mihi ſtomachatus, quòd tantam hoc in affectu fuerim auſus admittere ſanguinis evacuationem, attulitque frivolas quaſdam ratiunculas, quibus oſtendere nitebatur, me in hac tam inſigni ſanguinis profuſione parum prudentem fuiſſe. Ad quas*

 *victas*

*vietas ac futiles grammaticationes pro virili reſpondi, effecique ut intelligeret, ſacratiſſimum illud, & nunquam ſatis laudatum præſidii genus, (te authore & conſultore) me à morte vindicaſſe; aliaque multa in hanc ſententiam attuli, quibus non parum fuit commotus, tandemque is, veluti ex tripode, pronunciavit, me becticum vel hydropicum interiturum, eamque eſſe cauſam quòd tam audax & liberalis in mittendo ſanguine fuerim. Cui rurſus reſpondi, mihi animum eſſe, ni morbus brevi penitus ſolvatur, redeundi petitum ſummam opem, ex ſummo & inſigni remedio, in hoc ſolo præſidio me totam ſalutis meæ ſpem collocaſſe. Verùm is ubi hæc percepit, magis quam unquam commotus, decretaque mea acriter coarguens, tandem mihi vale dixit. Sed enim latius forte, quam par ſit, mea expatiatur oratio: quare ad penſum redeo. De iis enim, aliiſque ſimilibus aliorum ridiculis propoſitis, Deo dante, pluribus tecum præſens agam. Nono igitur die, cum viderem res meas meliore eſſe loco poſitas, tum ut auram captarem agreſtem, tum alias ob cauſas, quas brevitatis ſtudio lubens prætereo, Gentiliacum veni, inſtructus iis omnibus quæ ad bubonum curationem neceſſaria eſſe monuiſti; qui quidem blande jam ſeſe expurgabant, puſque laudabile effundebant. Cæterum ſub finem noni, pauci eruperunt ſudores, qui tamen levamen aliquod attulerunt. Decimo, vel quod exercitio corpus nimis fatigaverim, vel quod deliquerim in victus ratione, in febrem denuo incidi, quæ me totas duodecim vexavit horas, à qua tamen Dei benignitate liberatus, & paululum recreatus, cœpi conſilium de iteranda vena ſectione, ut materia morbifica portione evacuata, natura ad reliquum conficiendum & devincendum magis eſſet*

*potis*

*petis: quod quidem heſterna die præſtiti, miſſuſque fuit ſanguis ad uncias decem vel duodecim. Hodie verò, Deo gratia, optime habeo, & febris expers ſum. Illud tantum jam mihi eſt in crucem & ſolicitudinem, quod bubo, qui ſub axilla ſedem habet, ſit reliquis paulo contumacior, nulliſque remediis cedere velle videatur. Quæ cum ita ſint, tuas expecto literas, quibus moneas velim, quid mihi hac in re faciendum putes, ut ſingulari tuo conſilio reliquo operi colophonem addam. Hæc ſunt quæ in præſens te ſcire peropto. Vale igitur, dator vitæ, & me, pro more ſingularique tua benevolentia, amare perge. Gentiliaci idibus Julii,* 1581.

## Altera CAPLUANI Epiſtola.

*AD decimum tertium Kal. Auguſti tuas accepi literas, eruditiſſime Botalle, quæ mihi variis de cauſis jucundiſſimæ fuere, præſertim verò quòd ex iis te optima frui valetudine cognoverim, qua re gratius mihi aut jucundius nihil contingere potuiſſet. De me autem ſic habeto. Ego tua ſumma conſilia ad unguem inſecutus, tam viriliter ac caute hoſtem profligavi, ut jam Dei benignitate, & ſummis tuis auxiliis, licuerit mihi in civitatem redire, quod ſummum eſſe, & pene divinum, exiſtimo. Idibus Julii ſcripſi ad te totam curationis meæ ſeriem & hiſtoriam, ſed ex eo tempore bis fuit mihi ſecta vena, profuſuſque ſanguis ad libras duas. Etſi verò viginti quatuor dierum ſpatio libræ decem ut minimum mihi fuerint detractæ, non eſt tamen quòd exiſtimes me nunc ſanguinis penuria valde laborare. Quòd fortaſſe mirum videbitur, non tibi, qui hujus rei cauſam*

*ratione & experientia, non minus egregiè quàm ingenioſe excogitaſti, explicuiſti, atque in commune contuliſti: ſed ſciolis & latiniuſculis ac graculis quibuſdam medicaſtris, parum aut nihil in arte exercitatis, & iis qui tantum libris, & præceptorum dictatis inſtructi, ſuam cum pompa & faſtu oſtentant intra privatos parietes ſummam medendi artem; cum nemini unquam, niſi fortè cacula cuipiam, aut miſello ruſtico, ex eventu, & andabatarum more, medicinam fecèrint. Verum ii baubari, barrire, ac totuliloqui tandem deſinent, ubi mentem ſaniorem in corpore ſano habuerint, ſuarumque pſeudopinionum* ΒΑΝΑΥΣΙ'ΑΝ *attentius perpenderint. Sed de iis hactenus; temporis enim filia veritas, haſce omnes falſitatis tenebras brevi ſuo lumine diſſipabit. Quod ſi fortè de iis mihi in poſterum ſe offerat, quid ſentiam, dicendi occaſio, dicam profectò palàm, & ingenue quod res eſt. Sed jam ad inſtitutum redeo. Atque quoniam ſummum te videndi & alloquendi, me tenet deſiderium, ſcire ex te peropto, quando Lutetiam ſis rediturus. Cæterum, uti jam dixi, me ſanum & incolumem videbis, efficiamque ut intelligas, me tui officioſiſſimum eſſe, & omnia ſumma, donec ſpiritus hac oſſa reget, pro te facturum. Vale igitur vitæ dator mee, Capluanique tui, ut ſoles, memor eſto. Pariſiis ſeptimo Kal. Auguſti.* 1581.

Habes igitur hic mirandum exemplum, ſed profecto primum (rhedarii ſcilicet) non minus mirum fuit, quamvis is non tam cito fuerit reſtitutus, in illo enim parcius, ac tardius juſto, ſanguis fuit miſſus: Nam primo die, quo ad illum acceſſi, qui erat ſecundus à morbo, etſi ſanguinem mitti imperaverim, id tamen

men minimè fuit factum, quoniam accerſiverant quendam chirurgum, qui dixit lunam eſſe in ſigno infauſto, nec id fieri debere ante biduum, & ſic diſceſſit. Quare poſtridie mane alterum chirurgum accerſiri juſſi, qui, me præſente, venam aperuit ad ſeſquilibram, & à meridie ad parem modum.

§. 9. In Epiſcopo Siſternenſi nepote meo (biennium agitur) peſtilenti eaque ardenti febre correpto, ante diem quintum circiter libras quatuor ſanguinis detraxi, & cum in aulam mihi tunc proficiſci neceſſe fuerit, curam ejus commiſi Mareſcoto eruditiſſimo Medico, qui illi adhuc bis terve ſanguinem miſit; unde ad me ſcripſit, ultimam ſpem ſe ponere in phlebotomia tertio à ſe celebranda; qua præſtita, liberatus eſt. Et Henrico, uni ex meis famulis, Montibus Hannoniæ eodem febris genere, peſtilenti ſcilicet, prehenſo, ſepties ſaltem ſanguinem miſi, & nunquam minus libra una ſanguinis fuit detracta, bis verò ſupra libras duas uno die. *Hiſtoria Epiſcopi Siſternenſis.* *Hiſtoria Henrici.*

§. 10. Multa ſanè alia nobis extant exempla, ad hoc noſtrum inſtitutum pertinentia: verùm quia res eſt, de qua latius ſeorſim agere inſtituimus, ideò plura nunc dicere deſinemus: Dicentes denuò, febrem nullam peſtilentem eſſe, cui non conveniat æque vel potius magis, miſſio ſanguinis, quàm ſynochæ putridæ. *Tereratio.*

## CAP. VIII.

### *In cacochymia neceſſariam eſſe ſanguinis miſſionem.*

JAm tempus eſt, ut expendamus, & excutiamus Galeni illam propoſitionem, quam major Medicorum pars, addicta nudis potius verbis authorum, de quibus opinionem aliquam ſuſceperunt, quàm rerum intelligentiæ, in omnibus morbis curandis, in quibus ſanguinis vitium apparet, aut ſuſpectum eſt, ut herculeum aſylum affert, contra miſſionem ſanguinis. Quæ eſt, *hanc plethora deberi, purgationem verò cacochymia.* Quæ ſententia, pace Galeni, & eorum qui eam tuentur; tam eſt à veritate aliena & pernicioſa, quàm quod alieniſſimum & pernicioſiſſimum, imò & contra ipſiuſmet Galeni ſententiam, & curandi modum. Quod paucis oſtendere pergo, ubi dixero prius quid ſit plenitudo, quid cacochymia, & quid purgatio.

*Communis Medicorum ſententia. Refellitur.*

§. 2. Plenitudinem inter omnes medicos convenit, eſſe ſanguinis ſinceri, id eſt, alendo corpori accommodati, exuperantiam: Cacochymiam, vitioſi humoris redundantiam: Purgationem verò, vitioſi humoris in corpore exiſtentis, convenientem excretionem, & eductionem. Quam plerique medicorum importunius certè, quàm verius, contendunt, non eſſe venæ apertione, ſed alvi ductione, vel vomitione, vel ſudoribus, vel urinis, vel munctione, vel excreatu, vel inſenſibili tranſpiratu

*Plenitudo quid.*

*Cacochymia.*

*Purgatio.*

ſpiratu moliendam: quoniam, inquiunt, per hæc vitioſum tantum, & corpori inutile excernitur, per illam vero etiam & quod eſt utile educitur, non ſecernente ſcilicet natura per hanc utile ab inutili, ſed ſinente promiſcuè effluere quicquid eſt in venis permiſtum æque bonum ac malum. Unde major injuria ſequatur ex illius deperditione, quàm utilitas ex hujus evacuatione. Rationes profectò celerius dictæ, quàm mediocriter excogitatæ & comprobatæ, ut hinc patebit. *Improbatur communis Medicorum de purgatione concepta ſententia.*

§. 3. Si cacochymia in omne corpus diſpergitur, ut Fernelius, & ante eum Galenus, & cæteri omnes boni authores ajunt, certum eſt, eam etiam ex parte contentam in venis totius corporis eſſe. Atqui, obſecro, vitiatus ſanguis qui in artubus eſt, qua arte, quave ſpecie purgationis repurgandus eſt? ſtultum eſt credere id fieri poſſe alvi excretione; ſtultius etiam vomitu, aut excreatu, aut urinarum ductione, licet hæc omnia aliquando artuum affectibus conducant, per accidens tamen, detracta ſcilicet per illa parte aliqua humoris, qui cacochymiam, & conſequenter dictos affectus, fovere & augere poſſet: Non enim ab artubus ad dicta emiſſaria humorum regreſſus conceditur, niſi in lethalibus evacuationibus, ut in vehementi diabete ferè totum ſerum, & in inſigni alvi fluore fere univerſus corporis humor, effundi poteſt. At non eſt id purgari cacochymiam corporis, ſeu vitioſos artuum humores excerni, ſed animam cum humoribus ſimul abigi: quod non affect-

Medicus, ſed cacochymiam ſeu vitioſos humores, omnium pene morborum parentes, ita à corpore deturbare, ut anima in eo bene valente tandiu reſideat, quandiu humanæ naturæ conceditur. Cacochymia igitur, cùm non unico ſolo loco corporis hæreat, ſed univerſum ferè ipſum obſideat, ideo ab ejus variis partibus eruenda eſt, è venis ſcilicet, quæ in iis contenta; cutis ſcarificatione, aut ſudoribus, aut inſenſibili tranſpiratu, ea quæ cuti adjacet; alvi excretione, quæ viſcera & circa ea eſt inſita; vomitu, quæ ventriculum, urinis quæ renes, munctione & excreatu quæ caput aut pulmones aggravit. Et ut uno verbo dicam, à qualibet parte proprium onus exonerandum eſt, aut certè ab ea quæ maximè affectæ parti eſt proxima, ſeu magis idonea.

*Sanguis per venaſectionem purgatur æquè ac medicamentis.*

*Probatur exemplo fratris.*

*Qui cacochymicus cum eſſet.*

§. 4. Ergo in cachexia, quæ totius corporis eſt malus habitus, purgatio quidem neceſſaria eſt: at non ea ſolum quæ medicamentis catharticis fit, ſed ea magis, quam per venæſectionem molimur: repurgari enim ſanguinem poſſe ſecta vena effectus ipſe docet, cum ea multos cachecticos ex peſſimo corporis habitu in bonum reſtitui, & in hoc in multos annos continuari videmus. Quis enim viſus unquam fuit, majore & contumaciore colluvie humorum ſcatere fratre meo? dum à paralyſi graviſſima, & convulſione alterius partis, jam ab annis viginti-quatuor, præter omnem Medicorum ſpem fuit liberatus: qui ſtatim, poſt tanta & tam maligna ſcabie obſeptus fuit, ut deteriorem eſſe duceret hanc valetudinis ſpeciem priore, à qua

cum nec purgationibus, nec balneis, nec litibus, nec tenui victu, nec ullo alio auxilio, à Medicis, qui ejus curæ præerant, inſtitutis, liberari potuiſſet, ſanguinis miſſione contra Medicorum ſententiam ſæpius repetita, non ſolum ſcabie liberatus eſt, ſed in meliorem habitum antecedente eſt deductus. Unde ab eo tempore in hunc uſque diem vix menſis præterit (quamvis ſeptuagenarius ſit) in quo non ſemel, aut bis, vel etiam ter, ut ſæpiſſime ad me ſcribit, ſibi ſanguinē non mittit: & raro minus unciis decem, ſæpiſſime verò plus una libra. Et ipſe etiam, cum ex quartana febre, ut ſuperius dixi, cachexia adeò urgeret, ut ab hydrope non parum timerem; certè nullo alio auxilio reſtitutus fui (quamvis tentaverim prius id efficere purgationibus, & apozematis, & vivendi ratione) quàm ſæpè repetita venæ ſectione: ita ut decem dierum ſpatio quinquies mihimet ipſi venam aperuerim, primum baſilicam dextram ad libram unam; quem cum fœdiſſimum reppererim, à meridie dimidium modum iterum detraxi etiam impurum; poſtridie ex ſiniſtra baſilica idipſum molior, manè ad uncias decem, à meridie ad quinque etiam corrupti; Uno interpoſito die, communem dextri brachii tundo ad decem item uncias, & à meridie, quoniam vitioſus etiam erat, ad quatuor ſimiliter infecti: Duos intermitto dies, & tertio communem ſiniſtram aperio ad uncias octo, qui viſus eſt cæteris omnibus minus infectus: Interjectis item duobus diebus denuo dextram baſilicam ſcindo ad uncias quatuor,

*Ei tandem ſingulo menſe ſanguis detrahebatur.*

*Autoris in ſeipſo exemplum.*

M 5 quem

quem cum puriſſimum offenderim, anſam accepi multos menſes intermittendi, quos egi hilariter cum cibi appetentia, ſomni tranquillitate, & artuum robore, cum antea mœror adeſſet, dejecta appetentia, turbulenta ſomnia, nocturni ſudores vires frangentes, artuum laxitas: Inde poſt aliquos menſes reverſa ſanguinis impuritate, & ejus accidentibus jam dictis, nempe triſtitia, virium languore, & cæteris, denuo ad ſanguinis miſſionem ut antea redii, terque ſex dierum ſpatio venam aperui, nec ultra; quoniam poſtremus ſyncerus ſucceſſit, à quo tempore ne tanta in venis impuritas cumularetur, aliquando ſemel in menſe, aliquando bis, aliquando ter, & aliquando tribus menſibus ſemel tantum, mihi detraxi, ſumpta indicatione recurrendi ad id auxilium, ab adventu dictorum præcurſorum, laſſitudine ſcilicet & mœrore ſpontinis, & reliquis nullam manifeſtam cauſam conſequentibus. Quam meam in me ipſo mittendi ſanguinis rationem, Medici aliquot ſunt, & olim alii fuerunt, qui vehementer vituperarunt, dicentes mihi, quaſi ludentes, & coram amicis: Vaticinor quid futurum ſit de Botallo noſtro: dies aderit qua dicetur, Botallum ſuo ſe jugulaviſſe gladio, mortuum ſcilicet penuria ſanguinis. At horum prognoſticum, duobus ad ſuperos præcurſis, id jam videre eſt interceptum. Haud dubito, quocumque tempore fatis concedam, culpatum iri in me idipſum, cujus beneficio jam bis (forſitan etiam & amplius) poſt decennium, in vitam revocatus fui,

*Botallus quoties ſibi ſanguinem miſerit.*

fui, quod interim nonnulli nimis maturè, fortè etiam & magis cupide quàm dolenter, prædicabant me interfeciſſe. At eo ipſo (divina gratia) vivimus adhuc; & morti obnoxii ut mortales; noſtrum interea ſanguinem non effundentes, ut prodigi paternas hæreditates decoquunt, neque etiam tenaciter detinentes, ut avari aurum, cujus ſervandi occaſione aut fame tabeſcunt aut ferro jugulantur.

§. 5. Sed perſequamur reliqua. Alia magis miranda, in cachexia, de hoc auxilio poſſum narrare, quæ quidem non reticenda ſunt, ut de Henrico famulo meo, quem Montibus Hannoniæ liberavi, (Deo adjuvante) à peſtilenti febre, ut dixi ſupra, cum purpureis exanthematis, ter miſſo ſanguine ad libras duas pro ſingula vice, & ante adventum diei ſeptimæ, qua ſudor erupit ſemicriticus, ut ſic dicam, cum non perfecte morbum ſolverit, ſed inſtantis mortis periculum ademit, permanente febre languida, ſudorifica, ex qua in leucophlegmatiam tendere videbatur; quater item miſi ſanguinem ad libram unam ſingula detractione, ut ſpatio dierum circiter viginti liberatus ſit, jamque uxoratus incolumis vivit. Tanta ſanè erat ſanguinis colluvies, ut nunquam ſimilem viderim, cum ex qualibet librâ, (medica ſcilicet) ſaltem unciæ decem eſſent ſeri, & plus quam ſeſquiuncia craſſiſſimæ & tenaciſſimæ pituitæ ſupernatantis, & circiter dimidia uncia nigerrimi & corrupti ſanguinis ſubſidentis: quam rem profecto admirandam, nolui latere doctiſſimos viros, Alexandrum

*Henricus autoris famulus.*

Cam-

Campegium Medicum Sereniſſimi Ducis Andium, amplius amicum & ſodalem meum, & Ludovicum Coſpeum, dictæ urbis Medicum acceptiſſimum, quos ad ægrum vocabam, præſertim dum ſanguinem mitterem, aut miſiſſem; nam ipſe opus præſtabam, ne committerem famulos meos aut chirurgo ignavo, aut à peſtilentibus ægris, qui tunc frequentiſſimi erant, redeunti.

*Hiſtoria Maugigii.* §. 6. Eodem tempore & loco, fere idem contigit Maugigio, uni etiam ex meis famulis, quem aſſidua febris, & moleſtiſſima aſſiduaque vigilia, & alvi fluor frequentiſſimus, urgebat, quem ſimiliter adjuvimus, ſæpius repetita ſanguinis miſſione, donec ſcilicet ſic repurgato ſanguine, (qui antedicto non multo erat incorruptior) recentior & purior in illius locum ſuffectus eſt. Hunc etiam, & alios quamplurimos quos tractavimus, non ex noſtris famulis tantum, ſed & nobiles, & mercatores, & milites, vidit Campegius noſtra opera curatos: quibus tamen multi Medici dicebant ſanguinis miſſionem nulla ratione conducturam, ſed purgationem, juxta illam nimis tritam, & nimis à Medicis veneratam, ſententiam, antea à nobis pronuntiatam, Quòd Cacochymiæ debeatur purgatio; quæ vera eſt, niſi adderent, non autem ſanguinis miſſio ſeu venæ ſectio.

*Quare autor hujuſmodi exempla in medium proferat.* §. 7. Verùm non huc fratris mei, & noſtrum, & famulorum meorum exempla, attulimus, ut hinc velimus induci, ſingula corpora cachectica & impuri ſanguinis ſic eſſe tractanda,

ad

ad hancque ſpeciem curationis, tanquam ad regulam, ad unguem reducenda; eſſet enim uno calopodio, ut adagio fertur, velle omnes homines calceare; ſed quemadmodum pedi cuique idoneum calopodium convenit, ita & cuique cachexiæ ſua convenit ſanguinis miſſio. Impuritas autem humorum, in inteſtinis reſidentium, ſub cachexiæ nomine comprehendi minimè debet. At ut non intelligimus hæc exempla, & alia plura, quæ afferre in hanc rem poſſemus, eſſe habenda tanquam dogmata aut leges, aut axiomata: ita neque par eſt ea ut inutilia, veluti quidam inepte & maligne faciunt, & ab arte aliena, rejicere: præſertim cum videamus, ab experimentis omnem artem prodire, & à ſingularibus (ut alias docebimus) ipſa univerſalia deduci; & quod olim leviter, vel temere, ab aliquibus, ut adverſum, fuit vituperatum, idem poſtea expenſum ac recognitum, ab eiſdem frugi & magni emolumenti judicari poſſit: ut pleriq. medici, quos nunc videmus, noſtro exemplo, liberalius ad ſanguinis miſſionem accedere, quàm antea auderent, eamque imperare confidenter in multis corporibus & morbis, in quibus olim adverſiſſimam fore acriter contendebant. Quod & ipſe etiam feci: Nam memini à triginta annis me olim, cum medicis aliquot eruditiſſimis, Melchiore Pagano, & Vincentio Zojo, qui curationibus ægritudinum fratris mei præerant, illius conſuetudinem mittendi ſibi ſanguinem ſæpiſſimè damnaſſe, obnixeque illum per litteras rogaſſe, ne

*Nimirum, ut alii prudentiores reddantur.*

*Horum meminit autor libello de medici & ægri munere.*

ne tam frequens & præceps in hoc auxilium ruerer: nullius enim naturam (quod omnes inexperti ſemper inculcant) tam validam eſſe, quæ id diu ferre poſſit ſine magno malo. Ille verò ritè reſpondens, difficile eſſe dicebat, inviſo ægrotante, rectè conſulere, ſeque non temere id facere, ſed ratione ductum, & natura id requirente. Quod quàm verè dixerit, exitus docuit, cum ille firmiſſimis ſit artubus, & viſu integerrimo, annum ætatis agens ſeptuageſimum. Quare viſo in eo per multos annos phlebotomiæ fructu, & conſiderata humani corporis fabrica, & ejuſdem principum partium facultate diligentius examinata, animo concepi id ipſum eſſe humano generi fructuoſiſſimum, quod antea, dum medicorum illus temporis, & multorum præſentis, morem ſequerer, leviter dabam crimini; nempe, frequentem, ſed moderatam venæ ſectionem, in ſanguinis impuritate, & cachexia, & in corpore valetudinario, in quo rarò vel nunquam ſanguinis fœditas non comperitur. Quæ frequentia nec ullo ſtato numero definiri, neque ulla certa quantitate determinari poteſt, ſed utraque (occaſione adjuncta) penes arbitrium prudentis medici, ſanguinis qualitatem, venarum plenitudinem, & patientis robur, & valetudinis genus expendentis, repoſita ſunt. Sed vix hæc momentum aliquod habebunt penes eos medicos, qui & falſam de hac re opinionem ſuſceperunt, & in animum ſibi induxerunt, unum Galenum eſſe ſequendum. Quod poſtremum certè laudo, ſi

*Botallus exemplo fratris ad phlebotomiam acceſſit.*

rectè

rectè doctrinam, ſenſumque, & ſententiarum illius varietates percipere, & utile ab inutili diſtinguere ac eligere valeant. Cum plærique ea, quæ uno loco particulatim ab illo ſunt dicta, universaliter capiant, & nonnulla, quæ vera non ſunt, (concedant hoc mihi dicere veritatis fautores) tanquam certa, ſine ullo examine, conſtantiſſimè ſuſtineant & ſequantur.

§. 8. Quare oportet hanc noſtram ſententiam, Galeno repugnantem, ſi recipienda eſt, à præcipuis authoribus artis roborari & confirmari. At quibus authoribus ſatis efficacibus ad id negotii uti poſſumus? Galeno ſanè ipſo, Hippocrate, & aliis omnibus alicujus nominis & famæ. Quod igitur ad Galenum attinet, qua quæſo in re ille magis videtur laborare adverſus Eraſiſtratum, quàm in oſtendendo, illum malè crediditſſe, in ſola plenitudine ſeu plethora ſanguinis miſſionem convenire? Si ergo Galenus hanc propoſitionem à ſe dictam, cacochymiæ nempe purgationem deberi, & plethoræ ſanguinis miſſionem, ſimpliciter vellet intelligi, huic hanc, & illi duntaxat illam, deberi; quid aliud præſtitiſſet in tota ſua diſputatione, quàm tempus terere in contradicendo, & deſtruendo eo ipſo quod affirmat, & in quo cum Eraſiſtrato convenit? nam id ipſum Eraſiſtratus affirmabat. At, deberi hanc primo & per ſe plethoræ, & purgationem eidem per accidens, certum eſt; & ex altera parte, cacochymiæ primum purgationem per ſe, & eidem ſanguinis miſſionem

*Sententia authoris confirmatur Galeni authoritate.*

nem

nem per accidens, id habet probabilitatem aliquam: quamvis cacochymiæ æquè per ſe ſanguinis miſſio, imò magis quàm purgatio conferat, cùm & ea plenitudo ſit, cui per ſe debetur evacuatio per loca convenientia; cùm enim cacochymia ſit redundantia vitioſi humoris, in genere venoſo exiſtentis, reliquum eſt, hunc nulla via aptius educi poſſe, quàm vena ſecta.

*Ex eſſentia cacochymiæ colligit eidem convenire phlebotomiam.*

§. 9. Videamus jam, num & aliquando medendo hoc auxilio ſit uſus, aut commendaverit in cachexia tollenda: nam in hac re contra nobis agendum eſt, quàm in præceptis divinis, in quibus ſequenda potius ſunt ea, quæ concionatores ex ſuggeſtis dicunt, quàm quæ privatis domibus faciunt. Ergo febres omnes putridas jubet curari miſſione ſanguinis, in quibus ſi aſſiduæ ſint, ut putrida ſynochus, imperat largiſſimè detrahi: nam in iis putare plethoram tantum multitudine peccantem eſſe, ſtultum eſt. Et dum dixit, in iis etiam putridis febribus ſanguinem mitti poſſe, & ſeptimo die, & vigeſimo, & aliis longioribus, ſi reliquæ indicationes reſpondeant, putabatne hæc corpora plethorica eſſe? Præterea, mulierem illam, cujus meminit *lib.* VI. *Epid comment.* III. §. *Extenuatio*. longo morbo confectam, & marceſcentem, putabatne eſſe plethoricam? & ſi credebat vitioſis ſuccis oppreſſam, cur tentavit in priſtinam ſanitatem reſtituere venæ ſectione? nam in hac ter ſe miſiſſe ſanguinem dixit, diebus tribus continuis, non autem pharmaca exhibuiſſe. At non ſolum Galenus, reſiſtendo Eraſiſtrato,

*Nota. Confirmatur à Galeni praxi.*

*Vide Gal.* IX. *Meth. Med. c.* 5. *&* XI. *ejuſd. c.* 15.

ſiſtrato, & ægritudines curando, oſtendit ſanguinis miſſionem alibi, quàm in plethora, convenire; ſed etiam evidentiſſimis præceptis, ut patet per hæc quæ ſcribit 1 x. *Meth. Med.* *c.* 5. *Si calida & ſicca natura, cum ſucci vitio, febris fiat, ob multos craſſos & glutinoſos humores, ſanguis mittendus eſt, quo vitioſus ſuccus facilius tranſpiret.* Amplius ibid. *ſi coarctatum corpus eſt, & exigui meatus denſati, & multi ſimul ac lenti humores ſubſint, in hujuſmodi cauſarum complexu cœpiſſe à ſanguinis miſſione convenit.* Quid ergo, rejicitne hic Galenus miſſionem ſanguinis in redundantia vitiati, imò & craſſi ac lenti, humoris? Certè non deerunt rixandi argumenta contentioſo. Patebit etiam ex iis quæ dixit IX. *meth.* *c.* 10. ubi ait, *inſignem ſanguinis evacuationem periculoſam eſſe, ſi confertim fiat, viribus imbecillis exiſtentibus cum humorum corruptela, in qua, inquit, Oportet, ubi ita indicationes ſibi adverſantur, paulatim evacuare quod eſt vitioſum, & paulatim etiam, quod eſt ſalubre, pro eo reponere.* Quam curationis formam ad amuſſim ſic deſcribit Celſus, *l.* 3. *c.* 22. *Si malus corporis habitus eſt, quem cachexiam Græci vocant, primùm abſtinendum eſt, deinde alvus ducenda: ſi nihil reliqua proficiunt, ſanguis mittendus eſt, ſed paulatim quotidieque.* Et *cap. De miſſione ſanguinis* etiam aſſerit, *convenire in malo corporis habitu,* dicitque, *in ſanguinis abundantia vel ejus corruptione, nullo remedio melius ſuccurri ægro poſſe, quàm ſanguinis miſſione, Imò facta, donec purus exeat.* Jam Rhaſim ſimiliter audiamus. *Si melancholiæ,* inquit, *comites ſunt ventris dolor, & inflatio, & vitiatus corporis color, prava concoctio, vomitus, ructus acidi, flatuoſorum*

*Ejuſdemque præcepta.*

*Celſi authoritas.*

*Conſule Celſi textum l. 2. c. 10.*

*ſorum ſpirituum copia, ſputorum multitudo, curatio-nem à vena axillaris, aut ad parvum digitum manus ſiniſtra, inciſione auſpicabimur.* Quid hîc dicas, vis lucidius corpus cacochymum deſcribi, & clarius dici in ejus curatione eſſe inchoandum à ſanguinis detractione?

*Spleniticis num conveniat vena ſectio.* §. 10. Sed lienoſos homines, ſive ſpleniticos ad hydropem propenſos, dicemus ne bono habitu corporis an malo? malo certè: at hoc num plethorico, an cacochymo? cacochymum dicet Medicus; inexpertus & modeſtius, dubitabit ſine contentione pertinaci. At cacochymus eſſet dicendus, & ſi ſic illum appellare nolis, non tamen talis non erit. At Hip-*Num.* 21. pocrates *lib. De affectionibus.* dicit in his venam ſplenitidem frequenter eſſe aperiendam. Non igitur rectè Galenus ſanguinis miſſionem reticuit, dum remedia cacochymiæ propoſuit, præſertim quòd vix ullam diuturnam ægritudinem, quantumlibet minimam, aut recentem gravem, reperies ſine cacochymia. Nam ægra corpora modico tempore, vitioſis excrementis ſcatent. Adde, quòd omnia fere corpora, in quibus mitti ſanguinem juſſit Hippocrates, ut per præcedentia exempla, quæ ex eo adduximus, cognoſci poteſt, cacochyma, non plethorica eſſent judicanda.

§. 11. Dicamus jam igitur, cùm ſanguis ſit inutilis (ut Gal. ait IX. *meth.* XI.) dum propriam qualitatem ad unguem non ſervat, nec amplius nutrire corpus, ut prius, poteſt, non modò non eſſe contemnendam miſſionem ſanguinis in cacochymia, ſed magnopere com-

commendandam. Interim tamen ſic eam eſſe partiendam, ut per eandem crebro repetitam, ut Gal. & Celſus docent, id quod in venis eſt corruptum, paulatim ſine virium læſione magna ex parte exhauriatur; magna ex parte, inquam, quia totum eximi neque convenit, neque fieri arte poteſt. At reſiduum, ut Galenus multis locis dixit, facilius tranſpirat, aut excernitur naturæ munere.

*Ratio adhibenda in mittendo ſanguine in cacheſticis.*

---

## CAP. IX.

### *Num phlebotomia conveniat doloribus à flatibus concitatis.*

EX parvis erroribus principiorum ſequi in finibus maximos, ferè perpetuum eſt. Mirum itaque non eſt, ſi accepta dicta propoſitione de cacochymia, ut vera ſimpliciter (quam falſam eſſe oſtendimus) aliæ etiam multæ ſequantur falſæ; ut, mittendum non eſſe ſanguinem in doloribus à flatu concitatis. Quoniam, inquiunt, hi à frigida & craſſa materia, & caloris innati imbecillitate, fiant.

§. 2. Eſto: num propterea ſemper non mittendus ſanguis, ubi calidum innatum imbecillum eſt? ubi materia morbi frigida eſt? Nunquam igitur erit mittendus in febribus; nunquam in particularibus inflammationibus; nam in illis innatum calidum imbecillum eſt, extraneum verò validum. Nunquam etiam in nephritide, ex calculo; nam vix ulla materia

*Sanguinis miſſio in materia frigida convenit.*

teria in corpore eſt calculo frigidior: Nunquam etiam in febre, facta ex obſtructione per craſſos & viſcidos humores, quos ſua natura eſſe frigidos nemo inficiatur.

§. 3. At in his omnibus expeditiſſimum eſſe ſanguinem mittere quiſque fatetur, non quidem primo & per ſe, ſed per accidens. Non enim aperienda vena eſt in calculari affectu, ut editum calculum comminuas: non in colico dolore ex flatu, ut inteſtinum ab extendente flatu exinanias: non in febre ex obſtructione, ut craſſos & viſcidos humores jam obſtruentes eximas. Sed in hac, ut copia detracta, etiam aliquid evacues ex venis, ex eo quod cras obſtructionem renovaret; præterea, & quò natura relevata onere, reſiduo ſine labore dominetur: In illis verò, quò imminuta materia quæ in venis eſt, minus facilè renes, & colon inteſtinum incendantur, phlegmoneque premantur. Adde etiam, quòd ex aperta vena flatus aliarum partium aliquando minuantur, propter earum communitatem, quam habent hæ cum toto corpore, & propter tenuitatem ſpirituum, qui per omnes anguſtos meatus deferri poſſunt. Quare ad ſanguinis miſſionem confugere Hippocrat. I I. *epid. ſect.* v. non eſt veritus in dolore ex flatu concitato, ſive (ut Cornarius vertit) in flatuoſa ventoſitate. In quo tamen affectu, ſicuti etiam in ingenti dolore nephritico, non multos Medicos, jamdiu medicinam factitantes, noſcimus, qui dum id minimè eſſe faciendum coram ægris, dolori-

*Cur in calculo renum venam ſecetur utiliter.*

bus

bus extortis, contenderent, fieret tamen poſcentibus ægris, apertè noverunt quàm eſſet eorum ratio à vera ratione aliena.

## C A P. X.

### *In convulſione curanda opus eſſe vena ſectione.*

EAdem ratione multi metuunt ad hoc auxilium accedere in convulſionis curatione: quoniam (inquiunt) teſtante Ariſtotele, & Medicis ipſis, fit ex flatibus motis per venoſum genus, etiam & ab humore pituitoſo, qui humor & qui flatus fiunt à diminuto calore, quem detractione ſanguinis imminui & diſſipari, inter omnes Medicos convenit. Convenit quidem inter Medicos, diſſipari innatum calidum miſſione ſanguinis, dum is detrahitur ſuperfluè, & ex corpore alimoniam potius poſtulante, quàm vacuationem; ſed reparari etiam idem, ſuperflui & nocentis convenienti evacuatione. Hac ratione Hippocrates dicto libro ſanguinem mittit in convulſione, cui neque febris nec capitis dolor ſunt conjuncta. Verùm ſi in hac noxæ ſpecie, abſente febre, fructuoſa eſt, quanto erit fructuoſior, ſi febris, aut aliud ſit adjunctum, quod eam etiam deſideret? Monendi interim juvenes ſunt, convulſiones etiam, licet raro, contingere ex nimia aliqua evacuatione & exſiccatione, in quibus non ſola ſanguinis miſſio, ſed quælibet alia evacuatio, inutilis eſt.

*Ratio adverſariorum.*

*Diluitur eorum ſententia.*

*Iuxta Aph. 39. l. 6. & Aph. 3. l. 5.*

## CAP. XI.

### *In epilepſia, in ſtrangulationibus, & aliis id genus morbis, mittendum eſſe ſanguinem.*

*Comment. in Aph. 45. lib. 2.*

A Frigida etiam, craſſa, & viſcida materia fieri epilepſiam, teſtatur Galenus; quamobrem plures in hac reformidant etiam phlebotomiam, ne humoris frigida copia magis increſcat. At non & timuit Hippocrates, imò *lib.* III. *acut. num* 38. etiam in ipſa acceſſionis vehementia, ex brachio jubet detrahi, & pro virium ratione; quod Cælio & Altomari non placet, & à paucis id commendatur, licet id Galeno, & Archigeni (ut Trallianus teſtatur) minimè diſpliceat. Quam Hippocratis & Galeni ſententiam minimè improbo, ſed potius laudo, quòd eo morbi impetu, retracta per ſanguinis miſſionem parte materiæ, quæ affectum graviorem efficeret, etiam mitior fiat.

*Vide potius quid ſcribant Cælius Tard. paſſ. l. 1. c. 4. Altomarus de med. corp. malis c. 12. Trallian. l. 1. c. 15.*

§. 2. Sed (quod tacitè prætereundum non eſt) quo modo in hac vehementia acceſſionis, in qua nec ſermo, nec motus, nec ſenſus patienti adeſt, metienda eſt hæc detractio ad vires? Nam non hîc pulſus mutabitur, ut in iis qui vigilant, & in animi deliquium incidunt, cujus deliquii adventus mutatione pulſus percipitur. Detraxeris hîc fortè ſimul & animam, aut certè proximè, prius quàm imbecillitatem recognoſcas. Metienda igitur hæc vis eſt ex plenitudine venarum, ut ſæpius dixi-

diximus, & ex eo modo, quem uſu artis didiceris, poſſe ſingulis hominibus detrahi, cuique ſcilicet pro ſua corporis habitudine. Eſt tamen ſemper intra modum ſubſiſtendum, quàm excedendum. Sed longe etiam multo infra ſubſiſtere, prodeſſe ægrotanti non eſt, ſed infamare auxilium, ut inutile & damnoſum, præter culpam, quod ſæpiſſimè fit.

§. 3. Mittendum etiam in vocis amiſſione idem author dicit. Vox quidem epilepticis intercipitur, verùm non ſolis, ſed aliis multis, aut quia ſtrangulantur, ad guttur recurrente humore ſuffocante; aut, quia impetus aliquis ſanguinis fit ad cor, aut ad cerebrum. Sed quovis dicto modo quis obmutuerit, ſive etiam fiat ex utero, ſive aliunde moveatur, nunquam eſt inutilis in hoc ſymptomate ſanguinis miſſio, ſi ſentias ſcilicet valentem pulſum, & venas facilè repleri videas. *In aphonia mittendum ſanguinem.*

§. 4. Evenit interdum, ut quidam, qui obmuteſcunt, nullo auxilio releventur, in quibus vas aliquod in cerebro, aut in partibus internis eſt diſruptum. Quorum utriuſque exemplum vidi: illud in tribuno ærario, hoc in illuſtri quadam matrona, quæ à prandio animi deliquio correpta, horis quatuor poſt expiravit, rupta vena in ventre, quæ à nobis videri non potuit, ſed ſanguis totus in ventris capacitate inventus eſt: & in alio, qui etiam repente interiit, ventriculis cerebri ſanguine refertis, cui vix etiam ad curationem profuiſſet venæ ſectio, verùm ad præcautionem nil poterat eſſe utilius. Nec hoc genus morbi accidit *Caſus incurabilis.*

in capite ſine præmonitu, gravitate ſcilicet capitis, venarum faciei repletione, ejuſdem rubore præter morem, & conſuetudinem.

*Strangulationi prodeſſe phlebotomiam.*

§. 5. Strangulationi etiam à frigidæ potu ortæ, Dioſcorides vult miſſione ſanguinis ſuccurri. Non igitur ſemper, quia calida materia eſt, vel quia infecta, ſed quia multa in venis eſt.

---

## CAP. XII.

### *In catarrhis, & contumacibus doloribus, celebrandam ſanguinis detractionem.*

Quemlibet etiam dolorem contumacem, corporis aliquam partem infeſtantem, ſine manifeſta inflammatione, vulgus medicorum excludit ab ope miſſionis ſanguinis, eademmet ratione, qua præcedente capite dictum eſt; nempe, quoniam affectus hi fiunt à cauſa frigida, defluente (inquiunt) à cerebro. Cui cauſæ ſubjiciunt, non modò dictos dolores, ſed etiam tuſſes omnes diuturnas. de

NOTA

quibus omnibus dicti medici ſe ſatisfeciſſe rogantibus ægris putant, cùm dixerint, dictos affectus eſſe catarrhos, à cerebro decumbentes in partes ſubjectas, quibus nullo modo propoſitum auxilium poteſt convenire, ſed purgationes tantum, & victus tenuis, & id genus alia. Qui, cum medici, tum ægrotantes, quantum decipiantur, ipſa res docet.

Cujus

Cujus rei etſi innumeri teſtes à nobis nunc adduci poſſent, duobus tamen, & iis quidem notiſſimis, contenti erimus.

§. 2. Dominum de Varenes à Regis cubiculo, annos ut minimum quinque & ſeptuaginta natum, dolor aſſiduus & lentus, ad cervicem & humerum, à multis menſibus detinebat, quem Medici frequenti medicamentorum purgantium uſu, & calefacientibus litubus, curare ſtuduerunt: à quibus ille cùm parum, aut nihil, levaretur, nos conſulit; cui ſalutarem diximus futuram ſanguinis miſſionem. Ille contra objicit, inconſuetudinem mittendi ſanguinis, ſenilem ætatem, inchoantem hyemem, morbum fieri à frigidis humoribus, & flatibus: quæ omnia (teſtantibus aliis medicis) tale auxilium dehortabantur, quare non poſſet intrepidè acquieſcere noſtræ ſententiæ. Diebus aliquot poſt, morbi perſeverantia & incremento impulſus, ad nos rediit, ſic animo affectus, ut polliceretur ſe poſthac nulla in re à noſtris conſiliis receſſurum: mitti ſanguinem juſſimus, ex brachio affectæ partis, ad uncias decem: poſt aliquot dies, parem modum ex adverſo, cum maxima utilitate, tandem iterum ex altero, & ſic liberatus eſt. Non tamen interea contempſimus purgantium, & lituum calefacientium & diſcutientium, uſum. Ab eo tempore dictus patiens familiariſſime, & cum maxima utilitate pedum, quibus vix poterat inſiſtere, viſus, & totius corporis, primum bis & ter in anno, poſtea quinquies & ſexies meo conſilio, ſibi D. de Varenes.

ſanguinem mittit, firmius incedens nunc, quàm ageret abhinc decennium.

§. 3. Simili contumaci dolore cervicis, cum capitis gravitate, affectum Reverendiſſimum & æquiſſimum virum Abbatem Bellebranche, Regis & Reginæ Regis matris eleemoſynarium, Medici purgationibus, & aliis remediis, inutiliter curare laborabant; quam nos, ter ſecta vena, ad ſeſquilibram ſanguinis pro ſingula vice, percuravimus. Cujus auxilio poſtmodum à multis annis familiariſſimè, & ſummo commodo, utitur, præter tamen ſpem & conſenſum aliorum Medicorum, qui illi à phlebotomia omnino eſſe cavendum ſignificabant. Non igitur ſemper in frigidis, aut creditis à nobis frigidis morbis, utilis eſt abſtinentia miſſionis ſanguinis, ſed adverſa.

*D. Bellebranche.*

§. 4. Quare in morbis contumacibus, (quamvis fiant à materia frigida) funditus aut juſto parcius à phlebotomia abſtinere, prudentis Medici non eſt; cum certum ſit, quamlibet corporis partem nutriri ab ea materia quæ in venis eſt, quæ quanto frigidior & craſſior fuerit, reliquum eſt etiam affectum, à dicta materia concitatum, graviorem & contumaciorem reddi. quam materiam dicimus partim minuendam miſſione ſanguinis, & partim etiam purgatione, & attenuante victu, quo, repurgata & renovata maſſa ſanguinis, morbus curetur.

CAP.

## CAP. XIII.

### *In Tuſſi ſicca adhibendam phlebotomiam.*

ET in ſicca tuſſi depellenda, quàm multos videas Medicos ad ſanguinis miſſionem confugere? perpaucos ſanè, aut potius nullos: quoniam hanc aut à ſicca intemperie ſine materia, aut à tenui aliqua pituita ſeu ſero à cerebro (ut perpetuò dicunt) in pulmones decumbente, fieri autumant. Quibus cauſis, omnibus aliis remediis potius obſiſtendum eſſe credunt, quàm venæ ſectione. Ita in hac dicunt incraſſandam eſſe materiam, ne tenuis delabatur, & ſpiritum tuſſiendo effugiat & fallat: In illa, pulmones eclegmatis & bechicis, leniendos & humectandos. Cæterum corporis impuritatem, ſi qua ſit, clyſteribus, purgantibus medicamentis, & errhinis, eſſe vacuandam. Quæ omnia auxilia, etſi contemnenda non eſſe ſentiamus, relinquenda interim potiùs ea dicimus in totum, quàm funditus abſtinendum à ſanguinis miſſione, præſertim ſi affectio contumax ſit: idque duplici de cauſa; tum ad curandam affectionem tuſſim comitantem, tum ad prohibendas graviores noxas, quæ brevi moleſtas tuſſes ſequuntur, nempe inflammationes, venarum ruptiones & ulcerationes.

*Curandæ tuſſis modus communis.* *Opinio authoris.* *Rationes ejuſdem.*

§. 2. Eſt autem ſiccæ tuſſis cauſa ſæpiſſimè pulmonis, aut partis alicujus non longè à pulmonibus diſtantis, calida intemperies, ſine materia quidem apta ad excretionem, ſed non ſine

*Cauſa tuſſis ſiccæ.*

ſine materia morbum faciente; unde tuſſis, ( quæ morbus non eſt ſed ſymptoma ) excitatur. Quæcunque igitur ſit dicta materia, & quocunque loco ſit poſita, aut undecumque veniat, nunquam ſanguinis miſſionem non requiret, ſi non ad ſuimet vacuationem, ſaltem ad averſionem novæ Qua occaſione Hippocrates eam commendavit IV. *Epid. num* 30. in curatione ſiccæ tuſſis exortæ à teſtium affectu, quem cenſendum eſt fuiſſe inflammationem, aut inflammationis minimè expertem. At quæ ratio eſt; fieri tuſſim ſiccam à teſtium inflammatione? ea ſanè ipſa eſt, quæ & dum à jecoris incendio, vel extraneo calore, excitatur, nempe à communicata fuligine pulmonibus à parte affecta, per vaſa communia, venas ſcilicet & arterias.

---

## CAP. XIV.

### *In doloribus ventris utilem eſſe venæ ſectionem.*

VEntris dolores vix etiam quiſquam pertuſa vena curare, aut lenire tentabit, eo
*Aph.* 18. *l.* 4. quòd ab Hippocrate ſit dictum, dolores infra ſeptum exiſtentes purgationem poſtulare per inferiora; qui verò ſupra ſunt, ſanguinis miſſionem aut vomitum.

§. 2. Quàm multos Medicos vidimus ſuperſtitioſos eſſe in hujuſce poſitionis obſervatione? imò non adeò pridem quendam videbam

bam contendere cum altero, non eſſe repetendam miſſionem ſanguinis in quodam pleuritico, nunc mortuo, quoniam locum doloris (quem intra tertiam & quartam coſtam notham hærere audiebat) putabat & dicebat eſſe ſeptum tranſverſum, infra quod dolores poſitos, aſſerebat ex mente Hippocratis, poſtulare purgationem, non miſſionem ſanguinis. Expende hominis non juvenis eruditionem, in curando & in cognoſcendo ſitu diaphragmatis, quod putabat eſſe inſitum inter coſtas veras & nothas.

§. 3. At profectò qui hanc ſententiam nimis tenaciter ſuſtinent, mirum non eſt ſi multos conjiciant in tabem & buſtum ante juſtum tempus. Nam ſæpiſſimè evenit, ut vel jecur, vel ventriculus, vel inteſtina, vel alia quævis interna ventris pars, calida intemperie afficiatur, (ut omni parti corporis ſæpe contingit) in quibus purgatio pernicies eſt, ſanguinis miſſio verò curatio. Nec ita nocens in ventris affectibus eſſe poteſt miſſio ſanguinis facta, ſi illi purgationem requirant; quàm purgare, ſi ſanguinis miſſionem poſtulent.

§. 4. Nuper in Anglia Dominum de Caſtro Rubeo, ætatis annorum quinquaginta quinque, prehenſum ventris dolore, ad ventriculi regionem, non admodum vehementi, quidam Medicus, ſed me neſciente, purgari volebat. Ego, auditis ſymptomatis, ſignificavi ſanguinis miſſionem futuram illi magis ex uſu, quoniam potius (ut illi dicebam) malum videretur eſſe ex oppreſſo jecore, à nimio & æſtuante *Hiſt. Domini de Caſtro Rubeo.*

æſtuante ſanguine, quàm ex aliquo humore ventriculum urgente. Fert ille malum in aliquot dies, timens propter ætatem, ut dicebat, ne venæ ſectio corporis viribus & viſui noceret. Triduum aut quatriduum poſt, ad crepuſculum matutinum, rogatum me mittit, ut ad ſe graviter ægrotantem proficiſci vellem. Accedo; reperio febricitantem cum alvi fluore, quo fuerat per noctem agitatus, cum quo merus ſanguis, non antea illi viſus, veluti ex hæmorrhoïdibus, excernebatur, perſiſtente interim dolore primo. Rogat iterum, timens à miſſione ſanguinis, num præſtaret corpus purgari quàm venam ſecari; ſentire enim ſe ventriculum, veluti gravi onere oppreſſum. Ego non ventriculum, ſed jecur in eo opprimi dico; mittendum itaque protinus ex brachio eſſe ſanguinem, tum ad veterem dolorem curandum, tum ad febrem tollendam, tum ad prohibendum, ne venæ inteſtinorum, inſuetæ ſanguinem effundere, nimio impetu dilatatæ, difficulter poſtea retinerentur.

*Cui in ventriculi dolore & alvi fluxu ſanguinolento ſumma cum utilitate, vena ſecatur.*

Paruit ille noſtro conſilio: detrahi juſſi ex baſilica dextra libram unam ſanguinis, ex qua, veluti miraculo, liberatus ab omni noxa, poſtridie in aulam profectus eſt.

§. 5. Deus bone, quam ſæpe vidimus hujuſmodi dolores ventris tum novos, tum vetuſtos, tolli ſola venæ ſectione! quam plærique medicorum nimis pueriliter, (parcant obſecro ſi illos nunc ejus peccati accuſo, à quo & me, à quindecim duntaxat aut ad ſummum ſexdecim annis, declinare cœpiſſe fa-

teor)

teor ) reformidant! Nec Hippocratem, qui dixerat dolores infra ſeptum tranſverſum poſitos requirere purgationem, à ſectione venæ abſtinuiſſe videtur, in eo qui in Oeneadis gravi dolore ventris cruciabatur, quem ad tabem & necem per medicamenta purgantia pæne deductum; (t) fatetur ſe ſervaſſe, miſſo ſanguine ex utroque brachio, ad animi uſque deliquium. Amplius &, qui humoris melancholici vomitione aliquando ſolent conflictari, dolorem ne ſentiunt infra ſeptum tranſverſum? At hos nonne aliquando & Hippoc. miſſione ſanguinis curare tentavit? ut patet 11. *De morbis*, *num.* 71. non ſolum contra jam dictum præceptum, ſed etiam contra hæc: In omni evacuatione talia eſſe ducenda è corpore, qualia ſponte prodeunt: contraria verò eſſe cohibenda. amplius & contra illud; Ducendos eſſe humores quo natura vergit.

*5. Epidem. num.* 2.

*Aph.* 2. *l.* 4.

*Aph.* 21. *l.* 1.

*§.* 6. Sed cum hîc apertiſſimè pugnare videantur curatio & præceptum, quid quæſo ſtatuendum eſt? An alterutrum falſum, an utrunque, an neutrum? hiſtoriam autem eſſe veram pro rato habendum eſt; uti etiam præceptum, quandoque verum, & quandoque falſum, ut cætera omnia præcepta, utcunque particularia, ut nunc dicta ſunt. Quare ſi ventris dolores, ſponte venientes, acuti ſint, & clyſteribus non cedant; certum eſt miſſionem ſanguinis futuram uſui, ſive dolor ventriculum

(t) Vide egregium *Valleſii* commentarium, *l.* 5. *Epidem*: ægroto ſexto.

triculum urgeat, ſive inteſtina, ſive viſcera; ſive aliam quamvis partem. ſed major medicorum pars in iis omnibus purgationem præfert, quam ut omnino non rejicimus, ita nec ſæpe phlebotomiæ non poſtponimus.

---

## CAP. XV.

### *Hydropicis, & inveteratis quartanis, utilem eſſe venæ ſectionem.*

VErum quæ hactenus diximus, non tam ab artis præceptis & à ratione aliena forſitan videbuntur, quàm aſſerere id in hydrope poſſe interdum valere. Quod tamen Hippocrates commendavit II. *epid. ſect.* 5. & *lib. acut. num.* 62.

§. 2. Haud me latet, multos dicturos, hanc admitti ſolere in hoc affectu, dum is, ut ait Hippocrates, ab inflammatione exoritur: Tamen ex iis multis, id confitentibus extra occaſionem, paucos videas (& magno ægrotantium malo) dum opus eſt facto, aut illam proponere, aut propoſitam recipere. At utinam & in hac jam facta, ſi velint, prorſus abſtinerent, & attentiores eſſent in hac & aliis prohibendis; quod profectò levi negotio efficerent, ſi in tempore, & convenienti modo, hac medicina (quam injurioſiſſimè medici parum in arte experti, veluti hujus authorem credunt) uti ſcirent! Cujus defectus aut tarditas plærunque eſt cauſa, ut jecur, aut lien, *Cauſa hydropis potiſſima.*

aut

aut utrumque, affligantur à ſanguinis exuperantia vel vitio, quarum partium affectionem potiſſimum hydrops ſequitur.

§. 3. Sed num Galenus hanc perpetuo ſprevit, aut rejecit in hoc affectu? minimè quidem: cùm is adverſus Eraſiſtratum *de Venæſect. c. 5.* hæc proferat verba: *Sæpe ſpaſmum hydropemque ſanguinis evacuatione ſum medicatus.* Ergo cùm lienis aut jecoris intemperantia, aut imminens aut jam concepta, egregiè emendari, aut tolli perſæpe, ſoleat ſanguinis evacuatione, ſeu ſpontanea ſeu arte facta, non propterea tam promptè & univerſim, ut à pleriſque fit, ubi de hydrope aliqua ſuſpicio aut initium eſt, abigenda aut improbanda eſt, præſertim cùm Hippocrates (& quidem peritiſſimè) *lib. De affectibus, num.* 21. frequenter ex vena ſplenitide repetendam eſſe dicit lienoſis, ad hydropem propenſis.

*Galenus hydropem ſanguinis miſſione curat.*

*Similiter Hippocr. lienoſos ad hydropem propenſos.*

§. 4. Quod remedium nos etiam in multis efficaciſſimum & ſolenne comperimus, præſertim in viro ſummæ integritatis & eruditionis, Domino Epiſcopo à Sancta fide, Chriſtianiſſimi Regis concionatore, qui cùm ab annua, aut etiam vetuſtiore quartana, duro & inſigni lienis tumore comitata, adeò ſe fractum & confectum videret, ut fere omni ſalutis ſpe depoſita, in ſola hydropis expectatione viveret, eo quòd irrita & inania quotidie & Medicorum conſilia, & plebis adjumenta, experiretur; mihi fortè obviam factus in via, narrat præterita pathemata, uſurpata præſidia, ſtatum & mores perſeverantium

*D. à ſancta fide quartanarius.*

ſymptomatum, inſtituta Medicorum, & metum infelicis expectationis: cui ego, ſublato prius probabilibus argumentis illius metu, ampliorem juvandi potentiam propoſui in ſanguinis miſſione eſſe poſitam, quàm in ullo alio auxilii genere; eam tamen ſemel tantum adhibitam, in tanta ſanguinis colluvie, quantam in eo eſſe exiſtimabam, inque tam magno & vetuſto lienis malo parum profuturam, mirificè verò juvaturam, ſi per temporum interſtitia repeteretur. Quam curationis formam ei, & multis Medicis, præſertim in hujuſmodi febribus, formidabilem & penitus inauditam, ſuſpectam habere & ſubhorrere cœpit, utpote quòd ſæpius ad eam redeundum eſſe dicerem. Ille tandem, conſiderato periculo, in quod indies magis ac magis trahebatur, & noſtris rationibus perpenſis, animum ad eas convertit, rogareque cœpit, qui modus in hoc, quæve ratio eſſet adhibenda. Cui menſuram indiximus cujuſque detractionis, vaſculorum trium ſeu unciarum novem, quod eſſet minimum, ad ſummum verò vaſculorum quatuor: Temporis intercapedinem ſaltem deberi dierum octo aut decem, idque modo poſtridie ab acceſſione febris, modo pridie, modo etiam ipſomet die, dummodo id fieret horis ad minimum ſex ante febris adventum Quod conſilium ita viriliter eſt aggreſſus, & ſtrenuè perſecutus, ut poſt divinam opem, beneficio miſſionis ſanguinis tertio repetitæ, morbum expulerit ex toto. Sic ille triſtes hydropis minas eo præſidio eluſit, quod

quod ſibi tanquam adverſiſſimum hoſtem, ( ut à plæriſque frequenter audiebat ) eſſe cavendum ſtatuerat.

§. 5. In eodem etiam diſcrimine ſe fuiſſe olim Baptiſta Brixianus mihi narravit: nempe laboraſſe quartana per menſes octodecim, cujuſdam tonſoris villici ope, qui contra ſententiam omnium Medicorum detraxit illi ſanguinem ſatis liberaliter: Cum tamen Medici, toto febris curſu tantum ſemel circa initium, ad tria parva vaſcula, detrahere fuiſſent auſi; à qua venæ ſectione levatus eſt plurimum; poſtea conſilio dicti tonſoris etiam purgatus, liberatus eſt. *Baptiſta Brixianus.*

§. 6. Decimus inſtat annus, ex quo me pariter in maximum hydropis diſcrimen, & ad extremi marcoris fines, duplex quartana, tum ſimplex, devexerat. Quibus toto novem menſium curriculo adeo laborioſe fatigatus & oppreſſus eram, ut de ſpe valetudinis parum reliqui mihi ſupereſſe videretur, niſi tandem hanc labem nono menſe, quo, parvis temporum intervallis, ter venam ſecui, ad libram unam aut uncias decem ſanguinis, ſingula detractione. Ad hoc divinum auxilium, hoc morbi tempore, & corporis macie, ( in quibus id ab omnibus propemodum medicis nimis leviter improbari ſolet ) nos concitabat crebrior fratris mei per literas cohortatio, roborata ſignificatione multarum curationum, quas ille ſola phlebotomia præſtiterat, tam longiſſimarum quàm recentium quartanarum, & alterius generis febrium. Miſeram quidem *Botallus quartanarius.*

primis diebus bis, ſed procedere ultra non audebam, quia contrariis rationibus plurimis circumveniebar; verum communibus, tritis, & parum efficacibus, quæ tamen perſuaſivam in me eo tempore vim habebant, eo quod & ipſe ægrotus eſſem, alieni conſilii egens, & quod in mittendo ſanguine, licet aliis medicis eſſem audacior, timidior tamen adhuc eram, ac fortè etiam nunc ſum, quam pro Medicina rectè facienda ſit opus. Erant autem rationes hæ, quod quartanæ febres, ex mente Veterum, non eſſent curandæ multiplici miſſione ſanguinis, eo quod in diuturna ægritudine, qualis quartana ut plurimum eſſe ſolet, ſervandæ ſunt corporis vires, non tollendæ, ſi quæ ſuperſint, detractione ejus quod ſuſtinet: Adde, quod cum ſæpe hydrops talem febrem ſequatur, ideo plus eſſe hydropem metuendam, quo ſæpius vena foret ſecta. Hæ & aliæ ſimiles rationes, adverſus præſidium, quod fuit ſalutis cauſa, partim animo occurrebant, partim ab aliis medicis proponebantur. Verùm quàm ſæpe, ab annis triginta, plærique medici non mediocris famæ; & ego cum illis, periculum hydropis fratri meo ſumus comminati, ob frequentem ſanguinis miſſionem qua ille in ſe utebatur! à qua ſi abſtinuiſſet, aut parcius uſus fuiſſet, jamdiu aut ab hydrope, (ut ille cenſet, & ego jure optimo credo) aut à febre, aut alio morbi genere fuiſſet extinctus.

*Rationes quibus ſuadetur in febre quartana non eſſe profundendum ſanguinem.*

§. 7. Verùm quid me olim, & præceptores meos, & alios medicos in hanc formidinem addu-

*Cauſa timoris medicorū hac in re.*

adduxerit, alioſque præſentis ſæculi adhuc pertinaciter detineat, fas eſt dicere. Eſt ſanè primùm mala conſuetudo, per manus ſuſcepta, cùm plæriſque ſufficiat pro doctrina aut ratione, communem uſum in patrocinium habere: Tum fallax conſequutio, deducta à vera quadam ſententia Galeni, recitata *lib.* 2. *De natur. facult. c.* 8. *& Aphoriſ.* 12. *l.* 6. *A diuturnis ſanato hæmorrhoïdibus*, *&c.* & aliis locis, quibus aſſerit, ſe multos vidiſſe factos hydropicos, cùm mares tum fœminas, à menſtruis purgationibus, aut hæmorrhoïdibus ſuppreſſis, vel parcius procedentibus, aut ab iiſdem abunde nimium fluentibus, unde jecur refrigeratur, & ejus ſanguifica facultas imminuitur: quo fit, ut idem jecori & venis contingat in ſanguine conficiendo, & retinendo, quod accidit refrigerato ventriculo & inteſtinis, in conficiendis ſeu concoquendis & retinendis cibis, dum diarrhœa conficimur. Hinc medici parum perſpicaces, neſcientes plærumque pernicioſa à ſalutaribus diſtinguere, fallacia ſimilitudinis decepti, inducunt, ſanguinis miſſionem propenſis ad hydropem, non ſolum non ſatis eſſe tutam, ſed maximè adverſam. Qui quam male colligant, & pejus connectant, ipſa artis experimenta evidentiſſime teſtantur: Cùm ſæpe hydrops prehendat eos, quibus neque ſanguis ullus detractus eſt, neque etiam ſponte emiſſus, imò potius eos, quibus eſt detentus ex ſuppreſſis menſibus aut hæmorrhoïdibus: & contra nihil rarius, quam ſimplices ſanguinis effuſiones ſequatur; ſim-

plices dico eas, quæ ſine ulla ſanguinis impuritate, & jecoris vitio, eveniunt; ut eas quæ vulnera ſequuntur: quarum tres famoſiſſimas recitabo. Aſſecla primi Præſidis Pariſiorum ferè exanguis eſt factus ex vulnere arteriæ temporis ſiniſtri, cùm noctu in ſomno is erupерit. Idem contigit Præfecto Bernardino, ex ſecta arteria & vena in medio brachio: ad quos vocatus, compreſſo oſculo fluente digito, brachia & crura vinciri juſſi, ut ſanguis eo revocaretur; cujus tanta viſa eſt penuria, ut ne venarum (quæ in valetudine illi erant ac ſunt ampliſſimæ) ullum veſtigium cerneretur. Idem vidimus in Vieumanoir olim Regis Aſſecla: & nuper in veterinario, ex critica hæmorrhagia, & aliis multis tum à vulnere, tum à criſi, quorum tamen nullus hydrope prehenſus eſt.

*Hiſtoria magnarum hæmorrhagiarum, quas tamen hydrops neuti quam ſecuta fuit.*

§. 8. Ergo non ſanguinis evacuatio hydropem accerſit, imò inutilis ejus redundantia vel impuritas, à quorum alterutro vel utroque ſimul juncto, innatus jecoris calor ſæpe ſuffocatur, vel imminuitur, vel incenditur: hinc natura ſtimulata, & onere & vitio ejus, quod corporis eſca eſſe debuerat, tanquam adverſiſſimum hoſtem expellere tentat per venas narium, aut ani, aut uteri. Verumtamen cum his ſpontaneis vaſorum apertionibus non ſemper natura ſtatam & convenientem moderationem ſervare poſſit, hinc fit, ut ab iis non raro, præſertim ſi ſanguinis aut jecoris vitium adſit, ut Gal. dixit, hydropes fiant. Quamobrem primus & præcipuus ſcopus imminentis hydro-

*Cauſa hydropem facientes.*

hydropis vitandæ, aut inchoantis ſeu jam conceptæ curandæ, erit penes ea auxilia, quæ inutilem ſanguinis multitudinem imminuunt, & impuritatem corrigunt, & jecur ab intemperie (potiſſimum calida, cui inter cæteras corporis partes eſt maximè obnoxium) vindicant. Inter quæ ſanguinis miſſionem prærogativam habere, & inter eruditos, ut jam ex Hippocrate & Galeno audivimus, convenit, & uſu artis eſt compertiſſimum. *Quomodo illi ſit occurrendum tempeſtivè.*

§. 9. Porro tamen facilius, arbitror, concedi mihi poterit à multis, propoſiti auxilii uſus, in imminenti aut jam auſpicanti, quam in confirmata & vehementi hydrope, in qua tamen non penitus inutilem judicavit Hippocrates II. *Epid ſect.* 5. qui imperat venas internas ſecari, dum is morbus magnus, ut ait, in intenſione eſt. Verum ubi jam hydrops confirmata eſt, & à jecoris vel lienis vitio inchoata, ut nulla eſt ſpes curationis hujus, ita neque temere calumniæ ſubjiciendum eſt dictum auxilium. Quod quidem, etſi levare ægrum ſuffocationi proximum poteſt, unde vita in dies aliquot producatur, non eſt tamen aut proponendum, aut exequendum, niſi ſignificato ægrorum affinibus fructu, qui ex eo ſperatur, ne allecti falſa ſpe curationis, crimini dent & auxilium, & authorem. Valens etiam præſidium Hippocrates eſſe dixit in hydrope pulmonis ſeu thoracis. *Cautio.* *l. 2. de morbis n. 59.*

## CAP. XVI.

### *Recens natis quartanis, num conveniat ſanguinis detractio.*

SI vetuſtis quartanis utilis comperitur, inutiliſne erit recentibus? minimè quidem, ſed utilior, cum præſtet ab initio vim morbi infringi, ne longius procedat, quam ſinere illum progreſſu temporis vires acquirere, ut maxima Medicorum pars facit. Quorum perpauci admodum ſunt, qui in harum principio (niſi in ſanguine redundantibus, ut Galeno placuit) audeant venam tundere. Quæ ſententia levius pro argumento ab illis ducitur, quam poſſit præceptis ſui authoris, aut evidenti aliqua ratione, ſuſtineri, eaque etiam à multis Medicis pertinacius aſſervari, quam patientum utilitas poſtulet. Cur, rogo, in homine in quo non redundantia, ſed impuritas adſit, non debet mitti, cum jam ab ipſomet Galeno dictum ſit, & jure quidem optimo, impurum ſanguinem ad corporis nutritionem eſſe inutilem? Idonea igitur erit, & initio & poſt, & in ſanguinis copia, & in hujus vitio (ut mox docuimus) modo adſit cubantis virium conſtantia, quæ vix nunquam non adeſt, in ipſius febris initio, niſi hæc aliam febrim ſit ſecuta, quæ prius vires exhauſerit. exempla enim nobis non deſunt.

*D. Riccio quartanario ſanguis liberaliter mittitur.*

§. 2. Dominus Riccius, ex nobilibus Regis, ſub hyemis initium prehenſus fuit quartana febre, quem poſtridie ejus diei leviter

viter purgavimus, poſt ſecundam acceſſionem, die ſcilicet continenter ſubſequenti, mitti libram ſanguinis juſſimus ex jecoraria: cui operi cum non intereſſem, chirurgus qui juvenis erat, & cui copia deerat vaſculorum, quibus in recipiendo ſanguine aſſueverat, deceptus à capacitate inſuetarum lancium, ad uncias viginti detraxit, mediocriter impuri. qui error nulla in re obfuiſſe ægrotanti viſus eſt, cum febris quæ antea gravior fuerat, & ſua natura longinqua, ſequenti acceſſione facta eſt mitior, minima vero quæ huic ſucceſſit; quæ finis morbi fuit.

§. 3. Uno menſe poſt hunc, & hyeme media idem accidit Domino Vuaſtello Farnello Anglo, quem ſtatim poſt primam quartanæ acceſſionem egregiè purgavimus, eique poſt ſecundam, ſanguinem miſimus ad uncias quindecim: ſub veſperum ejus diei, (quia in ſanguine ſumma impuritas aderat, & ægrotus venoſus phlebotomiæque avidus) ex eodem vulnere mitti item juſſimus ad uncias circiter novem, qui purior erat matutino. Hinc ſtatim mitiſſima febris ſuo tempore ſucceſſit, quæ repetita purgatione curata eſt. *D. Vuaſtellus.*

§. 4. Non multo diuturnius nec acerbius exercuit Laurentium œconomum D. Boudi, & unum ex Aulæariis Regis, qui in exercitu apud Dominum Saluy degebat; quos, à miſſione ſanguinis non minus liberali quam præcedentium, & corporis convenienti purgatione, ſtatim deſeruit, finita ſcilicet in hoc tertia acceſſione, in illo vero quarta. *Laurentius.*

## CAP. XVII.

### *Num tabificis ac marceſcentibus febribus, conveniat venæ ſectio.*

TAbificæ & marceſcentes febres, ſine tamen pulmonis ulcere, curari interdum poſſunt, dum non ad extremum marcorem pervenerunt, nec ulla jecoris vel lienis durities eſt. A tali genere febris tabeſcere & conſumi videbatur & is, cujus meminimus ſupra, qui in Oeneadis habitabat: etiam & illa mulier, cui Galenus tribus diebus ſanguinem detraxit ad libras duas cum dimidia; de qua ſupra diximus. Ex his febribus aliquando etiam & nos curavimus miſſione ſanguinis; at purgationibus nec nos, nec forte alius quiſquam.

*Vide ſupra pag. 192. & 207.*

*Hiſtoria cujuſdam puellæ.*

§. 2. Puellam ætatis annorum duodecim, in pago Ecuxio juxta Monſtrolium, ab hectica febre multorum menſium areſcentem, cum hydropis initio, repetita ſanguinis miſſione & alvi ſolutione per Senam, priſtinæ valetudini reſtituimus. Sanguis enim erat corruptiſſimus, ſubtus ſcilicet nigerrimus, non concretus, ſuperius pallidus & tenaciſſimus, qui triplo ſero innatabat.

*D. Eſſars. vid. p. 138.*

§. 3. Quam proximus etiam eſſet deſperatæ tabi Dominus Eſſartium, cujus hiſtoriam ſuperius retulimus, ipſemet qui ſuperſtes, & frequens in aula eſt, teſtari poteſt. talis etiam erat hujus ſanguis, qualis puellæ mox dictæ.

*Famuli Miſſardi.*

§. 4. In atrophiam & extremam corporis extenuationem, febris & profuſa alvus, famulum

mulum præfecti Miſſardi, ſuperius memoratum, devexerant, quem ſervavit phlebotomia, ter aut quater repetita, ut ipſemet ægrotus, & Dioneus chirurgus, qui venam aperuit, fateri poſſunt.

§. 5. Verùm quis marcidam febrim per ſanguinis miſſionem felicius & evidentius evaſit amico quodam meo familiariſſimo, cujus nomen juſta de cauſa reticendum eſt? Annus agitur jam quartus decimus, ex quo in illo febris ardens dierum viginti, in hecticam degeneraverat, quæ nocturnam & putridam febriculam, cum levi frigore accedentem, adjunctam habebat: hæ adeò hominem extenuaverant & conſumpſerant, ut alterutrum crus juxta genu, & humerum juxta thoracem, alterutra manu, pollice nempe & digito medio, ſibi cingeret. quo in ſtatu cum ille ſe obſervaret, in pejuſque labi quotidie cerneret, videretque nullam à purgantibus medicamentis, aut aliis remediorum generibus, à medicis (quorum ego unus eram) inſtitutis, utilitatem ſequi, de ſanguinis miſſione ille mihi, tanquam medico familiariſſimo, primum verba facere cœpit. Ego, qui tunc temporis eorum adhuc veſtigia ſequebar, qui hoc in caſu dictum præſidium reformidabant, id ſuſpectum mihi eſſe dixi. Ille verò, qui jam non minus medicamenta, quam morbum faſtidiebat, & qui naturæ munerum non erat imperitus, rationes reddere efficaces pergit, quales nos ſuperius adduximus: nempe, corpora non ali ſanguine impuro, imò marceſcere, aut antequam

*Hiſtoria cujuſdam amici Botalli.*

quam marceſcant corrumpi: trahit ille tandem me in ſuam ſententiam. Alter vero medicus, qui non modo curationi intererat, ſed præſidebat, vir quidem & doctrina, & artis uſu clariſſimus, duplici ratione in hoc ægrotante illam futuram adverſam dicit, ob extremam corporis ariditatem, & ob imminentem hydropem, quam proximè (ſi ſanguis mitteretur) venturam judicabat. Tunc ego, qui ægrotantis rationes efficaciſſimas eſſe videbam, non tam ab hydrope me timere dixi, quam à marcore præ ſanguinis vitio: quare id præſidium videretur hoc loco minimè eſſe contemnendum; præſertim, quod non ſolum nullum fructum, ſed evidentiſſimam læſionem à purgantibus medicamentis jam ſæpius obſervaverimus. Firmius hic hæret in illo aſpernando & rejiciendo; æger contra pertinacius in eo optando & efflagitando: chirurgum idcirco in diem ſequentem accerſiri jubet æger, rogatumque nos mittit, ut intereſſe velimus. Accedo ego libenter, recuſat alter; mittitur ſanguis ad uncias decem, fœculentiſſimus & maxime ſeroſus. Eo ipſo die febricula, quæ ad noctem recurrebat, deſinit, perſeverante tamen hectica, quæ etiam minus hominem lædebat. Poſt octo dies cum hæc ſic ultra ſequeretur, nec ali corpus ſineret, ſed conſumeret; æger, non immemor accepti à præcedente phlebotomia beneficii, iterum ad eam confugiendum putat. Id ego laudo: verum cum ſolus eſſem, & in magno vitæ diſcrimine cubantem viderem, alios medicos

noſtræ

noſtræ ſententiæ adjungi curavi. Accerſitur unus, non mediocris eruditionis & famæ, verumtamen in mittendo ſanguine non magis intrepidus quam primus; qui, ubi languentis maciem & ſquallorem eſt intuitus, ejuſdemque pulſum contemplatus, & omnia quæ præceſſerant per aſſidentes edoctus, phlebotomiam, de qua potiſſimum agebatur, procul arcet, & medicamentum ex rheo in medium affert: ſignificatur illi, id crebro inutiliter fuiſſe propinatum; ille ſic interpellat, multa ſæpe fieri à poſtremis præſidiis in ægrorum utilitatem, quæ à prioribus ejuſdem generis præſtari quandoque non potuerunt: Conſentio ego, nec refragatur patiens, quamvis ille nullam opem ab hoc ſperaret: propinatur, multa corpore expelluntur, ſed cum virium offenſione. Quod cubantem tunc induxit, purgantia pharmaca, adverſiſſimi hoſtis inſtar, averſari & deteſtari; ex adverſo phlebotomiam, qua nuper cum evidenti utilitate uſus erat, commendare, poſcere, & inſtanter flagitare: Libere hanc recuſat alter Medicus, tanquam nocentiſſimam (ut dicebat) corporibus emaciatis, ab hecticaque febre conſumptis, quale id eſſe videbat: liberius his æger illam repoſcit, & vult ſuo periculo fieri. Ideo, nobis præſentibus, chirurgum vocari jubet: diſcedit alter, rogatus ego conſiſto, qui nec à mente patientis alienus eram: detrahitur par modus ſanguinis ex altera parte, nempe ex baſilica ſiniſtra, qui ſimillimus erat priori: febris ſenſim inclinatur, & triduo poſt in totum reſolvitur.

§.6. Pror-

§. 6. Prorſus ſimilis hiſtoria morbi, convaleſcentiæ, & Medicorum contentionis, fuit in curatione Petri Auray. Et Boſius Cameracenſis Medicus peritiſſimus, & apud Sereniſſimum Ducem Andium ſodalis meus amantiſſimus, fatetur ſe à multis annis ſolo beneficio miſſionis ſanguinis à ſemetipſo inſtitutæ, aliis medicis penitus refragantibus, fuiſſe liberatum à dicta febris ſpecie, quæ jam eum ad tantum marcorem devexerat, ut nulla amplius medicis illum curantibus, de ejus convaleſcentia ſpes ſupereſſet. Quo auxilio poſtea ita confidenter eſt uſus, ut multos ægrotantes dicti generis, in lecto marceſcentes, præter conſenſum, & ſpem aliorum medicorum, qui illos tractaverant, in integram valetudinem reſtituerit. Et certè nuper in hac urbe ad puellam ætatis duodecim annorum, & ejuſmodi ægrotantem ab aliquot menſibus, me duxit viſendam, cui jam ſemel cum fructu ſanguinem miſerat, & eo tempore ſecundo erat miſſurus: quo facto, & iterum paucis diebus poſt repetito, ad uncias ſcilicet octo vel novem pro ſingula vice, puella in integrum reſtituta eſt.

*Petrus Auray. Boſii atteſtatio.*

§. 7. Verumenimvero, omiſſis jam exemplis, in rem erit dicere, cur in his febribus tam univerſe medici phlebotomiam impugnent? Triplicem potiſſimum eſſe hujus rei cauſam ſuſpicor: prima eſt, quia in his febribus non fuerit illa aperte ab Hippocrate & Galeno præcepto aliquo commendata, veluti in putridis, à quarum ſerie omnes ſcriptores hacte-

*Cur in hujuſmodi febribus medici communiter phlebotomiam averſentur. Prima ratio.*

haſtenus illam ſecernunt: Secunda eſt, quia his ultra procedentibus, ægrotantium corpora adeo humore & carne exhauriri conſpiciuntur, ut requirere ea potius ſanguinis additionem, quam detractionem, videantur: Tertia eſt, quia corpora hac febre conflictata, vitio potius quam redundantia humorum laborent, quod vitium, ut oſtendimus ſupra, tollendum putant purgatione potius, quam ſanguinis miſſione. Prima cauſa ſufficiens non eſt, cum quod multa in medicina ſint à poſterioribus inventa, quæ ab Hippocrate (qui temporibus illis fuit, quibus ea nondum ad artem ſeu rationem aliquam erat reducta,) neque etiam à Galeno, neque ab aliis antiquis fuerunt cognita: Tum, quod in his febribus puttredo adſit, licet non evidens, ut alias dicetur, quemadmodum in cæteris putridis: Adde etiam, quod Gal. non tam frequens fuit in agenda medicina quam in ſcribenda: & quod Hippocrates nihil ex profeſſo de febribus hactenus præſcripſerit, quod in lucem prodierit. In ſecunda cauſa, fallacia ſimiliter manifeſta eſt, eo quod perplura corpora areſcant vitio ſanguinis, ſicuti etiam alia eodem intumeſcunt, ut cachectica. Quæ utraque, pro curatione poſtulant auferri à corpore id, quod eſt inutile, & morbi cauſam, ut ejus loco ſufficiatur aliquid, quod ſit utile, & corporis robur ſuſtineat. Tertia ſimiliter inanis & parum artificioſa eſt, ſi (ut par eſt,) humorum vitium comprehendas etiam id, quod in venis eſt receptum;

*Secunda.*

*Tertia.*

*Refellitur prima eorum ratio.*

*Celſus præf. l. 1.*

*Secunda etiam improbatur.*

*Tertia pariter ratio non admittitur.*

ceptum; cum id perinde à venis ſit deducen-dum, ut ſupra oſtendimus, atque id, quod in inteſtinis eſt, deturbandum.

## CAP. XVIII.

*Poſt ſuperfluam Venerem non eſſe fugiendam phlebotomiam, morbo exigente.*

NEc audiendi ſunt, qui volunt poſt nimium concubitum phlebotomiam interdici: ſententia certè tam fallax, & à ratione diſſona, ac ea quæ poſt eandem abortum promittit. Cui equidem ſententiæ credidi olim, dum præceptorum meorum ad unguem veſtigia ſequerer; à qua ſtatim declinavi, ubi rationes cum aliquo judicio agitare cœpi, nec certè ſine utilitate multorum, qui vel ſtatim, vel poſtridie à concubitu, in febres graves, & moleſtos renum dolores inciderunt. Quibus profecto non longe minorem ſanguinis copiam detraxi, quam ſi concubitus non præceſſiſſet, ſumpta indicatione potius à morbi ſpecie ejuſque magnitudine, & venarum plenitudine, quam à falſa opinione ſuperfluæ evacuationis: cum languor virium, qui concubitum ſequitur, non tam ab evacuatione fiat materiæ ſanguineæ (quamvis ſemen ex ſanguine gignatur) quam ex reſolutis corporis viribus ex labore & æſtu, qui neceſſario coitum ſequuntur.

§. 2. Quot quæſo videas, ſi æſtuans hypo-

cauſtum,

cauſtum, præter conſuetudinem, ingrediantur, ſtatim concidere animo & languere, imo & aliquanto poſt inſigniter febricitare, & renum doloribus urgeri? Dixeriſne hos è ſuperflua evacuatione, & virium reſolutione, laborare & elangueſcere? quid, dum hæc ipſa ſequuntur vehementem aliquam corporis exercitationem, præſertim ſub flagrante ſole, vel in concluſo, vel in æſtuante aëre? Reſpondebis, diverſam eſſe utriuſque horum rationem, cum plus ſpirituum; & præſertim vitalium, modico tempore, & uno congreſſu abſumatur, quam in longo quovis alio labore; quod patet experimento in iis, qui utroque modo corpus ſuum exercent.

§. 3. Eſto, quod celerius & copioſius, ex ſuperflua venere, non ſolum vitales ſpiritus, ſed & animales & naturales abſumantur, quam ex laborioſa alia corporis exercitatione, (quod tamen probatu difficile eſt,) num propterea tanta in ea fit materiæ exiſtentis in genere venoſo evacuatio, ut, ſi contigerint renum inflammationes, quæ plærumque à nimio concubitu fiunt, ſanguis non debeat mitti? Cum dictæ inflammationes excitentur ex affluente ſanguine calidiore in dictas partes, & in lumbos exercitatione calfactos, & labore defatigatos? Certè non. Imò celeriter detrahi debet, interea dum fluxilis eſt, ne longiore mora contracta, ita parti inſideat, ut aut abſceſſum generet immedicabilem, aut febrem inducat non facilè ſolubilem.

§. 4. Quid ſi febris prehenderit ſine lumborum dolore, aut item cum eo, parcendumne erit phlebotomiæ? nihil minus profecto, ſi illius magnitudo requirat: præſertim cum tale genus hominum, veneri deditum, dum ſuos conatus præſtare putat, raro non largius præpotare, ciboſque luxum ſtimulantes præſumere, & poſt factum denuo reſumere non conſuevit. Res profecto hoc noſtro ſæculo nimis apertè cognita, & ab Hippocrate duobus exemplis obiter notata: In adoleſcente ſcilicet in Melibœa, & in Nicodemo, quos dicit ex venere & potu incidiſſe, illum in horrorem & in anxietatem, hunc in febrem ardentem; & in utroque judicatum fuiſſe morbum vigeſimoquarto: ſed Nicodemo ad ſalutem ſudorum & urinarum excretione, alteri verò ad interitum. Quibus verò remedijs Hippocrates in illis ſit uſus, non profert. At ipſe teſtor fideliter, me ab annis quindecim neminem habuiſſe curandum, cui optimo ſucceſſu non ſuccurrerim convenienti ſanguinis miſſione, ducta ratione potius à morbi ſpecie, & magnitudine, & venarum plenitudine, quam à præcedente & dicta cauſa, nempe ſuperfluo coitu; quæ tamen contemnenda non eſt. Non caremus exemplis, ſi liceret offerre.

*lib. 3. Epid. ſect. 3. agro- to 10. & 16.*

CAP.

## C A P. XIX.

*Imperiti hominis eſſe, cenſere phlebotomiam viſui nocere, aut primam plus habere virium in liberando homine à graviſſimo morbo, quàm ſecundam, aut tertiam, aut centeſimam.*

NEc non etiam ſunt arguendi inſcitiæ, qui venæ ſectione convenienti (quamvis ea frequens ſit) viſum comminui autumant. Nam qui hujus extenuationis vel abolitionis, ſponte & præmature venientis cauſas, paulo ſubtilius rimabitur, intelliget eam cauſari potius ab alimenti vitio & redundantia, oculos male nutrientis, & ſua copia gravantis, quam ex hujus defectu.

§. 2. Quod experientia ſatis patet in Illuſtriſſimo Renato Birago ſcribarum principe, cui ſanguis ab aliquot annis ſæpius detractus, non ſolum ſingulare præſidium fuit, & in febribus, & in aliarum corporis partium affectibus, ſed magnificum & ſolemne viſui adjumentum. Et in fratre meo, & in Domino Enoc fere octuagenario, quem ab annis decem à graviſſima angina liberavimus, ter ſanguine ex vena detracto, ad libram unam prima miſſione, poſtea ad uncias decem pro qualibet vice. Cui poſtea, priſtinæ valetudini reſtituto, pro ejus tuitione coſuluimus, ut quotannis, potiſſimum vere, ſanguinem ſibi mitteret, magiſque profuturum, ſi etiam & autu-

*Illuſtriſſimus Cardinalis Biragus.*

*D. Enoc.*

autumno: Ver enim eſt multi ſanguinis. Paruit ille noſtris conſiliis, non ſine magno viſus, & totius corporis virium, utilitate.

*D. Varena.* §. 3. Nec viſui detrimento fore, fatetur D. Varena à Regis cubiculo, qui annum jam agens plus quam ſeptuageſimum, perſuaſus à nobis, ſępius ab annis duodecim ſanguinem ſibi detraxit, cum magno fructu totius muſculoſi generis, oculorum denique & totius corporis.

*Experientia authoris in ſemetipſo.* §. 4. Sed dicamus, quod & in me experior, qui cum à ſeptennio viſum mihi turbari ſentirem, neque mihi ſanguinem miſiſſem, à ſex menſibus venam mihi aperui, ad uncias decem ſanguinis impuri, & à meridie tantundem mihi detraxi, ex quo reſtitui mihi cernendi integritatem cognovi. Verùm quia etiam poſtremus ſanguis fœculentus erat, poſtridie ex altero brachio, nempe ſiniſtro, ſimiliter ut pridie, ſanguinem detraho. Ab eo tempore ubi percepi viſum mihi labefactari, (ut fit pluribus ad ſenium accedentibus) ſtatim ad idipſum auxilium confugi: nec aliud reperio præſentius nec ſalutarius, non ſolum in viſu conſervando, ſed & ad præcavendas ægritudines, & malum corporis habitum (quo ipſe videbar anteactis temporibus detineri) corrigendum.

§. 5. Unde non poſſum non mirari, quo modo hæc fallax de viſu opinio, tandiu durare in hominum detrimentum potuiſſet, niſi viderem eundem errorem contingere & perſeverare, non ſolum circa hoc, & circa ea quæ diximus de gravidis, de ſenibus, &c. ſed

etiam

etiam in id, quod plærique adhuc ſtulte exiſtiment, primam ſanguinis miſſionem eſſe tanquam numen, ad revocandum ægrum ab inferis. At quis medicorum tam ſtupidus eſt, qui aut hoc aut illud verum eſſe ſentiat? Certè hoc paucos eſſe, qui credant hodie, reor, ſed ante annos decem multos id ſibi perſuaſiſſe cognovimus: Verum de viſu plures ſunt, qui etiamnum pro rato habent. verumtamen hunc ita lædi à miſſione ſanguinis credere licet, ut reliquarum totius corporis partium munia affici videntur. Quibus ergo rebus hæ, aut univerſum corpus ipſum, affligitur, quibus vox, quibus auditus? Concidunt vires corporis, ubi ſubditur graviori oneri externo, aut ubi interno, crapula nempe aut deleteria potione ſuffocatur, aut ſuperfluo labore frangitur, aut æſtu diſſolvitur, aut gelu riget: Rauca fit vox aut aphona, dum ejus inſtrumenta à ſua temperie, poſitione, & numero recedunt: Simili modo de auditu dicendum eſt. At inſtrumenta ſenſuum, quamvis integra ſint, & numero, & figura, & collocatione, ſunt amplius eiſdem affectibus obnoxia, quibus & aliæ corporis partes, nempe intemperie & ſolutione continuitatis. At hæc magna ex parte eveniunt ex iis, quæ aut ſua quantitate, aut ſua qualitate in corpore redundant. Quæ ſanè nec nocent artubus, nec pulmonibus, nec faucibus, nec cerebro, nec auribus, niſi per venas delata. Afficiuntur amplius & ſenſus omnes à ſuis objectis, ut guſtus à re guſtabili, nondum

*Refutatio opinionis venaſectionem viſui obeſſe.*

in venas recepta; auditus à ſono; olfactus à vapore odorabili; tactus à re tangibili calida, frigida, acuta, ſcindente. Crede ergo, ſimiliter ſenſum viſus affici. Læditur igitur viſus iiſdemmet modis, quibus flamma faxve, dum lumen ſuum non præſtant; nempe aut quia fax ſuperfluo oleo, vel ſevo, vel alia quavis convenienti flammæ eſca ſuffocatur: aut quia eſca ipſa vitioſa eſt, puta amurca, ſive oleum aquæ admixtum, utrunque lucenti flammæ edendæ ineptum, aut quia eſca idonea deeſt. Sic & oculi, qui rectè videre conſueverant, nunc verò non rectè, perſiſtente interim inſtrumento ipſo integro, credendum eſt id contingere aut à redundante humore in cerebro, unde nervi optici humore nimio reſoluti lumen extenuant, ut flamma ſuperflua eſca; aut à vitioſo, ut flamma ab amurca; aut à deficiente, ut flamma ex defectu olei. Sed dicet aliquis (& forſan iſmet qui in hoc maximè peccat) ad quid hæc recenſere, conſtant enim & lippis? At lippis non conſtat, ideò ſe lippos eſſe, non quia deſit eorum oculis alimentum, ſed quia in nimio alimento illi innatent, aut in inutili, aut in utroque ſimul. Hæc itaque duo poſtrema ſunt quæ ſæpius viſum lædunt, non tertium. Raro enim quiſquam defectu alimenti malè videt, ſed nimio, vel vitioſo: raro igitur in iis inutilis eſt venæſectio.

*Quibus modis lædatur viſus.*

*Lippitudo unde.*

§. 6. Ut fallax de re hac opinio nocet viſui, ita & altera, quæ credit primam venæſectionem liberare hominem à quovis graviſ-

ſimo

ſimo morbo, nocet vitæ: nam aliquot olim profectò novimus, qui hac re freti, aut ſine ea interierunt, aut illam dumtaxat admiſerunt, ut ſimul cum ea animam emitterent. Unde enim hæc opinio oriatur, vix percipio, niſi ex iis qui putant adhuc habere in ſe aliquid illius ſanguinis & humoris radicalis, (ut appellant) quem contraxerunt ab utero matris. Opinio ſatis lubrica: Sed credant hoc quantum velint, licet ſit falſum, nihil tamen hoc credere nocebit, modò credant tam poſſe aliquando utilem eſſe, aut etiam magis, ſecundam venæ ſectionem, & vigeſimam, quàm primam, quæ, ut dixi, ſæpe producta, hominem ſuffocat.

*Refutatio vulgaris opinionis de prima ſanguinis profuſione Vid. infra cap. 34.*

## Indicationes quæ ſunt in venæ ſectione adhibendæ.

*OStendimus hactenus phlebotomiæ uſum in ſenio, in pueritia, in uteri geſtatione, in alvi fluore, in exanthematum eruptione, & aliis multis. In quibus magna pars Medicorum adverſam eſſe cenſet, utiliſſimum omnium præſidiorum fore: Proximum eſt, ut dicamus de indicationibus, circa eam ſumendis & obſervandis, quæ licet ex iis, quæ præceſſerunt, quodammodo elici poſſint; præſtat tamen, in juvenum gratiam aliquid de ſingulis ſeorſim agere. Ergo ut multiplex eſt hujus generis conſideratio &*

Enumeratio eorum quæ dicta ſunt, & quæ nunc ſunt dicenda.

*intentio ita & multa ſunt, ex quibus indicationes eruuntur.* Primum. *Primò igitur conſiderandum intelligendumque eſt mitti ne debeat:* Secundum *Secundò qua parte:* Tertium. *Tertiò quo tempore:* Quartum. *Quartò qua quantitate:* Quintum. *Quintò quo modo. Primæ intentionis indicationes petendæ ſunt à morborum natura, vel præſentium, vel urgentium, vel imminentium: ſecunda à loco affecto: tertia à moribus, & motibus morbi: quarta à magnitudine morbi ſimul, & corporis habitu. De quinta quoniam ad chirurgum pertinet; ideo de ea in fine libri agemus.*

## CAP. XX.

### *Indicatio quæ ſumitur à morborum natura.*

CUilibet affectui, genito ex eo quod in venoſo genere continetur, (niſi facilè, aut per ſe, aut tenui victu, & levibus auxiliis vincatur,) nunquam moderata ſanguinis miſſio erit inutilis, aut ſaltem damnoſa, quoniam per hanc ſemper aliquid detrahitur ex eo, quod vel ſuo vitio, vel ſua quantitate, vel utroque ſimul juncto, immediatè morbum facit, aut ex eo quod impellit, & morbum facere poſtridie, vel perendie aptum eſt.

*Ephemeræ febres unde fiant.* §. 2. Itaque fiunt febres ephemeræ, ex leviter incenſis ſpiritibus, & ſanguine in venoſo genere,

genere, & conſequenter in toto corpore, exiſtentibus. Quæ intemperies, quia facilè & per ſe reſolvitur, ideò in hac non eſt opus venam tundere, niſi ea producta, in genus aliud tenſeat.

§. 3. Fiunt etiam, ex eo quod in venis eſt receptum, reliqui omnes morbi, tum ſponte venientes, tum à cauſa aliqua externa inſurgentes. Sponte venientes dicimus febres, inflammationes, tumores, reliquoſque omnes affectus, qui fiunt nulla perſpicua intercedente cauſa externa, ut febrem, pleuritidem, peripneumoniam, articularem morbum, catarrhum, abſceſſus, ſcabiem, & reliqua hujuſmodi: Ab externa verò & evidenti cauſa concitatos, ut febrem à ſuperfluo labore, vel inſolatu, vel potu meraciore, aut inflammatione ex vulnere, contuſione, uſtione, labore, & aliis hujuſmodi. Ex quibus curandi indicatio ſumenda non eſt, ſed ex eo quod aggravat, & malum fovet, & auget. Id autem eſt quod ex venis manat. Non enim immediatè à prima ſaltatione febris, aut protinus à vulnere, à contuſione, à luxatione, à lucta, incendium ſive inflammatio pulmonibus, aut jecori, aut partibus vulneratis eſt infeſta, ſed poſtea, recurrente ſcilicet materia per venas ad partem ipſam, quam nimis juveniliter multi credunt accurrere auxilii cauſa. Hæc enim cum ſua mole moderari, nec reſolvi à parte afflicta valeat, incenſa aut putrefacta febrem facit, aut inflammationem parit, aut ſine manifeſta inflammatione, (ignavia

via artificis intellige) gangrænâ extinguit; & ſuffocat; aut ſi non incendat aut ſuffocet, ſaltem aggravat, & conſueta partis munia prohibet, aut vitiat, ut fit in tumoribus & doloribus lentis & diuturnis.

*Quomodo in his affectibus ſit neceſſaria phlebotomia*

§. 4. Quibus omnibus numeratis affectionibus ſanguinis miſſionem poſſe convenire, certum eſt. Poſſe enim dicimus, non neceſſario, differt enim à poſſibili neceſſarium. At neceſſariam dicimus in magnis & acutis morbis, item in diuturnis multis, & in malo corporis habitu, ut ſupra oſtenſum eſt. Neceſſariam interim dum dicimus, non ex neceſſitate juvaturam intelligimus, cum ſæpe morbi magnitudo vim ſuperet auxilii, ſed ſi arte morbus juvari queat, ad id auxilium confugere ſit neceſſarium, ut in peripneumonia, pleuritide, cynanche, & aliis id genus. Non eſt igitur hic nobis objicienda vis illa neceſſarii logici, ſeu phyſici, ſeu metaphyſici, quod non poteſt aliter ſe habere; ſed neceſſarium medicum intelligimus, quod ut ſæpiſſimè contingit.

*Tempus in hiſce morbis venæſectionem adhibendi.*

§. 5. Verùm etſi dicti omnes morbi ſua natura opem ex miſſione ſanguinis poſtulent, non tamen ea utilis eſt omni tempore. Quid enim hæc prodeſſe poteſt in peripneumonia, in pleuritide, in phrenitide, in jecoris, lienis, viſcerum, aut aliis quibuſvis inflammationibus, ubi jam ad ſuppurationem, aut ægri jam in ſummam deſperationem pervenerunt? Non deſunt profectò exempla erroris, ſi nuncupare ſubjecta liceret, quæ tarditate & parcitate auxilii

auxilii ſuppurata interierunt. Ergo ad curationem dictorum acutorum affectuum fere tantum in eorum principio, & incremento celebranda eſt ſanguinis miſſio, non illis jam ſuppuratis. In febribus verò & diuturnis morbis, poſſunt etiam, & iis conſiſtentibus, ut dicemus, & declinantibus, adjuvari: neque ſemper etiam ſuppuratione facta rejicienda eſt, ſed uſurpanda ad moderandas inflammationes, quæ ulcera; rupto abſceſſu ſequuntur. Sed hæc fuſius, ſi fata conceſſerint, ſuis locis dicentur.

## C A P. XXI.

*Indicatio quæ ſumitur à loco affecto.*

INdicat locum quo vena aperiri debet ſedes ipſa morbi, fortè etiam & ejuſdem morbi ætas.

§. 2. Certè in hac indicatione profuſius, quam utilius, multi ſcripſerunt, longius occupantes animum in explicanda illa Hippocratis voce *κατ' ἴξιν*, quam aut res requirat, aut erudito Medico conveniat, cum ſatis ſuperque ea ſit à Galeno explicata. Dicam ergo de hac paucis cum (u) Celſo: *Si totius corporis cauſa fiat*, ut in febribus, in doloroſis laſſitudinibus in

*Τὸ κατ' ἴξιν Hippocratis quomodo debeat intelligi.*

*l. 2. c. 10.*

(u) *Celſi* locus ita ſe habet: *Mitti verò ſanguis debet, ſi totius corporis cauſa ſit, ex brachio: ſi partis alicujus, ex ea ipſa parte, aut certè quàm proxima.* Verumtamen ex hoc elicire non poſſumus, quid Hippocrates intelligat per vocem

in anxietate ex terrore, vel nimio & repentino gaudio, & aliis hujuſcemodi, *debere hanc fieri ex brachio*, & ex ea vena quæ ampliſſima ejus loci fuerit, præſertim baſilica, vel communi; *Sed ſi partis alicujus*, quemadmodum in pleuritide, peripneumonia, angina, dolore capitis, inflammatione oculorum vel humeri, *fieri hanc oportere ex ea vena*, quæ cùm ſectioni ſit opportuna, *celerius etiam partem ipſam affectam poſſit exonerare*, ut ex brachio alterutro, ſi univerſum caput doleat; & ex dextro ſi pars dextra, aut ſiniſtro ſi ſiniſtra, & ex cephalica ſi ampla ſit, ſi non ex ampliore: Et, ſi in humero vitium eſt, puta vulnus, aut contuſio, aut quid aliud ex quo ſuſpicio nulla venenati humoris adſit, & in morbi initio, rectè ex adverſo brachio mitti poteſt, ſi non ita ſit, ex eodem: &, ſi vitium in ſanguine detracto conſpicitur, & malum adhuc perſeverat, etiam ex alio brachio denuo rectè mittitur. Ferè idem

vocem κατ' ἴξιν. Indigitat enim *Hippocrates* Contrarietatem talem, quæ *è directo* ſit, in qua dextra dextris, ſiniſtra ſiniſtris opponuntur, ſive in longum, ſive in latum, ut autor eſt *Galenus comm.* 3. *de fract. text.* 10. *& lib. de curandi rat. per ſang. miſſ. c.* 15. Secundum *longitudinem* contrariæ ſunt partibus ſuperioribus ejuſdem lateris, & vice verſa; ex. gr. hepar & naris dextra. Secundum *latitudinem* verò, interiora ejuſdem lateris exterioribus adverſantur, & vice verſa, ex. gr. fauces & collum. Ab hac differt contrarietas κατ' ἀνάπαλιν *contra directum* ſive *è contrario*, conſiſtens inter partes diverſorum laterum, Sic. v. c. hepati contrariatur naris ſiniſtra, Lieni dextra. Vide de toto negotio celeberrimum *Duretum*. in *lib.* 2. *Coac. cap.* 13. *aphoriſm.* 2.

(x) Qua

idem dicendum, ac faciendum in pleuritide, & peripneumonia, & cynanche; in quibus laudo primum fieri ex viciniori brachio; & ſi poſtridie repeti oportet, nec dubito ipſe ex adverſo id facere, ratus non plurimum intereſſe, modo, quantum morbus poſtulat, detrahatur.

§. 3. Garriant hîc quantum velint picæ; adducant & Geometræ linearum proportiones oſtendantque phyſici minore tempore percurri brevius iter poſſe, quam longius, & inter duos motus quietem intercedere, idque eſſe brevius, quod rectius; & alia id genus; quibus ut parum ad hanc rem efficacibus & utilibus, reſpondere cum minimè ſtatuerimus, proſequentes intentum, dicemus plus intereſſe quantum detrahas, quàm unde, maximè cum ſolum diſcrimen ſit ex quo brachio dum malum fauces urget, aut pulmones, aut thoracis partem aliquam: debere autem potius aperiri longius, ut juxta carpum, aut in poplite, aut ad talos, artificis eſt artem minimè intelligentis id aſſerere.

---

## CAP. XXII.

### *Indicatio à moribus, & motu morbi.*

CIrca occaſionem adhibendorum remediorum ſæpiſſimè medicos, non vulgares modo, ſed & optimos, falli, dixit Galenus. Quod ſæpiſſimè, contingere video, cum raro ullus

ullus graviſſimus morbus, ut cynanche, pleuritis, peripneumonia, phrenitis, febris ardens, febris peſtilens, cordis ſuffocationes, & id genus alii, qui cito extinguere homines ſolent, non citiſſime & feliciſſimè curentur, dummodo opportunè convenienti remedio illis ſuccurratur. Hanc ergo occaſionem aut tempus conveniens diximus indicari nobis à moribus & motibus ipſorum morborum.

§. 2. Ergo morbi, quorum motus ſunt repentini & celeres, & mores acerbiores & feri, veluti eorum quos nominavimus (in quorum ſeriem ſi apoplexiam velis addere, rectè feceris, niſi quòd non tam tuto hæc remediis cedat, ut alii,) celerrimè, & validiſſimis auxiliis, ſunt ſuccurrendi. Primò igitur quoque tempore phlebotomia largior in iis convenit. Utilis etiam eſt moderata, initio aliorum morborum, quibus aliis illorum temporibus poſſe conferre creditur, ut in tertiana, in qua aliqui falſo crediderunt tantum eſſe uſurpandam poſt quartam acceſſionem, & in quartana niſi poſt multas.

§. 3. Nec ſolum initio hæc medicina ſuis morbis convenit, ſed & in eorum incremento, & ſtatu, & declinatione: verum non indiſcriminatim in omnibus morbis, nec omnibus temporibus. Non enim ea eſt opus in qualibet levi inflammatione, vel dolore, vel exiguo quovis morbo, per ſe ſanabili: neque etiam æquum eſt credere, ſi initio dolorum lateris, & gutturis, & oculorum, rectè vena aperitur, ita & debere fieri primo inſultu rigoris

goris tertianæ febris, aut quartanæ, aut alterius morbi dantis inducias. Sed ſat fuerit in iis ſuo initio, dum fiet à prima, vel ſecunda acceſſione, vel etiam tertia. Ideo rectè à Galeno dictum eſt, *lib. De curandi rat. per ſanguinis miſſionem, cap.* 10. *Dierum numerum non eſſe attendendum, ut quidam ſcripſerunt, imo quocunque die mittendi ſanguinis ſcopos in laborante inveneris, in eo auxilium illud adhibeto, etiamſi vel vigeſimus is ab initio extiterit.* & IX *Meth. c.* 5. etiam ait, *Nullo non tempore mitti poſſe: verùm quo maturius, eo etiam melius.*

§. 4. In augmento eſſe utilem, ut nemo dubitat, ita in ſtatu & vigore vix quiſquam admittit: ſed ſanè hoc contra hanc poſtremam Galeni ſententiam, & contra rationem, cum utiliſſima ſæpiſſime dicto tempore reperiatur, præſertim in iis morbis, in quibus tanta vis conſpicitur, ut anceps illorum exitus habeatur, quemadmodum oſtendimus ubi de exanthematibus egimus. At nos non modò ſanguinem mittere non veremur in morbi vehementia, dum exanthemata eruperunt, vel erumpunt, ſed neque etiam in ardentibus febribus, ſeu ſynochis, in quibus nec exanthemata, nec parotides, nec ſtillationes narium, neque aliud quippiam, præter febris magnitudinem, apparet, & certè non infeliciter, ſed ſumma cum felicitate. Scio tamen id Celſum evidentiſſimè deteſtari, etiam & negare, debere fieri ultra diem primam, aut ſecundam. Quod poſtremum ita ut verum eſt, dum aptè ad eos affectus refertur, de quibus ibi *Supra, c.* 5.

Celſus,

Celſus, qui ſunt illi qui ſtrangulant, in quibus vix ulla ſpes eſt ægros redimendi, ſi ſtrangulatio ante diem tertium non manifeſtè reſolvatur. Ita & illud ferè manifeſtè falſum, dum

l. 2. c. 10. dicit, *Quod ſi vehemens febris urget, in ipſo impetu ejus ſanguinem mittere, hominem jugulare eſt: expectanda ergo remiſſio eſt.* Fateor equidem, ſi ſciamus futuram remiſſionem, ut videmus in ipſis febribus intermittentibus, aut continuis quidem, ſed intermittentibus affinibus, (quas Galenus dixit fuiſſe appellatas à veteribus *συνεχεῖς*) expectari debere remiſſionem, quamvis etiam tunc nocere nunquam noverim, ſed potius juvare.

§. 5. Scio me dicere paradoxum, ut alia multa, ſed tamen non recedere neque hîc, neque alibi, à rei ipſius ratione, ſed tantum à Medicorum ſuſceptis opinionibus; quas ut ego olim etiam pro veris retinebam, ita nunc & hanc, & illas, aut ſimpliciter falſas, aut magna ex parte à vero recedentes, uſu artis recognoſco, & rationibus (quod eſt præpoſterè facere, verùm non in medicina, nec aliis omnibus artibus in actione verſantibus) con-

*In ipſo morbi vigore expedit ſanguinem mittere.*

firmo: Quum certum ſit febriles, imò & morboſos omnes impetus, nullo alio auxilio tam facilè extenuari, infringi, & extingui poſſe, quàm eo ipſo, à quo ab eorum initio

9. M. Med. c. 4. opem recipere ſolent. At à quo majorem, quàm ab hoc, unde Galenus has impetuoſas febres ſe ſæpiſſimè jugulaſſe fatetur?

§. 6. Si dicas Galenum non id imperaſſe in ipſo vigore morbi, difficilius erit hoc tibi proba-

probare, quàm mihi contrarium; cum dicat ille, veluti miraculo quodam illas paulo poſt in multis fuiſſe extinctas, eo ipſo die ſcilicet, vel ſequenti. Quod ego ſæpiſſimè, ut licet videre ex hiſtoriis à Capluano recitatis, etiam obſervavi. Verùm hæc tam ſubita reliquiarum evacuatio per ſudores non fuiſſet facta, ſi morbus fuiſſet in ſuo principio, in quo materia inepta eſt ad expulſionem naturalem: At in iis, in quibus reliquiæ morbi, triduum, aut quatriduum poſt ſanguinis miſſionem, naturali evacuatione expelluntur, ut in illis quibus Galenus *loco cit.* dicit, ſe ſecundo aut tertio die detraxiſſe ſanguinem, qui die ſeptimo ſudoribus copioſis liberati ſunt, veluti in ſervo, & libero, quorum mentionem facit *lib.* IX. *Meth. m. c.* 4. In his, inquam, miſſus fuit in principio vel augmento morbi: ſed in aliis, quibus poſtridie, vel ipſomet die criſis ſecuta eſt, crede fuiſſe factum, ut dicta ratio docet, in ipſo impetu, & conſtantia morbi; in qua ſi ſuſpectus, ut dixi, exitus videatur, tutius eſt naturam adjuvare, ſed ſola miſſione ſanguinis, non purgatione: quod quidem ego, dum meo marte ægros tracto, nunquam, ut ſæpe dixi, non efficio. Verùm ubi obſervo ſigna ſalutis, etiamſi magnos febris inſultus videam, ipſam pugnam totam naturæ committo. experientia enim didici, veriſſimum eſſe, id quod Galenus 3. *de Criſ. c.* 2. per hæc verba ſignificavit. *Præcedit enim excretiones criticas, non mediocris in ægris perturbatio, cum alii difficulter ſpirent, vel delirent, &c. unde ſæpe videas eos, qui* *l.* 2. *Aph.* 13.

*illis aſſident, & inexpertos medicos, non amplius de eis ſperare (ait) quam de iis qui in foro ad mortem judicantur.* Verùm ſolus exercitatus medicus diſcrimen horum poteſt recognoſcere, quum hæc ipſa mala ſymptomata, æquè lethales, ac ſalubres criſes antecedant. Solus ergo prudens medicus poteſt rectè diſcernere, quando in dicto impetu expediat naturæ ſuccurrere, & quando ſinere.

*Dum res verſatur in ancipiti, quid ſit faciendum.* §. 7. Sed ſi petas, in ancipiti re, quid præſtat facere, nempe ubi juvenis, aut inexpertus medicus eſt, qui ſalubrem pugnam ab inſalubri nequeat diſtinguere, num ſatius ſit abſtinere à ſanguinis miſſione, an verò ea ſit molienda? Certè tutius erit moliri, quoniam convalituro non nocebit, & alterum alioqui moriturum ſervabit, nec ſic faciendo (dum non pecces in aliis) Hippocratis præcepto repugnabis dicenti, *Quæ judicantur, & judicata ſunt integrè, &c.* ſed eidem authori parebis dicenti, *Artificis eſſe naturam tempore, & convenienti auxilio, adjuvare.* At quo tempore opportunius (ſi aufugit occaſio melior) quàm dum in extremo eſt conflictu, in quo ſi ſuccumbat, nulla amplius ſupereſt emergendi ſpes?

*Aph. 20. l. 1.*

*Aph. 21. l. 1.*

*Celſus notatus.* §. 8. Non eſt igitur, quod moveamur Celſi facundioris authoris, quàm eruditioris medici, allata ſententia, quam ſtatim, & rectè extenuat, dum addit: *Si non decreſcit, ſed creſcere deſiit, neque ſperatur remiſſio, tunc quoque, quamvis pejor, ſola tamen occaſio non omittenda eſt.* Certè hoc loco Celſus ſe rhetorem potius quàm medicum profitetur. Nam ſi eſt ægrum jugulare, venam

*Loc. cit.*

venam tundere dum vehemens febris urget; quo modo tamen conſulit faciendum, ſi non decreſcat febris? quid enim pejus febrienti poteſt contingere, quàm jugulari ab eo quod auxilii loco eſt: aut, ſi aliquando eo loco poſſe eſſe utile cenſet, cur tam abſolutè illud dixit, ægrum jugulare? Amplius, ſi in febre inſigni, in qua non ſperatur remiſſio, occaſio mittendi ſanguinis tantum eſt, dum ea in ſuo ſtatu & vigore eſt, (quod intelligit, dum ait, ſi non decreſcit ſed creſcere deſiit) quò modo hæc occaſio pejor eſt? quâ quæſo erit pejor, aut quo modo? implicare enim videntur hæc inter ſeſe contradictionem? Haud me latet, dici poſſe, hîc eum eſſe uſum comparativo pro poſitivo: quod etſi multis locis à Medico decenter poſſit uſurpari, in re tamen tam difficili non poteſt quiſquàm nimis clara uti oratione. At vis non fiat in ratione dicendi, ſed in re, & ſenſu orationis; in qua teſtatur, tandem debere ſanguinem mitti in ſtatu impetuque febris, ſi in ea remiſſio non ſperatur: quod nos cum Celſo faciendum eſſe dicimus, facimuſque, contra vulgarium Medicorum ſententiam, continuo in bucca habentium, *Quæ judicantur, & judicata ſunt integrè, neque movere, neque novare aliquid, ſive medicamentis, ſive aliter irritando, ſed ſinere.* Aph. 20. l. 1.

§. 9. Miſimus igitur hac occaſione ſanguinem, in magno ipſo morbi impetu, in multis, ut in Domino Beaurepere, quem aſſidua, vehemens, & tertianæ finitima, febris urgebat, cum graviſſimo vomitu bilioſo, in ipſo exacer- D. Beaurepere.

 bationis

bationis tempore. Ad hunc, inquam, vocatus die tantum quinto, circiter meridiem, quo tempore periculoſiſſimè exacerbabatur, & à febri, & ab acerbiſſimo vomitu, eoque jam inani, & præcedentibus acerbiore, veritus ego deteriora, videlicet, ne hujus perſeverantia vena aliqua interna diſrumperetur, aut inflammatio agitatas partes adoriretur, aut vomendi ille irrequietus impetus & febris adeò ingraveſcerent, ut remediis poſtea nullus locus ſupereſſet: ſtatim ſignifico illi, ſanguinis miſſionem fore hoc ipſo tempore neceſſariam; ratus eam ſymptomatum acerbitatem à jecoris incendio fieri: ideo Medicum, qui ejus curam gerebat, accerſiri juberet. Ille confeſtim reſpondet, ſe meo plus, quàm alterius conſilio, fidere: mea tamen perſuaſione ad illum (qui proximè habitabat) mittitur, quo non invento, venam me præſente aperire facio, ad uncias quindecim ſanguinis. Cujus auxilii tanta fuit viſa opportunitas & efficacia, ut, una cum fluente ſanguine, vomendi ſtimulus ceſſaverit in totum, & febris remiſſa, quæ ſenſim inclinans, ad diem ſeptimum percurata eſt. Non enim hîc nobis defuiſſet infamiæ nota, ſi infelix fuiſſet exitus, cum mox alter Medicus, quem in via conveneram, ubi primum ex me, quid feciſſem, intellexit, impatiens audire ſucceſſum rei, ſtatim infit: Præſtitiſti id non ſolum die ipſa exacerbationis, ſed etiam hora ſummæ afflictionis. Non inficior, inquam. Ille, Maluiſſem id differre in horas quietiores: Non fuiſſet forſitan, ajo, juvandi locus. tacuit hîc ille.

§. 10.

§. 10. Idem in obſidione Rupellarum præſtitimus in multis, & præſertim ex familia Illuſtriſſimi Mareſchalli Retenſis; ut in ejus œconomo Domino Ferreriæ, cui fecimus ſanguinem mittere in ſummo febris ardentis labore & periculo, licet jam bis, noſtro conſilio, à diebus quinque fuiſſet etiam miſſus. Et in Domino Ferrate, nepote Domini Mareſchalli; & in Trojallauto ejuſdem cubiculario, & in Decoë ejuſdem chirurgo; & in Comite Hormee; & in Domino Bajono; & in præfecto Miramundo, & Miſſardo, & aliis multis, tum in eodem hoſpitio degentibus, tum per exercitum diſſeminatis, vehementiſſima & maxime putrida febri, imò ſubpeſtilenti, laborantibus. Quorum omnium noſtrorum ægrotantium dictæ obſidionis, nemo certè interiit, qui venæ ſectione ſit uſus. Occubuit Comes Uſajus ad diem ſeptimum, qui neque repeti ſanguinis detractionem paſſus eſt, neque primam, niſi parciſſimè, admiſit, cùm tamen pleniſſimis & ampliſſimis venis, & corporis habitudine calidiſſima, & ætate virili, eſſet. Ea ipſa occaſione deceſſit œconomus Illuſtriſſimi Polemarchi Coſſæi, cùm tamen penè etiam omnes ex ejuſdem familia, ab eodem genere febris affecti, per venam bis aut ter noſtro conſilio ſectam, ſervati fuerint. Ante hos, & prius quam dictæ febres graſſarentur, defunctus eſt vita coquus, ex famulis Mareſchalli Retenſis, qui à peripneumonia & pleuritide, die ſexto è medio ſublatus eſt. Hic eſt profectò univerſus defunctorum numerus eorum, qui ſe nobis

*Exemplum in D. Ferreria.*

*In D. Ferrate & aliis pluribus.*

*Exempla eorum qui ob neglectam venæſectionem mortui ſunt.*

in tota Rupellenſi obſidione, ſine vulnere curandos tradiderunt.

§. 11. Qua certe felicitate curationis uſi etiam ſunt ægroti noſtri aliis locis, ſed non alia ratione ab antedicta (quatenus pertinet ad miſſionem ſanguinis) à nobis tractati: Quorum tantum duos aut tres, & quidem ſcitu dignos, in præſens recenſebo, ex iis quos æſtate præterita, in oppido Cameracenſi, Peronæ, & in exercitu Sereniſſimi Ducis Andium, curavimus.

§. 12. Ad Vergerium, quod diſtat Cameraco tribus leucis, ex longo labore, & incurſitatione in hoſtes, ſub ardente Canicula, innumeri tum nobiles, tum milites, uno & eodem die, eodem genere febris correpti ſunt, eademque ſymptomata ferè omnes ſunt paſſi. ex his multos Cameraci vidimus: febris erat ardens, cum ſumma putredine: ſymptomata, dolores capitis & renum, & totius corporis confractio; præterea anginæ, ac peripneumoniæ, frequentes erant; multis ſtillatio ſanguinis narium, multis & ejuſdem profluvium ſuperveniebat. Ut in Villermont, ætatis annorum novemdecim, initio ſecundæ diei ſanguinem detrahi juſſimus ad uncias quindecim, à meridie decem, poſtridie libram, quinto die ſeſquilibram; die ſeptimo mane, cum illum viderem graviſſime ægrotantem, & in magno periculo verſari, dico Capluano, & Dioneo Regis & Sereniſſimi Ducis Andium Chirurgo eruditiſſimo, qui illi venam præcedentibus diebus ſecuerat; Certe, ſi mihi frater eſſet

*Hiſtoria Villermont.*

aut

aut filius, detraherem illi nunc ſanguinem, & largius quàm antea; verùm id ſi faciam, & intereat, dicat illum jugulaſſe. Non mittitur, ſub horam ſecundam pomeridianam prorumpit ſanguis è naribus large, nec me conveniunt famuli, niſi veſperi. Accedo ad illum, video plus quàm libras quinque ſanguinis in lancibus; dicebantque aſſidentes, ſe tantundem ejeciſſe, quia non ſuppetebat illis copia lancium; attingo pulſum, qui tam exiguus erat, tamque tenuis, ut vix poſſem illum percipere, interim celeritate incredibili euntem: jubeo vinciri brachia & crura, in quibus nullum apparebat venæ veſtigium ex vacuitate. Mitto interim ad chirurgum: tandem in brachio, longa vinculi mora, & conſtrictione dolorosâ, vena oſtenditur; qua aperta ad revulſionem, id eſt, detracta tantum dimidia uncia, retinebatur tantiſper appoſito digito; mox, hoc ſublato, alia dimidia. Sic ego diſcedens, jubeo horæ ſpatio detrahi ad uncias tres ad ſummum, & nutriri patientem ſorbili & vino. Subſtitit ſanguis; nocte copioſi erupeerunt ſudores; mane dum redeo, invenio illum penitus liberatum à febre. huic ſtillabant ferè quotidie nares ſanguine.

§. 13. Idipſum accidit Domino de Bourſy; verùm huic die ipſo ſeptimo ſanguinem miſi, ſaltem ad ſeſquilibram, cum jam bis miſiſſem ſemper ad libras duas. Eo ipſo die ſeptimo, plus quam libræ quinque profluxerunt adhuc ex naribus, nocte ſudavit, & ſanatus eſt: huic etiam ſæpe nares ſtillabant, aliquando etiam *Exemplum D. Bourſy.*

 ad

ad libram profluebat. Multos ex his ſic reſtitui vidimus, & vix quenquam, cui ante ſeptimum ter, aut etiam quater, ſanguinem non miſerimus. Unde fere omnes, aut quinto aut ſeptimo, in ſanitatem reſtituebantur, exceptis duobus, aut ad ſummum tribus, qui nono, & undecimo, ſunt perſanati. Quod idem teſtatur etiam Capluani epiſtola, qua mihi hiſtorias dictorum ægrotantium poſtulanti, reſpondet. Qui quidem Capluanus ſemper apud me fuit, ægroſque meos mecum in dicto exercitu viſebat, & plures ſolus etiam, levandi mihi laboris gratia, reviſebat: ex quibus omnibus unus nobis interiit dicendus poſtea.

*Ratio cur ſanguis in vigore ſit mittendus.*

§. 14. Quare (ut ad rem redeam) dico iterum, efficaciſſimum eſſe præſidium miſſionem ſanguinis, urgente morbo, ubi exitus ſuſpectus eſt. In quam ſententiam facit illa Celſi dicentis, *l. 2. c. 10. Mitti ſanguis debet, ubi quis angina ſtrangulatur, & ubi prioris febris acceſſio pene confecit, paremque ſubſequi veriſimile eſt, neque eandem videntur ſuſtinere ægri vires poſſe*, Dices forte, hoc intelligendum eſſe de intermittente febre; At dicimus intelligi debere, & de intermittente, & de aſſidua, exacerbationes habente. Sed eſto hoc de intermittente, & aliud ſupra allatum de continente, modò intelligas id oportere fieri in utraque, & in quovis alio morbo, (ſalute non deplorata) in quo major eſt ſuſpicio ingraveſcendi, quàm declinandi, literam ſatis perceperis. Sed rogo, num ſuccurrimus gangrænæ, dum ſuo in vigore exiſtens, proxima eſt ut in ſphacelum tranſeat? num

*Inſtantia deſumpta à gangrænas angina, &c.*

angi-

anginæ, dum æger proximus eſt ut exſpiret? num pleuritidi & peripneumoniæ, dum non ſinunt ſpiritum trahere? Haud me latet, dici poſſe, morbi vigorem tantum eſſe dum aut interficit, aut in proximo eſt ut inclinet; reliquum verò aut augmenti eſſe, aut inclinationis. Sed hoc eſt verbis diſcrepare, cùm totum id tempus vigoris & ſtatus, eſſe dicatur à medicis, dum morbus per ſpatium aliquod, in pari quodam certamine cum viribus corporis, videtur conſiſtere; non quod aut non augeatur in ſe, aut aliqua ex parte minuatur: ſed id nobis eſt incognitum, ut aſtrologis planetarum motus, dum illos dicunt eſſe ſtationarios.

§. 15. Et in morborum declinationibus, num cenſendum erit hoc remedium inutile? Putabunt aliqui ſic eſſe, freti hac ratione: naturam poſſe reſiduum, quod minus eſt, vincere, ſi potuit maximum, quod erat in morbi conſiſtentia, extenuare. Id certe plerunque verum eſt, cæterum non raro etiam falſum, juxta illud Hippocratis. *Quæ relinquuntur in morbis, recidivas facere conſueverunt.* Dicunt hic aliqui, non deberi has morborum reliquias miſſione ſanguinis, ſed purgatione, tolli: at nos contra; hac ſcilicet magis, quam illa, non tamen in omnibus morbis, ſed plurimis: rationes dictæ ſunt ſupra, capite *De cacochymia.*

*Num in declinatione morbi uſurpanda ſit ſanguinis miſſio?*

*Aph. 12. l. 2.*

*Sup. c. 8.*

§. 16. Sed quidam ſunt Medici, qui non tanti faciunt mores & motus morborum, quanti alia ſublimiora, abſtruſiora, & inaniora; quæ ſunt, obſervationes aſpectuum aſtrorum, præſertim Lunæ, dum ea ſcilicet coit, aut

*Impugnatur opinio Aſtrologica in mittendo ſanguine.*

 intue-

intuetur aſtra, aſpectibus id opus, ut ajunt, ſecundantibus. Quod qui curant, idipſum ſane mihi videntur efficere in ægrotantis ſalutem, quod in ſemetipſum facit is, qui per agrum incognitum incedens, aſtra luſtrando, præceps ruit in puteum: Sic hi ægros, ſua, hac in re, inani aſtrologia præcipitant, & ſæpe perdunt. Non itaque hîc aſtrorum aſpectus conſiderandi, ſed vires, mores, & motus morbi, ægrique ſtatus. Circa hæc autem vel maxime oportet Medicum eſſe intentum, non circa illa homini incomprehenſibilia. Intereſt enim inter noſcere, quæ ſtella ſit Jupiter appellata, quæ Mars, quod ſignum Arietis, aut Geminorum, & quando hæc illi jungatur, vel incedat recto ſuo tramite, aut retrogrado; & noſcere, quid iſta præſtent in corporibus noſtris, quoque modo ab illis afficiamur & tranſmutemur: Eſt autem illud facile captu librorum ſtudio, aſtrologorum collocutione, & ſiderum euntium & redeuntium intuitione, quoniam perpetuum & ſtatum ſuum curſum retinent; difficile verò hoc, quod ſola obſervatione ſingularium, in momenta horarum tranſmutabilium, comprehendi poteſt. Libenter & tacite hæc præteriiſſem, niſi id viderem adhuc ab aliquibus doctis Medicis religioſius juſto obſervari, & præſertim in Gallia, Belgica, & in Anglia; quibus locis, & ipſos aliquando chirurgos pertinaciter audias refragantes, non debere hodie aut oras mitti, quia Luna ſedet in ſignis, huic operi adverſis. Qua in cunctatione

ægor

æger ſæpe de medio rapitur. Sed jam hîc accipe epiſtolam Capluani, cujus ſuperius mentionem feci.

## CAPLUANI EPISTOLA.

*QUas ad me non ita pridem ex Anglia dediſti literas, multis nominibus pergratæ mihi fuere, ſummamque in iis legendis percepi voluptatem; tum quòd ex iis te bene valere intellexerim, tum quòd quo in honore ac exiſtimatione apud Reginam, omneſque illius regionis Proceres ſis, abundè ſatis cognoverim. Verùm in præſens iis omiſſis, quæ neminem latent, ad reliquam tuæ epiſtolæ partem accedam: Deum opt. Max. interim rogabo, ut voti compos fias. Reliqua igitur tuæ epiſtolæ parte, quoniam (ut ſcribis) tibi animus eſt acceſſionem aliquam facere libello tuo, qui eſt,* De curatione per ſanguinis miſſionem; *poſtulas ut ad te quàm primùm, & omni diligentia tranſmitti curem, eas laborantium abs te notatas hiſtorias, qui ſuperiori anno Cameraci, Peronæ, in exercitu, aliiſque locis, graviſſimis ac exitialibus morbis fuerunt miſerè exagitati, quique ſanguinis ſola emiſſione, divino veluti miraculo, à faucibus mortis erepti fuere. Hac in re, ut tibi (quoniam id unum habeo in votis) facerem ſatis, omnem adhibui diligentiam & ſtudium, ac abs te multum exoptatas obſervationes undique quæſivi, neque in ſcriniis, neque muſæolo, neque aliis quibuſcunque locis, à te per literas mihi ſignificatis, offendere potui. Quæ cùm ita ſint, vide ſi revocare in memoriam poſſis tuam, ubi illa exiſtere poſſint ſcripta; moneaſque, quid à me tui cauſa fieri velis. Cæterum etſi ego non eorum omnium*

Capluani Epiſtola.

*omnium nomina, neque morbi progreſſum ſcriptis mandaverim, nonnullorum tamen ægrotantium hiſtorias teneo, atque eas cum meis obſervationibus repoſui, quorum nomina ad te obiter ſcribo, ea tamen lege id facio, ut ſi hujus mei inſtituti rationem tibi ſaltem non diſplicere intellexero, credas ac omnino tibi perſuadeas, me tibi oblaturum centum, & eo plus ægrorum hiſtorias, notatu & obſervatione digniſſimas: qui quidem ægrotantes meo conſilio, vel, ut melius dicam, tuo (tu enim is es, qui me ægris proponebas, tu is es, ad cujus imitationem, dum laborantes ſolus curabam, me pro virili componebam, tu is, inquam, es, cui me plurimum debere & fateor, & volo) in Xenodochiis Cameracenſibus, Perona, Pondormy, Blangitii, ſancti Valerii, aliiſque locis, ut optime ſcis, ab ardentiſſimis & peſtilentibus febribus, alvi profluviis, dyſenteriis, angina, pleuritide, peripneumonia, atque aliis multis periculoſiſſimis morbis liberati, & priſtinæ ſanitati reſtituti fuere. Neque profecto proxime poſt Deum, eorum omnium conſequuta ſalus, alteri remedio eſt attribuenda, quàm phlebotomiæ, quam in iis omnibus liberam & copioſam chirurgis ut celebrarent jubere ſolebam, ut ipſimet hujus rei teſtes locupletiſſimi ſunt. Verùm ad id quod inſtitueram redeo. Inprimis igitur is, qui Cameraci ad inſigne Salamandræ hoſpitabatur, & quem acutiſſima febris, cum capitis univerſique corporis inſigni dolore, corripuit, & cui Dioneus tuo conſilio, ter quaterve venam ſecuit, ſenior Bacqueville appellabatur. Porrò is eſt, qui ob largiorem (ut ipſe cenſebat) ſanguinis detractionem, Dioneo ſummopere iraſcebatur: qui tamen, ubi reipſa comprobavit, quantas vires habeat hoc ſacratiſſimum præſidium, ad ſydera uſque & phlebotomiam, & ejuſdem authorem ac conſultorem,*

Senior Bacqueville.

*ſaltarem, extulit, præſertim cum hujus auxilii beneficio, liberatum etiam ſe viderit à veteri alterius auris ſurditate. Ex iis omnibus qui in diverſorio Angeli ægrotabant, præter duos, cujus meminerim, habeo neminem. Quare is, cui à febre planè maligna, & terroris pleniſſima, ſupervenit narium ſtillatio, proprio quo vocetur nomine haud ſcripſi, nepotem tamen Domini de Senſeval eum eſſe annotavi. Is verò, qui febre inſigni, narium ſtillatione, diarrhœa, multiſque aliis ſæviſſimis comitata ſymptomatis jactatus fuit, & cui Noëmus quater venam aperuit, vocatur Capitaneus de Bourſy. Ex nobilibus verò Clariſſimi viri de Phærgis, qui ad inſigne Cratidos hoſpitabantur (decem numero erant) quique una omnes eodem ferè temporis puncto in morbum inciderunt, trium tantum hiſtorias habeo. Itaque is, cui ter copioſe admodum miſſus fuit ſanguis, & cui die ſeptimo ſupervenit ea reformidabilis hæmorrhagia, appellabatur Dominus de Villermont. Alter verò, cui toties Noëmus venam ſecuit, & cui die quinto noctu (ad ſalutem tamen) ſolutum eſt vinculum, atque exin maxima profuſa eſt ſanguinis copia, vocatur Dominus de la Verderie. Poſtremus verò, in quo (præter cætera exitialia multa) deprehendebas illam pulſus interſectionem, & cui ultimo, dum chirurgo Noëmo adſtarem, miſſus fuit ſanguis ad libras minimum duas cum dimidia, cuique die nono ſupervenerunt parotides, vocatur d'Accodre. Hi ſunt, quorum nomina, & morbi ideam, progreſſum, atque curationem, dum tecum apud ægrotantes eſſem, diligentiſſimè obſervavi. Quod ſi velis eorundem hiſtorias fuſius, nitidius, atque magis in parte à me deſcribi, faciam alias majori cum otio libentiſſimè: nunc enim tabellario jam jam diſcedente, hæc tantum*

*raptim,*

Nepos D. de Senſeval.

Dom. Bourſy.

De Villermont.

De la Verderie.

d'Accodre.

*raptim, & currenti calamo ſcripſi. Cæterorum verò, quos ego ſolus (uti jam dixi) curandos ſuſcepi, hiſtorias, ſi habere velis, certiorem me facito; dicto enim citius omnia ſumma pro te faciam. Vive igitur diu, & vale, Capluanumque tuum amare perge. Ex Pariſiorum Lutetia prid. Kal. Mart.* 1582.

---

## CAP. XXIII.

### *Indicationes ſumptæ ab anni temporibus.*

*Aph. 1. l. 3.* QUemadmodum anni tempora morbos inducunt, & eorum mores mutant, ita & ex iis aliqua indicatio ſumitur plus minuſve detrahendi ſanguinis. Itaque aptiſſimum Hippocrates & Galenus vernum tempus judicarunt, poſt hoc autumnale, deinde hyemale, æſtivum vero huic auxilio eſſe adverſiſſimum pronuntiant, etiamſi morbus ſit magnus, & æger ætate floreat.

*Quouſque ſententia Hippocratis & Galeni ſit vera.* §. 2. Quæ ſententia vera tantum eſt, dum non ad curationem, ſed ad præſervationem eorum morborum, qui ex longiſſimis temporum intervallis recurrunt, non eorum qui jam urgent, aut frequentius redeunt; nam in iis id Galeni præceptum inutile eſt, quoniam incenſam materiam vacuat, ut uſus docet. Eſſe quidem æſtate moderandam & contrahendam non inficiamur, cum largiſſimè debeat mitti hyeme, parciſſimè verò æſtate, & medio modo duobus reliquis temporibus. Interim id largiſſimum & parciſſimum, non ſimpliciter dicimus,

dicimus, ſed collatum ad ipſa tempora, cum æſtate ſoleant facilius corpora ardore languescere, & Vere multo ſanguine redundare.

§. 3. Ut eſt in anni temporibus aliquod diſcrimen contemplabile, ita etiam in partibus ipſius diei. Sed id audiendum, cum morbus dat inducias, in quibus præſtat mane, & poſt corporis nocturnam requiem potius, quam veſperi, aut poſt longas vigilias, & corporis exercitationes; quoniam per quietem, quicquid impuri ſanguinis eſt, à partibus principibus demandatur, puta in artus, qui exercitatione corporis denuo commiſcetur, non quod item ad jecur redeat, ſed quod cum vicino meliore, & magnæ venæ propiore, commiſceatur. *Matutinum tempus reliquis præferendum.*

## CAP. XXIV.

### *De quantitate ſanguinis mittendi pro ratione virium.*

JAm dicendum eſt de quarta obſervatione, quæ etſi difficilis quidem intellectu ſit, crebrius tamen & gravius circa eam à Medicis erratur, quam pro difficultate & obſcuritate liceat, & quam pro ægrotantium beneficio conveniat. Eſt autem hæc quantitas ſanguinis detrahendi, quam ſanè Galenus inexplicabilem eſſe teſtatus eſt, dum dixit. *Nullam rem æquè artem medicam conjecturalem facere, atque medicamentorum quantitatem.* *De cur. rat. per ſang. miſſ. c. 12.*

§. 2. Ve-

*Quot ſint conſideranda circa quantitatem ſanguinis detrahendi.*

*Comm. 4. de V. R. in acut. text. 19.*

§. 2. Verùm relicta conſideratione aliorum præſidiorum, examinemus tantum convenientem quantitatem præſentis, in hominum corporibus uſurpandam. Multa quidem circa hanc Galenus dixit eſſe expendenda; quæ poſtea cum Hippocrate ad tria deduxit, morbum ſcilicet, aëris temperiem, & patientis habitum; ſub quibus reliqua comprehenduntur, nempe regio, anni tempus, conſuetudo patientis, ejuſdemque ætas, & habitus. Ex quibus ſane ſingulis adhuc aliqua indicatio ſumi debet, cum in puero, & ſene, & imbecillo, & puſillo corpore, & molli, & exigui ſanguinis, & inconſueto, & gravida muliere, & flagrante ſeu algente aëre, & parva vel frigida ægritudine, non tam audacter ſit evacuandum, ut in magno, & acuto morbo, conſentientibus viribus, & reliquis non repugnantibus. Nec parcius eſt detrahendum in obeſis; quia hi, ut Galeno & Celſo placuit, minores venas & minus ſanguinis habent, quam qui tenui & macro ſunt corpore: nam iis & amplæ venæ ſunt, & plenæ, licet profundæ & latentes. Verùm difficilius hanc evacuationem ſuſtinent, quoniam magnum & obeſum corpus, ut plus alimenti ſive ſanguinis conſumit, eo quod tenue eſt & macrum; ſic etiam defectu & detractione ejuſdem, celerius illo langueſcit & affligitur: Quare etiam in hoc temperatius eſt agendum, ut diximus de ſuperioribus: Nec eſt ſubjiciendus, quamvis juvenis, magnis illis evacuationibus multarum librarum, quinque ſcilicet, ſexve, unica

*Obeſi cur difficulter ferant ſanguinis evacuationem.*

unica detractione, neque etiam parvis & crebris, niſi urgente neceſſitate; quoniam, ut per illam cito langueſcunt, ita & per hanc magis impingueſcunt, renovato ſanguine ad nutritionem paratiore.

§. 3. Porro etſi puero, & ſeni, & aliis ſupradictis, minor debeatur evacuatio ratione ſui, minor item debetur eorum ſingulis, imò & juvenibus, dum viribus ſunt imbecillis. Cæterum in hac virium imbecillitate recognoſcenda, ut maxima eſt difficultas, ita ſumma induſtria, nec parva eruditio artificis, deſideratur. Quare non falſo Galenus dixerit paulo univerſalius quam mox, nempe, *nihil eſſe in medicina quod ſpecie dicibile non ſit; quod vero neque dici, neque ſcribi, neque omnino definiri poteſt, quantitatem uniuſcujuſque eſſe.* Arduum eſt igitur, veram rerum quantitatem, ad medicinam pertinentium, definire, ut morborum, ſymptomatum, cauſarum, auxiliorum, & cæterarum denique rerum omnium. Quare mirum minime eſſe debet, ſi in ſanguinis quantitate arte detrahenda, nemo poſt Galenum, & ante me (quod ſciam) quidquam auſus fuerit definire, ſed univerſali tantum, & umbratili quadam meta efferre. Qua certe non juvenes modo, verum & alii plures, qui multos annos medicinam exercuerunt, tam modice erudiuntur, ut ſæpiſſime hos videas horreſcere, dum audiunt cuiquam fuiſſe detractam, aut eſſe detrahendam, unam vel duas ſanguinis libras. 3. M.M. 3. & 7.

§. 4. Jam ergo audiamus hanc, vel has

potius umbratiles metas, non hercule novas, ſed vetuſtiſſimas, quandoquidem & ab ipſo Hippocrate ſint dictæ, & à Galeno poſtea, deinde ab omnibus medicis in hunc uſque diem frequentius in medium allatæ, quam recte intellectæ, & convenienter uſurpatæ. Una eſt, dum in magnis & acutis morbis dicunt mittendum eſſe ſanguinem, quantum vires ferunt. quæ obſecro hæc eſt meta? Haud inficior bonam eſſe, ſed obſcuriſſimam, & ab exercitatiſſimis etiam medicis non ſatis cognitam; quod videre licet in medicorum congreſſibus agentium, eſto de angina, aut gravi pleuritide, robuſtum juvenem verno tempore affligente. Hîc audias ab omnibus uno conſenſu dici, nihil tutius ac preſentius poſſe languentem ab imminenti pernicie eripere, quam abundantem ſanguinis miſſionem: Quam forte omnes, ut definitius aliquid dixiſſe videantur, faciendam eſſe tam copioſam nuntiabunt, quam vires tolerabunt, ut Galenus multis locis dicit. Verum ubi aperta vena eſt, protinus videas unum accurrere carpo, explorandi pulſus gratia; & hunc vel alium ſtatim dicere, ſatis ſuperque eſſe miſſum, ubi octo vel novem uncias emanaſſe viderint; alium, forte detrahendum aliquid magis; tandem & omnes forſitan, plus nimium infra modum ſubſiſtere; adeo ut quos ſeorſim ab opere concordes, recteque concludentes audieras, confeſtim cernas agendo diſcordes, & ab inſtituto alienos. Cujus diſcordiæ fons nihil aliud eſt, quam defectus cognitionis tum virium

*Comment. in aph. 23. lib. 1.*

*Prima veterum in mittendo ſanguine propoſita meta. Improbatur.*

virium ægrotantium, tum etiam morbi. Quæ medicorum ignorantia, ægris pernicioſa, Hippocratem hæc ſubſequentia verba ſcribere impulit: *Medici plerumque neſcientes diſtinguere imbecillitatem quæ à vaſorum vacuatione fit, ab ea qua ab aliqua irritatione, vel dolore, vel morbi acumine, dant ægris cibum, aut potum, aut ſorbitionem, qui error non rarò mortem affert.* Quam ſæpe hic error accidit, tum in dando cibo iis qui eo opprimuntur, tum in parcius detrahendo ſanguine iis, qui hujus ſuperfluitate interficiuntur! *L. de vict. rat. in morb. acut. num. 22.*

---

## CAP. XXV.

### *De mittendo ſanguine ad animi deliquium.*

Accedit alia meta ad hoc ipſum, præcedente nulla re clarior aut melior, ſed ſanè obſcurior & periculoſior, dum propoſiti authores dicunt, eſſe mittendum ad (x) animi deliquium. Quod aliquando Hippocrates alia nota deſignavit, dum dixit, Detrahendum eſſe donec corpus redditum ſit exangue, id eſt, ut habet *lib. acut.* uſque ad animi deliquium: quoniam, qui animo linquuntur, præ inſigni pallore exangues facti videntur. *Secunda, quam obſervant in mittendo ſanguine, meta.*

§. 2. Qui ſcopus, quæve meta quantum habeat

(x) Qua ratione hoc animi deliquium ſit intelligendum, docet *Galenus* in Comment. ad *aphoriſ.* 23. *lib.* 1. *Valleſius. lib.* 7. *Controverſ. cap.* 8. quibus adde *Fuchſium lib.* 2. *Inſtitut. ſect.* 5. *cap.* 6.

habeat incertitudinis & periculi, ex his colligi licet: Quòd ſcilicet plærique ex his, quibus abundè detrahi debet, linquantur animo, non ſolum ab aliqua mediocri evacuatione, ſed vix detractis tribus aut quatuor unciis, aut ſtatim ab icta vena: imò & plærunque multi hoc ſymptomate capiuntur, ſolo conſpectu fluentis ſanguinis ex alieno corpore. Quid igitur hîc facias dum ſic linquuntur? Quid aliud quàm quod communiter fit. concluditur ſtatim vena, & in aliud tempus differtur: At interea morbi cauſa non cunctàtur, ſed clanculum ſerpens, morbum geminat. Ex adverſo, alii ſunt tam firmo & conſtanti animo, ut lethalem ferè evacuationem ſuſtineant, prius quam concidant animo: quod ſæpiſſimè vidimus cum à phlebotomia, quæ caſu inter dormiendum ſoluta fuit, tum ex vulneribus, ut in Aſſecla Principis Senatus Pariſiorum, & in præfecto Bernardino ſuperius adductis, & nuper in Illuſtr. Principe Orangiæ, & in aliis multis ſtrenuis militibus.

*Refellitur tanquam parum tuta.*

*Exemplum Principis Orangiæ Guilielmi.* *9.M.M.10.*

§. 3. Quid ergo de hac dices? Num hac occaſione interibant ii quos Galenus dicit Theſſalios jugulaviſſe, dum, ejus exemplo, jugulare febrem ſynochum putabant, detractione ſanguinis ad animi deliquium? Certè, ſi hæc meta juſta eſſet, aut juſtæ proxima, nemo, niſi amentiſſimus, poſſet in hac errare: nam facillimè à quolibet dignoſcitur animi deliquium, & ejus etiam exordium facilè concipitur, obſervata facie ægrotantis, & attacto pulſu, ex quo prima hujus ſymptomatis præludia diſcernuntur.

§. 4.

§. 4. Quo modo igitur Theſſalii, aut quiqui illi fuerint, à Galeno erant culpandi, ſi ſequuti ejus conſilium, ægros ad necem ducebant, dum in ſynochis febribus ad animi deliquium mittebant ſanguinem? Nam animi deliquium erat nota, ad cujus acceſſum retinendum ſanguinem Hippocrates & Galenus docuerunt, nec ultra trahendum, præſertim dum animi defectio evenit, non ex motu ſeu animi agitatione, (quemadmodum fit in puſillanimis, qui ſtatim eo capiuntur poſt venam apertam, aut poſt quodvis exiguum vulnus, aut videndo tantum alienum ſanguinem manantem,) ſed ex copia ſanguinis detracti?

§. 5. Ad unum igitur horum trium mors illa referenda eſt, vel quòd tardius illam efficerent, vel quòd educerent ultra animi deliquium, vel quòd hæc meta fallax ſit. Quòd mitterent ultra deliquium, credendum non eſt, quoniam jam illi (ſi Galeno credendum eſt hac in re) timidiores erant juſto. Reſtat igitur, illos obiiſſe, (ſi cauſa miſſionis ſanguinis interierunt,) aut quia non in morbi principio eſſet miſſus, ſed cum vires jam fractæ à morbi longitudine, & morbus ipſe adeò radices inſeverat, ut prodeſſe amplius auxilium non poſſet. quod quotidie fieri videmus apud Medicos noſtri temporis, non quòd ad animi deliquium ducant, neque in tempore, neque extra tempus, ſed quòd ad eam, qualemcumque faciant, aut accedant, aut redeant tardius juſto, more eorum qui aduſta jam domo aquam ferunt, aut ardenti non ſatis affun-

dunt. Aut interibant illi, quia animi deliquium non acceſſerat ægris, niſi poſt tantam ſanguinis effuſionem, ut nulla amplius ſupereſſet vis in corpore ſui retinendi, inanitis ſcilicet plus æquo, non modo venis ipſis, ſed & arteriis. Quamcumque igitur in partem te verteris, hanc metam reperies falſiſſimam, & periculi pleniſſimam; tum, quòd in puſillanimis faciat tardare remedium, aut ſubſiſtere infra modum; tum quod in viris fortibus, & pueris, ſeu adoleſcentibus, qui nullam habent imaginationem periculi, exhauriantur aliquando venæ ad mortem uſque, priuſquam in ſyncopen incidant.

§. 6. Non igitur hæc pro ſcopo eſt habenda, ad quem reſpicere debeat is; qui ſine periculo & infamia hoc auxilio velit uti, niſi per accidens: Nempe, ſi contingat, ut in corpore, in quo decreveras libras tres ſanguinis mittere, lipothymia ſeu animi deliquium accedat; ubi duæ tantum fluxerint, æquum eſt ſubſiſtere, & differre in horam vel horas, tertiam libram; aut, ſi vis etiam quartam detrahere, dum videris ſcilicet ægrum non ſolum ad ſe rediiſſe, ſed nullo preſſum languore, orto ab evacuatione, & primum morbum, per quem ſanguis mittitur, in ſuo vigore perſeverare, aut creſcere. Sed hæc clarius infra exemplo docebuntur. Hoc igitur iterum atque iterum repeto, nempe ad hanc indicationem non eſſe reſpiciendum, tanquam ad eam uſque ſit ex animo & decreto accedendum, ſed ſi contigerit (ut dixi) illam evenire, dum

proxime

pròximè miſeris juſtæ, aut in animo à te conceptæ quantitati, tunc pro meta eſſe ducendam; non autem, ubi detraxeris uncias ſex aut ſeptem, ubi videas neceſſe eſſe duas treſve libras eſſe detrahendas.

## CAP. XXVI.

### *Expenditur alia indicatio, qua Hippocrates & Galenus in mittendo ſanguine uſi ſunt.*

INdicationem aliam nonnunquam Hippocrates & Galenus adferunt prioribus non longe certiorem neque meliorem, dum dicunt, tantum eſſe detrahendum, quantum ſatis eſſe viſum fuerit, (ſubaudi, Medico vel Medicis præſentibus.) At oſtendimus jam, tot eſſe inter eos ſententias, quot Medicos, imò ſæpe plures quam Medicos, dum ſimul & ſemel videas, & hunc & illum idemmet velle & non velle. Adde, quod crebro etiam in hac Medicorum corona, non qui eruditior, ſed qui loquacior, aut authoritate ſupremus eſt, credatur. Quare & hîc, & alibi, ubi magnum diſcrimen eſt, dicere liceat quod Galenus olim, *Fortunatum ſcilicet eſſe ægrotantem qui in manus boni Medici inciderit, aut cui fortuna ſeu Deus potius ita faveat, ut eam cæteris prævalere ſententiam faciat, quæ ſit utilior.*

*Tertia meta quam obſervant in mittendo ſanguine.*

§. 2. Eſt, dico, item alia, ab iiſdem magnis viris aliquando propoſita, quæ certe omnium

aliatum utiliſſima, & univerſaliſſima eſt; verum equidem non minus vulgaris quam obſcura. Obſcuriſſima ſanè eſt; obſcura, inquam, non intelligentia verborum, ſed rei præſtandæ. eſt autem hæc, detrahendum eſſe quantum ſat ſit, aut quantum conveniat. Verumtamen hanc metam promptius quælibet muliercula proponet, quam eruditus Medicus poſſit præſtare. At ſi ea doctrinalis eſt, certe præter hanc nulla alia opus eſt, non ſolum in miſſione ſanguinis, ſed in rebus omnibus agendis, cum non egeas inquiſitione & examinatione aliarum indicationum, ſi hanc teneas; purgare nempe quantum ſat eſt, alere, calfacere, ſomnum conciliare, & reliqua omnia ſic efficere.

*Refellitur hac ab illis propoſita metus.*

§. 3. Sed dices forte, hanc non poſſe ſciri illis ignoratis: quod verum eſt; ideo etiam ſoli eruditi hanc retinent, nec profecto etiam ad unguem, ſed proximius vero quam ineruditi. Quare in hac etiam Galenum, ſuimet ipſius opinione & verbis reprehendemus, *dicentem, non eſſe artificis ſolius ſcire quid opus ſit efficere; nam eſt etiam hac indicatio, aut conſilium, aut judicium, aut ut velis appellare, æquè cognitum pueris & plebeculæ; ſed quomodo id efficias ſcire, id certè eſt artificis.* Ita in hac, quid amplius oſtendit Doctor, dum dicit inexperto, detrahe quod ſatis eſt, vel quod ſatis eſſe viſum fuerit, quam muliercula, dum videt ſanguinem prodire, dicit, Rogo ne plus detrahatis quam ſit opus? conſulit & ea ſic detrahi quantum ſit opus, ſed non amplius. Dicimus quidem & nos

*4. M. M. c. 2.*

& nos aliquando ſic; ſed oſtenſo quo modo quis iſtud *ſatis* cognoſcat tutioribus ſignis, quam ab animi deliquio, vel colore, vel alia indicatione, in qua plus ſit vel obſcuritatis, vel periculi, quam ſi ad nullum illorum miniſter reſpiceret.

## CAP. XXVII.

### *Indicatio à ſanguinis colore & conſiſtentia deſumpta.*

COlorem habitumque ſanguinis, quantitatem ſui detrahendi oſtendere, & Hippocrates, & Galenus, & alii omnes authores teſtantur, ut Celſus, dum ait: *Cum ſanguis profluit, colorem habitumque ejus attendere oportet: nam ſi is craſſus & niger eſt, vitioſus eſt, ideoque utiliter effunditur: ſi rubet & pellucet, integer eſt, eaque miſſio ſanguinis adeo non prodeſt, ut etiam noceat, protinus is ſupprimendus eſt.* Hæc Celſus videtur accepiſſe ab Hippocrate, dum dixit, in pleuritide ſanguinem eſſe mittendum, donec melior, aut ex nigro ruber, appareat. Sententia & ibi & alibi à Galeno confirmata, & à nemine poſteriorum Medicorum improbata.

*Quarta metà in ſanguinis miſſione.*

*L. 2. c. 10.*

*De rat. vict. in acut. num. 12.*

§. 2. Quæ certè ut improbanda non eſt, ita etiam non eſt reticendum, & eam nullo in morbo curando ſatis eſſe conſtantem aut ſufficientem metam, & periculo non vacantem ſuperfluæ evacuationis, aut ſuſpicione diminutæ, perinde ac diximus de animi deli-

*Refellitur, ſed adhibita diſtinctione.*

 quio.

quio. Nam ſi pleuritis hominem prehendat boni habitus, huic ſi protinus ſanguis mittitur, purior forte prodibit primus, impurior vero proximus, qui à vicina mali parte procedet: tandem ſi largius mittas, ad puriorem præcedentibus fiet curſus. In his igitur, ubi poſterior primo (quod nonnunquam in iis affectibus vidimus) impurior apparebit, recte reditum purioris & ſyncerioris, uſque ad certam quantitatem, quæ ſine patientis injuria fieri poſſit, expectare licebit. At in iis corporibus, in quibus magna ſanguinis labes eſt, ut diximus in uxore Rolandi, Henrico, Domino Eſſartſium, & aliis, certè periculoſiſſima eſt dictæ mutationis expectatio: cum raro ea fiat in iis, niſi poſt inſignem evacuationem, quæ ſemper in magna ſanguinis corruptela ſuſpecta eſt. Ergo in iis bis, ter, quaterque repetere moderatam ſeu mediocrem præſtat, quam confertim largius evacuare.

*Sup. c. 8. & 15.*

§ 15. Sed in hac coloris & ſubſtantiæ ſanguinis obſervatione, mirum eſt certe quam multa abſurda & inepta à multis Medicis, nimis prompte philoſophantibus, dicantur: ut, ſyncerum & pellucentem ſanguinem, qualem Celſus recte notavit, quia rubet & ſplendet, ardentem, flammeum, & bilioſum appellant; pituitoſum, quia in eo pituita alba deſuper concreſcit, ſejuncta à ſero & ſanguine, more ſevi concreſcentis, & ſuper aquam natantis, dicunt eſſe adipoſam materiam; eum, cui multa ſpuma ſupernatat, ſpirituoſum, flatulentum, & vaporoſum. Mira ſane eſt

*Opinio medicorum circa emiſſum ſanguinem.*

eſt horum philoſophorum in recognoſcendis rerum cauſis celeritas. At mirum etiam erit, ſi capram ſtantem intueantur in faciem, ni dicant ſtatim illam eſſe hominem, quia fert barbam. Quem igitur colorem tribuent ii ſanguini bono & puro, ſi rubentem flavæ bili? & ſpumam quis ſanguis, quod lac, quæ cerviſia, quæ ptiſana, quis denique liquor modice glutinoſus, non efficit & retinet, ſi ex alto cadat in vaſculum? Vis ergo videre ſanguinem nunquam flatulentum, nullam, ſcilicet, habere ſpumam? cave ne is ex alto rivuloſe cadat in ſe, ſed ſic decidat in lancis parietes, aut alio modo infringe illius profluentis impetum. Mirum eſt, quàm quidam medicus exultet, dum ſpumam ſic videt, & dixerit prius, venas non tam ſanguine quam flatibus eſſe plenas. Et pituitam multam ſanguine commiſtam quis quotidie non videt? Quid enim eſt id glutinoſum, quod ſpuimus, quod mingimus, quod excuſſimus, niſi pituita excreta à ſanguine, quæ in corporis alimentum converti non potuit?

*[illegible] nonn[illegible]orū medicorum philoſophia.*

*Vide Clariſſ. D. van der Linden, diſputationem Phyſiol. 50.*

§. 4. Dum ergo ſanguis pituitoſus, in vaſculo non expanſo receptus eſt, quælibet ejus pars frigore ſejungitur à reliquis, atque ita pituita ſuo glutine & natura in ſeſe colligitur, & denſatur & ſupereminet, & ſerum etiam à reliquis partibus ſeparatur, & quod ſanguinis eſt ſubſidet, adhærens pituitæ, quæ ſic juncta, ſero innatat. Si bilis multum ſit, hæc non à reliquis ſejungitur, ſed rectè, pro ſuo acumine, cum ſingulis aliis commiſcetur, ut

*Quomodo ſanguinis partes ſeparentur.*

lixivium

lixivium, quod apte cum oleo & aliis pinguibus, & craſſis etiam, & cum aqua convenit & connectitur: ita bilis pars cum ſero remanet, pars cum pituita, pars etiam cum ſanguine, ſingula ſuo colore inficiens, plus minuſve, pro ratione ſuæ quantitatis. Melancholicus autem humor, ſi quis ſit alius ſpecie diverſus ab horum aliquo exuſto, (quod ut non credimus, ita id in aliud tempus diſcutiendum differimus, ne genus cum genere confundamus) quærendus eſt cum ea parte, quæ ſanguis eſt, & parte ejus infima, quam nihil niſi exuſtum & aſſum ſanguinem, flava bile miſtum, eſſe reor.

*Melancholia naturalis an detur?*

§. 5. Diximus hæc ſic evidenter apparere, ſi ſanguis ſit receptus in vaſe minime panſo, ſed ſtricto; in quo cum calor illius diutius remaneat, ita non ſubito, ſed paulatim, illo algeſcente & concreſcente, facilius quælibet pars à parte alterius generis ſegregatur, & in ſeſe recipitur, quam ubi vas expanſum eſt, in quo tota maſſa citius refrigerata, ſimul etiam magis confuſa manet, & ideò difficilior judicatu eſt.

*Quo in vaſculo ſit excipiendus ſanguis ut de eo judicium ferri poſſit.*

§ 6. Ergo cum de colore & ſubſtantia (y) judicandum eſt, colligendus ſanguis eſt in vaſe non panſo, ſed cavo, ut in paropſide aurita, ſeu aliis vaſculis ad hoc munus accommodatis. Quoniam purior ſemper apparet, ubi expanſus

(y) *Io. Bapt. van Helmont* Tractatu peculiari, cui nomen indidit *Paſſiva Scholarum Humoriſtarum deceptionis cap.* 1. §. 51. 52. adunco naſo ſuſpendit Medicos Hæmatoſcopos, dicendo,

panſus & diffuſus eſt, rubrum potius colorem ſic ſervans, quam dum ſingula à ſingulis ſegregantur. Nec moveri etiam debet, ſed immotus dum eſt detractus, ſervandus eſt, extra ſolem, extra ignem, extra pulverem. Quare male ii, qui vaſculum in vaſculum verſant, ut juſtius valeant de quantitate emiſſi judicare.

§. 7. Sed dices, colorem non tam eſſe ſpectandum & obſervandum, poſtquam refrigeratus ſanguis eſt, quam dum fluit, quo intelligas, quando ſit retinendus, & quando ſinendus. Hîc dicimus nos, hanc obſervationem fluentis, quò citius vel tardius ſupprimas, convenire potius in valetudinariis corporibus conſervandis, & reducendis in habitum meliorem, quam in curandis gravibus morbis, in quibus non tam intereſt qualem detrahas, quam quantum: Cum certum ſit, non minus fore perniciosum ſanguinem dum exuperat, licet ſpecie benignus ſit, quam dum non admodum redundat, ſed aliquo vitio infectus eſt. Noſcimus interim medicos aliquot adeò rationis incapaces, qui id ſibi vix perſuadere poſſint, cum ſtatim atque vident ſanguinem miſſum, eſſe purum, non pudeat eos dicere, pœnitere ſe facti: ut nuper accidit in duobus nobilibus conſobrinis me conſulentibus, quorum alter lenta febricula duorum menſium quotidie jactabatur, alter dolore tenſivo, ſed non

*An ſanguis, interea dum fluit, ſit obſervandus?*

*Medicorum quorundam inconſtantia.*

dicendo, ſic eos ludificare ignaros, & viſitationum augere numerum. Verumtamen non omnino vanam eam eſſe oſtendit Botallus noſter, & antea docuit egregiè *Fernelius*, *Meth. Med. lib.* 1. *cap.* 17.

non vehementi, ad jecur detinebatur. His cum laudaſſem miſſionem ſanguinis, ad quam ægre deſcendebant, diſſuadente hanc medico domeſtico, tandem poſt dies aliquot meum conſilium experiri voluerunt, medico illorum non prorſus diſſentiente: qui ubi, utriſque noſtrum præſentibus ſanguinem ad libram emiſſum, incorruptum conſpexit, patientibus nuntiavit, me abſente, ſe maxime pœnitere facti, crediſſeque ſemper, hanc medicinam non fore illis neceſſariam: quare poſthac nulla perſuaſione ſe deſcenſurum in alterius ſententiam, niſi evidentiſſimis rationibus, ab Hippocrate & Galeno emanantibus, trahatur. Hoc interim ſolo auxilio uterque ſanatus, huic non amplius recurrente febre, illi verò, in biduum, jecoris oppreſſione ad unguem reſoluta. At multos profecto alios ex iis, nimium mature pœnitentibus, & imprudenter colorem potius ſanguinis, quam reliqua obſervantibus, novimus.

§. 8. Non ergo quia purus, aut quia mutatio in meliorem non fit, ſemper continuanda eſt miſſio, neque quia mittitur, ſupprimendus eſt, ſed donec aliqua utilitas appareat, aut confertim, aut per vices educendus eſt, maxime in acutis morbis, & ſuo initio, quò (ſi particulares ſint, ut pleuritis, phrenitis, peripneumonia, angina, & aliæ inflammationes internæ, quibus ſuperatis neceſſariò ut plurimum mors ſequitur, aut etiam non raro ſuppurationem præcedit) dempta in tempore morbi materia quæ in venis eſt, mature etiam ceſſet

*Hipp. l. de vict. rat. in acut. n. 1.*

ceſſet diſcrimen à morbo; quod ſimiliter in febribus ardentibus & ſynochis, ſed magis in prius dictis, faciendum eſt, detrahendum, ſcilicet, ſanguinem, non ſumpta meta à colore ſeu ſubſtantia ejus, ſed à morbi magnitudine, ſtatu, & patientis viribus.

## CAP. XXVIII.

*Quæ ſit ſanguinis quantitas in corporibus humanis, & quæ copia profuſa ſit, ac fluere ſponte item poſſit ſine interitu, ex ſententia authoris.*

QUum oſtenderimus, nullam ex indicationibus ſive regulis, nobis à ſummis medicinæ parentibus literarum monumentis, relictis, eſſe ſufficientem, aut valde utilem, imò potius fallacem & periculoſam, ad judicandum quantum ſanguinis ex arte ſit detrahendum è corporibus humanis, cum ægrotantibus, tum ægritudinem præcavere nitentibus; æquum eſt dicere, num regula, aut meta aliqua, excogitari & inveniri poſſit, aut exquiſita, aut ſaltem quæ præcedentibus ſit tutior, & melior, & cognitu facilior.

§. 2. Tutiorem aut meliorem, aut exquiſitiorem ullam poſſe inveniri ea, quam quarto loco nominavimus, nemo excogitare poterit, ſed aliam captu faciliorem hac, & quæ cæteris antedictis in omnibus ſit anteferenda, certè perfacilè. quæ à juvenibus & inexpertis, magno

magno uſu, veluti ſcopus & meta propoſitæ rei, notari & obſervari facillime poterit. Ea autem eſt (quam nos ſumma Dei benignitate, non ſine magna patientum utilitate ſequimur) quæ à patientis habitu primum, deinde ab ipſa venarum amplitudine & plenitudine, tum ex aliis omnibus, quæ jam ſupra dixi non eſſe contemnenda, elicitur.

*Autoris regula & meta ſanguinis detrahendi.*

§. 3. Verùm ut facilius juventutem ipſam doceamus, & rem illis veluti ante oculos ponamus, videndum eſt prius, quantum ſanguinis ex corpore mediocri & bene valenti, profundi confertim poſſit ſine interitu. Difficile quidem eſt hoc exactè ſcire; & fortè aliquibus etiam hæc quæſtio ſuperflua videbitur, cum tamen ita non ſit, imò aliquid ex ea eliciemus, quod ad præſens negotium faciet. Sunt igitur qui credant, ut Avicenna, ſi bene memini, humanum corpus capere ſanguinis libras XXV. & etiam ſupra, ex quibus uno die, aut per vulnus, aut alio modo aperta vena, effundi poſſint XVII. ſine interitu. Quod ſi verum eſt, oportet id corpus excedere frequentem hominum magnitudinem: Nam pauci ſunt, qui detractionem librarum decem una emiſſione ferre poſſint in vita: Sed uno toto die amitti libras decem, refecto corpore cibo, & præſertim ſorbili, id nonnullis contigiſſe vidi, & multos una hebdomada amiſiſſe ſupra libras viginti. At facilius eſt homini mediocri, & convenienter nutrito, ferre effuſionem triginta librarum ſanguinis octo dierum ſpatio ſine interitu, quam

*Quæ ſanguinis quantitas ſit in corpore opinione Avicennæ.*

quam homini fortiſſimo decem, uno die, ſine cibo.

§. 4. Verùm audivi aliquando quoſdam Medicos, dicentes in hoc plura ſtupenda, & ridenda potius quam credenda, niſi à pueris: nempe, alium vidiſſe ſe in quodam Advocato, qui cum per hæmorrhoïdas uno die amiſiſſet plus quam viginti libras ſanguinis, & die ſequenti manè ad illum acceſſiſſet, ut, ſi amplius flueret, venam aperire faceret, reperit illum profectum in Senatum ad litigandum. Ego cum dicerem, hanc tam grandem evacuationem ab homine vivente ſuſtineri nullo modo poſſe, ille ſtatim infit; Mihi crede Botalle, non minus profudiſſe quam pelvis hæc (quæ antè ſtabat, & quæ capax erat triginta librarum) continere poſſet. Hîc alius Medicus præſens, cui hoc videbatur exiguum, ſuum etiam cantat miraculum, ſuperiori mirabilius & cachinno dignius. Sed tranſeamus has fabulas, in quas ſæpè trahuntur homines; qui quo magis ſapientiam ſimulant, eo plus ſuam inſipientiam produnt. *Recitantur quorundam medicorum ridicula propoſita.*

§. 5. Mediocrem ergo hominem, ſine magno vitæ periculo, uno integro die, ex ſecta vena ſex, aut ad ſummum octo novemve, ſanguinis librarum evacuationem, & hanc item intra menſem repetitam, ferre poſſe non dubito, ſed non ſine manifeſta virium imbecillitare: verumtamen non tanta, quanta ſuccederet quantitati longè minori, puta medietati vel etiam tertię parti, guttatim & in multos dies exeunti per hæmorrhoïdas, vel uterum, vel nares.

 §. 6. Non

*Quod ſanguis ſponte fuſus, plus adferat incommodi, quam arte emiſſus. Prima Ratio.*

§. 6. Non deſunt Medici minimè vulgares, qui ſic eſſe minimè putant; & ego olim idipſum putavi: verumtamen ſic ſe res habet, & ratio clara eſt. Oſtendamus factum primum, deinde rationem dicemus. Multas certè mulieres & homines noſcimus, ſubditos ſuperfluis hæmorrhoidibus, aut menſtruis purgationibus, qui cum ab aliquot annis ſanguinis miſſione utantur, fatentur ſe à miſſione ſanguinis ex brachio ad libram unam vel circiter, nunquam non percipere, addi potius robur corpori quàm minui: at ex levi qualibet ſpontina ſtillatione langueſcere. *Objectio.* Dices, hanc noſtram probationem principium petere, ideò egere majori argumento, ut fidem faciat. *Reſponſio.* Si juvenis ſis, argumentum ſeu factum potius, & facti fidem capies exercendo, & idipſum intelligendo à patientibus: Si jam in medicina exercitatus, & id non noveris, da operam ut id ſimiliter intelligas ut dixi, & ut poſthac diligentiorem te præbeas in perquirendis rebus ad tuam facultatem pertinentibus, quam antea feceris.

§. 7. Non pudet me dicere, olim id mihi fuiſſe abſconditum, & credidiſſe me, naturam poſſe melius ſine magna imbecillitate ferre effuſionem librarum quatuor aut quinque ſanguinis ſponte emiſſi, quam libræ unius vel alterius ex vena ſecta. Quoniam ſæpe audiebam, & præceptores meos, & alios ſeniores, & nunc etiam quotidie audiuntur Medici coætanei noſtri, dicentes, ubi vident ægrotanti ſtillare nares: Utinam funderes quinque ſexve

libras!

libras! qui interim vix unam quidem aut duas aliquando detrahere audeant: qui rogati rationem facti, hanc afferunt, nobis olim non abſtruſam nec ingratam, ſed male cum iis, qui id cenſent hoc loco poſſe conferre, accommodatam; Naturam, ſcilicet, ſagacem ſecernere & expellere id quod eſt inutile, retinere verò quod eſt utile, at vena ſecta contrarium prorſus contingere. At parcant mihi hi Naturæ contemplatores, ſi dixero, eorum ratiocinationem eſſe fallacem, & decipi ſe à fallacia ſuppoſitionis, credentes, id quod ſponte per dicta loca excernitur, eſſe ſæpiſſimè impurum & fæculentum: Quare & ſanguinem, prodeuntem ab hæmorrhoïdibus, putrem eſſe, nigrum, & melancholicum; quod etiam Galenus eſt faſſus, quamvis ſecus ſe res habeat: aut ſi vitioſus is eſt, crede, eum qui ex brachio detrahetur ejuſdem hominis, futurum vitioſiſſimum. idipſum dico de ſanguine menſtruo, & de eo qui è naribus exit. Unde inducor concludere, præſtare arte detrahi ex brachio multum impurum, dum juſtum modum non excedat, quam parum ex dictis locis ſua ſponte, ſed ſupra conſuetudinem, & naturæ modum, emitti. Hæc igitur eſt una ratio cur magis debeant lædi à ſpontina evacuatione, quam ex artificiali moderata. Eſt & alia efficaciſſima: Quòd per ſpontinas illas evacuationes diuturnas, extra modum & tempus, perpetuo multi ſpiritus omnis generis è corpore pellantur, perinde atque in hypocauſtis, in quibus apertæ ſunt feneſtellæ,

*Adverſariorum ratio ſpecioſa Refutatur.*

*Secunda ratio.*

unde calidus aër effunditur, & frigidus intro- ducitur. *Tertia ratio.* Adde etiam, quod illæ venarum ſpontinæ apertiones, vel fortè ruptiones, nunquam ſint ſine vi aliqua, nec etiam ſine intemperie, & ex conſequenti nec ſine dolore. Quæ omnia cum ſint perpetua, aut ſaltem diuturna & continua, licet dolor ſit exiguus, & evacuatio modica, perennitate tamen & continuatione moleſtiæ, longè major ſequitur virium languor ex parva evacuatione hujuſmodi, quam ex majori facta per venam ſectam. *Quarta ratio.* Quia, præter id quod ex ea revellitur materia illa, quæ fertur ad alias partes, quas affici nolumus, impurior; & quod ejus oſculum citò concluditur, ut nullus amplius ſpiritus inde amittatur; & quod nulla intemperie afficiatur; hoc habet amplius in bonis, quòd ea etiam longius abſit à partibus principibus, quam dictæ partes unde ſanguis ſponte prodit, ut nares quæ proxime ſubjacent cerebro, & uterus, & anus jecori. Quare mirum non eſſe debeat, ſi ex hac evacuatione quæ per venam ſectam fit (licet duplo ſit cæteris antedictis amplior) minus corporis vires lædantur, quam ex aliis ſponte venientibus, & minoribus.

CAP.

## Cap. XXIX.

*Exemplis multis, tum Galeni, tum propriis, oſtendit, quantum ſanguinis detrahi arte poſſit.*

Diximus de quantitate ſanguinis, quam ferre poteſt homo è corpore profundi, caſu, vel invito. Jam dicamus de ea, quæ arte mitti poteſt in mortalium utilitatem, adducentes primum Galeni ſententiam dicentis *lib. De cur. rat. per ſang. miſſ. cap.* 12. *ſe ſæpe magno ægrotorum commodo miſiſſe cotylas ſex*: quod pondus cotylæ unciarum eſſe decem multi teſtantur. Gorreus tamen ait, Græcos interdum cotylam pro libra intellexiſſe, qui ſenſus convenit cum iis qui Galenum verterunt, qui libras dixerunt non cotylas *capite* 14. *dicti libri*, dum ait, *Memini quibuſdam ad ſex uſque libras ſanguinem detractum fuiſſe, ita ut febris protinus extingueretur, nec ulla ſequeretur virium afflictio; quibuſdam verò ſeſquilibram haud citra leve ſaltem virium detrimentum, quibus ſi quis duas vacuaſſet, extreme læſiſſet.*

§. 2. Ex hac Galeni ſententia, fere, quod quærimus, elicietur. Ponit autem hîc duas maximas vacuationes, factas in duobus corporibus, maximè inter ſe (quoad vires pertinet) differentibus; unam librarum ſex, qua credendum eſt uſum fuiſſe in corporibus, non tam maximis & fortiſſimis, quia rara inveniuntur, quàm mediocribus, cum ſæpiſſimè dicat ea ſe fuiſſe uſum; & veluti documen-

tum id ſcribat, quod non ut pauciſſimis conveniat, & multis noceat, ſcribendum erat, ſed ut multos juvando, nemini noceat. Alteram ſeſquilibræ, ſeu libræ unius cum dimidia, ſive unciarum octodecim, qua quantitate, ut maxima, uſus fuiſſe videtur in homine imbecillo, non morbo vel inanitione, ſed natura vel tempore, & corporis habitu, puta non admodum ſanguineo, ſed frigido, & ad phlebotomiam parum idoneo.

§. 3. Sunt & alia dicti authoris ſplendidiſſima exempla, ex quibus conflari poteſt, imò & debet, indicatio mittendi ſanguinis in hominum ſalutem, & per eandem intelligi & declarari inanis metus, ne dicam ſordida negligentia, Medicorum, qui cum prorſus Galeni ſententiæ ſectatores videri velint, tunc effœminatiſſimè ab illius veſtigiis recedunt, in quibus ad unguem erat ſequendus. Quantum ſanguinis, quæſo, detrahi voluit ei, cujus meminit *libro dicto*, *cap.* 17. cui maxima inflammatione prehenſo Eraſiſtrateus quidam Medicus venam ſecare non erat auſus? certè *libras tres primum*, (eo teſtante) *deinde horis quatuor poſt libram unam*, unde ſalus ſtatim ſequuta eſt. Quantum & mulieri illi à longo morbo extenuatæ, cujus mentionem facit VI. *Epid. comm.* 3. *§. Extenuatio omnis cutem*, *&c.* cui etiam alii Medici, propter illius ſummam inappetentiam, & corporis imbecillitatem, minimè hanc Medicinam convenire dicebant, imò Galenum ipſum deridebant, qui hanc proponeret? *ſeſquilibram*, inquit, *primo die*, *libram altero*,

*altero, & uncias octo die tertio; adeò ut in muliere exhauſta viribus, & penè morbo confecta, trium dierum ſpatio, plus libris tribus ſanguinis detraxerit; cujus auxilii beneficio illa in priſtinam valetudinem reſtituta eſt.*

§. 4. Affert & aliam hiſtoriam v. *Meth. Med. c.* 13. de adoleſcente, qui ex refrigeratis ſpirandi inſtrumentis, tuſſi correptus, dimidiam ſanguinis heminam rejecit, cui primo die ſtatim ſanguinem ex cubito miſit, & ſimiliter ad veſperum: quod auxilium item poſtridie manè repetivit, & denuo à meridie. Verum detractionis modum ſeu quantitatem, ut & in aliis multis fecit, non adſcripſit. At certè nihil Galenus ſuam orationem læſiſſet, ſed locupletaſſet, optimeque de medicinæ ſtudioſis, cunctiſque mortalibus meritus fuiſſet, ſi omnibus iis locis menſuram, ut in ſuperioribus duobus fecit, aſſignaſſet; cum eſſet illi ratum, nihil eſſe in medicina, (ut ipſemet ſæpiſſimè teſtatus eſt) minus compertum & magis anceps, quam auxiliorum juſta quantitas, videretque ſectas Medicorum ſui temporis, & quotquot ante eum, & poſt Hippocratem, fuerant, rariſſimè ad id præſidium confugiſſe, & ejus coætaneos ad illorum imitationem pariter & illam rejicere, & deteſtari. Quare in novæ opinionis introductione, (novam dico, quia à ſæculo Hippocratis uſque ad Galenum penè in totum phlebotomiæ uſus exulaverat) fas erat pauló exquiſitius & lucidius, ambigua & obſcura, quæ ſunt maximi momenti, ut hoc eſt, aperire & declarare.

*Galenus reprehenditur.*

*Seneca Epiſt. VI.* rare. Quod nullo modo aptius efficere poterat quam exemplis, quibus potius homines moventur quam nudis rationibus.

*Hæmophobia pernicioſa ægris.* §. 5. Quid, rogo, hoc loco junior Medicus, aut etiam ſenior, in mittendo ſanguine timidior juſto, faciet, ſi hoc unum nunc Galeni exemplum ſibi proponat imitandum? Dices, bidui ſpatio mittet quater ſanguinem: hei mihi quam ſæpe in jacturam ægrotantium vidimus Medicos minimè juvenes hanc reſponſionem attuliſſe in patrocinium ſui erroris! Piget profectò, me hoc anno multa, & plura antea vidiſſe miſerrima exempla, utpote cum in pleuritide, peripneumonia, & febribus ardentibus graviſſimis dicerent Medici, ſatis ſuperque fuiſſe miſſum ſanguinem, bis terque repetita ſectione venæ, cum nunquam ulla earum accederet ad libram unam, ſed ad uncias quatuor vel quinque, vel ad ſummum octo vel novem; adeo ut omnes dictæ venæ ſectiones ſimul junctæ, non eſſent conferendæ cum ea, quam primo quoque tempore talis affectio, in dictis ſubjectis quæ nominare fas non eſt, efflagitabant! interea ægri ſic eluſi ad ſuperos evolabant. Dicent igitur, ut eo redeam unde digreſſus ſum, ſe bis, ter, quaterve ſanguinem miſiſſe. At intereſt, non quam ſæpe venam aperias, ſed quam parum aut multum ſanguinis detrahas: eſt enim in hoc valetudinis, vel interitus cauſa, non in cute quæ ſcalpello diſcinditur. Verum enimvero Galenus hîc excuſandus eſt, cum ex aliis hiſtoriis, & ex ejus præceptis, & confeſſione ſuæ

ſuæ conſuetudinis mittendi ſanguinis, elicere lector poſſit fere ad juſtum, quantum miſerit in hoc, aut ſaltem quantum ſit mittendum: quod exemplo demonſtrabo. ubi adhuc ex eo oſtendero, quantum ſanguinis velit poſſe mitti pueris annum quartumdecimum jam attingentibus. *Quibus ſanguineis exiſtentibus, & acuto morbo correptis, dicit ad ſummum detrahi poſſe cotylam ſive libram: poſtea, conſtantibus viribus* (intellige & perſeverante morbo) *iterata miſſione poſſe item educi cotylæ dimidium.* Verum nos ſæpe in ſimilibus ſubjectis & morbis, majorem quantitatem detraximus, ſed tamen non multum, præſertim uno die, nempe mane ad uncias quindecim, & veſperi vel horis ſex vel octo poſt, iterum dimidiam libram, vel uſque ad uncias octo. *De cur. rat. per ſang. miſſ. c. 13.*

*§. 6.* Jam veniamus ad exempla, inchoantes ab hoc Galeni, vel ſimili, ex ſanguinis fluxu è pulmonibus, à quo affectu ut nonnulli juvenes, & etiam homines ætate conſiſtentes, aut poſt multos clamores, aut nixum ſonandæ tubæ, aut ab impetuoſa & violenta aliqua corporis exercitatione, aut à tuſſi, vel alia quavis cauſa capiuntur; ita eorum plærique curantur, ſi bona corporis ſint temperatura, & tempeſtivè ſuccurrantur, & non errent in victus ratione: de quibus omnibus hîc dicere locus non eſt, ſed de miſſione ſanguinis, huic curando & providendo convenienti. Sit ergo patiens virilis ætatis, mediæ corporis proceritatis, magnitudinis & temperiei, mediocriter venoſus, laboribus corporis aſſuetus com- *Subjicitur caſus in corpore mediocri.*

 munibus,

*Celſus l. 1. c. 1.* munibus, & in cætero vivendi genere non diſſolutus quidem, ſed neque etiam nimium cautus, ut major mortalium pars exiſtit: hic, ut Galenus ait, dimidiam ſanguinis heminam vel circiter, tuſſiendo ejecerit, certum eſt hunc à pulmonibus proſilire; ergo in hoc, primo quoque tempore, finge de mane fore, rectè duas heminas ſive libras, veſperi verò, aut heminam, vel, ſi pleniuſculæ venæ ſint, ſeſquiheminam potes educere: poſtridie manè heminam ſimiliter, aut ſeſquiheminam, ſub noctis crepuſculum dimidiam heminam; nam ſic non parvo artificio rationem ſequêris. Copioſior enim prima eſſe debet, quia morborum initiis, ut illi ſunt ut plurimum imbecilliores, ita patientis vires ſunt robuſtiores. Præterea, quia in hoc affectu, celerior & validior requiritur revulſio & evacuatio, quo parcior & tardior fit ſanguinis curſus in pulmones, ad quos jam ille viam ceperat cum magno patientis periculo; minor debet eſſe veſpertina ſequens, tum propter evacuationem præcedentem, quæ fuit paulò largior, tum propter minorem temporis intercapedinem, quæ fortè interceſſit inter utramque. Hac verò paulo copioſior, aut præcedenti par, eſſe debet tertia, quæ in ſequens matutinum ſervatur, eo quod vires ægrotantis (ut ſupponimus) fuerint non ſolum cibo, ſed & ſomno, & longiore ſpatio & quiete recreatæ: minima poſtrema, quia creditur jam perſtitiſſe fluxionis impetus, & vaſa pulmonis omni ſuperfluitate eſſe libera, & patientis vires jam redditas infirmio-

infirmiores. Quòd ſi dictus affectus mollem, album, & pauci ſanguinis hominem præhenderit, hemina ſatis fuerit prima detractione, & unciæ quatuor aut ſemi hemina poſtrema. Verùm etſi hæc, veluti quadam ſtata ratione & methodo præſcribantur, raro tamen accidit, ut eodem ordine in uſum veniant: cum interea multa contingant, quæ curationis ordinem initio inſtitutum, pervertunt, cum non ſit neceſſe tribus diebus continuis ſanguinem mittere, niſi ſanguinis etiam fluxus perſeveret: quamvis & eo non perſeverante, rectè triduo mitti poſſit ſanguis, verùm poſt primum diem minus detrahendum, quam diximus.

## CAP. XXX.

*Propoſitis quorundam morborum exemplis & curatione, oſtendere nititur, quantum ſanguinis demi poſſit.*

Accedat nunc exemplum laborantis febre ſynocho, vel ardente, vel peripneumonia, vel pleuritide. vel angina: Nam ſi in his ſingulis morbis curandis unam regulam, quoad ſanguinis miſſionem ſpectat, ſequaris, in nulla re erraveris, niſi de loco contendas: de qua re jam aliquid ſupra à nobis dictum eſt. De tempore vero, in tribus ultimis nunquam nimis maturè tundi vena poteſt; fere etiam neque nimis copioſe, dummodo libras quinque uno die non exceſſeris: nam vis horum morbo-

*Caſus febris ſynocha, ardentis, peripneumoniæ, &c. è quibus colligere liceat quantum ſanguinis ſit detrahendum.*

*Supra p. 144.*

morborum, facile & tuto, ſuo initio, quo vires ægri validiſſimæ ſunt, propoſito remedio infringitur; quoniam inflammationes ſunt, quarum materia, niſi ſtatim retrahatur in adverſam partem, & abundè evacuetur, tumorem brevi edit, qui aut ſtrangulat, antequam ad ſuppurationem veniat, aut ſuppurata, hominem tabe miſere conſumit.

*Praxis Botalli.*

§. 2. Raro ergo in his affectibus, dum in me eſt, & obſequentem habeo ægrotantem, non detraho ad libras duas, vel duas cum dimidia manè, & non inclinante morbo ad ſeſquilibram, quatuor ſexve horis poſt, in viris fortibus aliquando ad libras tres, unica vice, & duas, ſex vel octo horis poſt: ſed copioſius mittere, vel confertim quinque libras evacuare, non ſolum non ſex, Galeni exemplo, ſanè hactenus non fuit animus, eo quod ſemper maluerimus in omni opere agundo (ex quo vel noxa aliqua ægrotanti, vel noſtro nomini labes contingere poſſet) aliquo modo infra ſubſiſtere, quàm ſuperfluè aliquid moliri.

§. 3. Et frater meus, cujus ipſe conſilio & exemplo uſus, inanem & puerilem illum timorem, olim mihi cum cæteris Medicis communem & familiarem, excuſſi, non raro ad me ſcripſit ex Pedemontio, ſe ſæpiſſimè libras quatuor & quinque, cum maxima ægrotantium utilitate, detraxiſſe, multaque ſe ac liberali ſanguinis miſſione præſtitiſſe miranda, in variis morborum generibus, in quibus Medici prodeſſe illam poſſe minimè putabant,

( ut

( ut in colicis [doloribus, & nephriticis, & iſchiadicis, & aliis tum acutis, tum diuturnis, & contumacibus morbis, ) quæ nullo alio remedio vinci poterant. Imò anno ſuperiori ad me ſcripſit, ſe filiæ ſuæ, annos ſeptemdecim natæ, ardenti febre correptæ, & peſte eo tempore & in ea regione vigente, ac Canicula æſtuante, tertio morbi die ( nam antea puella recuſabat, quod poſtea morbi magnitudine victa admiſit ) ſanguinis libras duas manè, & alteram à meridie detraxiſſe: poſtridie malo ingraveſcente, cum vehementiſſimo capitis dolore lancinante, parem modum ſimiliter detraxit, & die item ſequenti, malo ita perſeverante, ut ferè de ejus vita deſperaret, dubitavit magnopere, num rurſus ſanguinem mittere deberet: tandem libram adhuc detraxit, unde nocte quievit, & liberata eſt. Incidit tamen illa, inquit, duabus horis poſt miſſum ultimo ſanguinem, in grave animi deliquium, quod illum exterruit: verum ſtatim cibata, ex juſculo carnium cum vitello ovi, moleſtum affectum abegit: unde, inquit, Tantum in hoc video me deliquiſſe, quòd tardius & parcius illam cibaverim, in hac inſigni evacuatione. Quantum etiam ſanguinis miſerit duabus aliis ejus filiabus prægnantibus, dictum eſt ſupra.

*Frater Botalli quantum ſanguinis miſerit filiabus ſuis.*

*Supra pag. 131.*

§. 4. Redeamus jam ad inſtitutum. Quod ſi poſtridie malum adhuc creſcat, aut non decreſcat, iteranda erit venæ ſectio: verum an parcior fieri debeat priore, an æqualis, dubitari poteſt. Majorem nunc, hoc eſt, in

repeti-

repetitione, non modo non laudo, ſed omnino deteſtor: verumtamen hujus rei judicium, penes præſentem & peritum Medicum conſiſtit, qui corporis vires, deſumptas cum à moribus ægri, tum à venarum plenitudine vel vacuatione, conferat cum morbi magnitudine: cum (ſi angina ſit quæ paucis plærunque horis hominem ſuffocat) præſtet, ut cum

L. 2, c. 10. *Celſo* dicam, *temerarium experiri auxilium, quam ſinere certò ægrum perire.* Temerarium dixi, imitatione authoris, non quòd tale dici debeat, ſi periti Medici conſilio celebretur: At in re præcipiti, plærunque ea quæ ſalutem ferunt, temeraria videntur; quæ, quoniam præter conſuetudinem fiunt, temeritati potius à multis aſcribi ſolent, quàm eruditioni.

§. 5. Ergo, ſi ad ſuffocationem ægrum progredi videas, ut aliquando vidiſſe nobis contigit, dum nec per ſufficientem experientiam hujus auxilii, nec per ordinis authoritatem conſiliis ſtatutis contradicere nobis liceret, confidenter recurras ad primum præſidium, cujus quantitatem detrahendam, venarum dato vinculo, facilis aut difficilis repletio di-

*Inferius. cap. 33.* ctabit; fretus, ut ſuo loco dicetur, non deeſſe ſanguinem alendo corpori per diem integrum, aut etiam biduum ei, cui venæ ſic facilè replen-

*Loc. cit.* tur. Quare optimè Celſus in hoc dixerit, *Vis corporis melius ex venis, quam ex ipſa ſpecie*, (maris ſcilicet, vel fœminæ, obeſi, vel macri) *colligitur.*

*Quid agendum in pleuritide.* §. 6. Pleuritis, etſi inſigniter ſit periculoſa, & adhuc magis peripneumonia, paulo tamen majores adjuvandi inducias præbet, quam angina,

gina, dum ea graviſſima eſt. Ergo & in iis omnibus etiam, quamprimum fieri poteſt, largè ſanguis detrahendus eſt, & idem auxilium poſtridie repetendum, ſi pridianum non ſuffecerit, ut prudentiſſimè à Toreto factum eſt in curatione uxoris Rolandi, Regis pincernæ, vehementiſſima pleuritide laborantis, etſi eſſet ægra naturæ imbecillimæ. In hac ille ſepties, octo dierum ſpatio, mitti ſanguinem propoſuit: cujus conſilio ego, qui interdum ægram reviſebam, & ejuſdem auxilii neceſſitatem percipiebam, ſine controverſia aſſentiebar. Mittebatur igitur interdum bis in die, interdum ſemel, & modò ad uncias decem, modò ad quinque vel ſex, pro ratione virium patientis, quæ parvæ quidem erant, tum ratione naturæ ægrotantis, tum magnitudinis morbi, tum etiam occaſione ſanguinis corrupti. Sic illa, hac potiſſimum ratione curationis, liberata eſt, non neglectis interim purgantibus, & topicis medicamentis, & reliquis auxiliis ad id facientibus. *Uxor Rolandi pleuritica.*

§. 7. Non diſſimili prorſus modo in angina faciendum eſt: mittendus ſcilicet ſanguis, & ſecundo, & tertio, atque poſt primam ſanguinis detractionem ex brachio, rectè etiam ſtatim mittetur ex lingua, quam laudo iterum ſequacem habere alteram ex brachio: quo ſi quid ad guttur affluxerit largius, præ vinculo; quàm fuerit eductum, per hanc ſtatim revellatur. Conferunt & his omnibus, horis interjectis inter ſanguinis miſſiones, vincula data artubus, & cucurbitulæ cum ferro ſcapulis appo- *Quid in Angina.*

appoſitæ; etiam & purgatio, quæ validiſſimè ducat, ſed non poſt diem ſecundum, niſi declinante morbo. Verùm hæc extra noſtrum inſtitutum huc fortè adducuntur, non tamen præter propoſitum.

*Quomodo ſit ſuccurrendum peripneumonia, febri ardenti, &c.*

§. 8. Quemadmodum peripneumonia aliquanto eſt angina tardior, & pleuritis poſt peripneumoniam, ita & febris ardens poſt hanc, & ſynochus non putrida poſt ardentem, & non putrida poſt putridam, accedunt tarditate ſua nocendi: ſcilicet, ſi horum quodlibet in ſuo ſummo conſideretur: ne conferas fortè exiguam anginam, (quæ aliquando citò & facilè ſaneſcit) cum maxima ſynocho non putrida, quæ celeriter in putredinem degenerata, cito aliquando patientem extinguit. In ſynocho vero utraque, convenit etiam initio ſanguinem mittere, verum non tam repente id neceſſarium eſt fieri, ut in antedictis, nec etiam tam large, quoniam plærunque matura evacuatione duarum librarum ita remittitur, ut vix ſit opus alia: verùm ubi ſanguinis vitium eſt, certe etſi febrem multum remitti videam, non tamen non repeto detractionem, & perſeverante malo iterum atque iterum mitto, quamvis raro æque large ut primo. Verum id ponendum eſt in arbitrio adſtantis & prudentis Medici, qui è re præſenti conſilium capiet. Utile tamen fuit hæc pauca, exempli gratia, juvenibus, & aliis docilibus, tali evacuationis generi minimè aſſuetis, ante oculos ponere; quo confidentius & convenientius morbis occurrant, tam quantitate quàm occaſione.

CAP.

## CAP. XXXI.

### *Morbis longis, ac contumacibus, num parca ac exigua ſanguinis detractio utilis ſit?*

EXpoſita ſumma quantitate ſanguinis, quæ confertim in morbis acutis mitti poteſt, examinandum eſt nunc, an modica detractio aliquando utilis poſſe poſſit.

§. 2. Non raro quidem Medicos, minimè vulgares, audivimus dicentes, in morbis contumacibus, quos à vitio ſanguinis & fuiſſe ortos, & fieri contumaces, crederent, exiguam miſſionem nullius fore emolumenti, grandem vero maximi nocumenti. Quod nos quidem ut minimè inficiamur, ſi exiguum, & multum, per ſe conſiderentur; ita etiam neque eam eſſe utilem neſcimus, quæ inter hæc duo veluti extrema collocata, moderata dicetur: quæ æſtimanda eſt ex viribus quæ nunc ſunt, non quæ olim fuerunt; rati, ſæpe evenire, ut eidem homini, cui Interdum tres libras auferre fuiſſet æquum, nunc heminam ſuperfluum, uncias verò quatuor, aut quinque, juſtum & moderatum fore.

*Sanguinis detrahendi quantitas ex viribus eſt æſtimanda.*

§. 3. Pro viribus ergo præſentibus, libratio æſtimanda eſt: at in hac libratione, ut jam ſupra diximus, & millies vidimus, controverſia eſt, ut notavimus in Polemarchi Brixiaci curatione, de qua ſupra ſumus locuti; & in Illuſtriſſimo Duce Nivernenſi, à febribus, aſſidua & duplici tertiana, & magno ſordidoque vulnere, genu pervadente, in quadrageſimum

*P. 136.*
*Caſus Ducis Nivernenſis.*

mum diem confecto, & ad extremum extenuato. Cui, præter ſententiam Medicorum quorundam, & Chirurgorum omnium, qui aderant, maximo & præſentaneo fuit juvamento detractio unciarum trium ſanguinis impuriſſimi: qui modus, ſi largior fuiſſet, & hominem ſimul abſtuliſſet, cum eomet die, tum in opere ipſo, tum etiam poſt, ter animi deliquio fuerit prehenſus. Non igitur tam facilè opinionibus inexercitatorum conniv endum eſt, ſed exercitationi cum ratione inhærendum, per quam intelliges, hac in re languentes, ex hac modica evacuatione levatos fuiſſe, non ſolum ex evacuatione ſanguinis, ſed etiam ex difflatione putridi vaporis, principes omnes partes afficientis.

§. 4. Quare in longis morbis, ſi vis adhuc aliqua corporis ſupereſt, quæ cognoſci debet ex pulſu, venis, & animi conſtantia, expedit tentare, num hæc aliquo pacto juvet: quæ ſi nulla in re vires læſerit, pro utili reputanda eſt. Quare poſtridie, ſi magna impuritas eſt, ut diximus de cacochymia, repetenda eſt; freti, eam ſanguinis miſſionem eſſe utilem, quæ aliquo modo ægrum levat, & non ſemper eam eſſe inutilem, quæ non levat, cum magnos morbos inchoantes, aut increſcentes, ſæpiſſimè prima miſſio, neque ſecunda, non minuat, ſed tertia aut quarta.

*Unde colligendum ſit ægri levamen.*

§. 5. Verum aliquando etiam ægri, præſertim imbecillimi, creduntur levari dum mittitur, cum tamen non leventur: utilis ergo judicanda eſt, cum levatio ipſa perſeverat,

à qua

à qua indicatio redeundi denuo ad id ipſum auxilium ſumenda eſt: nam ea indicatio ex optimis eſt, quæ à juvantibus & lædentibus ſumitur. Quæ cum in aliis omnibus auxiliis à Medicis admittatur, & attentiſſimè obſervetur, cur verò in hoc ſolo contemnatur & rejiciatur, nihil certè video, quod ſit rationi conſonum.

---

## CAP. XXXII.

### *Propoſitæ adverſariorum objectiones, ab authore refutantur, & ſolvuntur.*

PRoximum eſt nunc, ut quæſtiones & objectiones aliquot, tum tacitas, tum patentes, ad hoc negotium pertinentes, refellamus.

§. 2. Non ignoramus igitur, contra hæc noſtra exempla, poſſe & ſolere adduci alia ejuſdem generis, quæ feliciter ceſſerint, citra uſum propoſitæ Medicinæ: ut, mulierem gravidam, vel ſenem, vel puerum febrientem, vel dyſentericum, vel fortè etiam peripneumonicum, ſine ulla miſſione ſanguinis, curatos: freti, qui id faciunt, ſe ſic & noſtram ſententiam pervertiſſe, & exempla noſtra inefficacia reddidiſſe, cum tamen ſuum potius livorem, & arguendi ignaviam, prodant, quàm cum aliqua ratione repugnent; tum, quòd ſubcontrariarum enunciationum, (ut logici appellant) vis, in rebus contingen- *Objectio autori præviſa.*

T 2 tibus

tibus nulla ſit ſeſe invicem evertendi, ſed ſimul conſiſtendi. Non enim, etſi aliquot videris ſanitati reſtitutos ſine miſſione ſanguinis, ideo & omnes eodem modo eſſe reſtituendos inducendum eſt.

*Scopus autoris in hoc Tractatu.*

§. 3. At reflectes in nos hoc ipſum argumentum, ſed ineptè quidem: nam quod nos intendimus, eſt, ut oſtendamus, ſententiam illam Hippocratis & Galeni eſſe fallacem, nempe gravidis, pueris, ſenibus, ac alvi profluvio laborantibus, non eſſe mittendum ſanguinem: quæ ſententia medicos prohibebat, quo minus ad dictum auxilium confugerent, dum illis permittebatur. Amplius, & in aliis morbis, in quibus conceditur, timidiores adhuc eſſe: cur vero timidiores eſſent aut etiam ſint, curque abſtinerent, & multi etiamnum in dictis affectibus & ſubjectis abſtineant, ratio fere legitima eſt, ne, ſcilicet, ſi res ex voto minime ceſſiſſet, aut cedat, calumniatores veriſimili ratione fulti, ſententiis, ſcilicet, dictorum authorum, eos læſiſſe, aut hominem occidiſſe, proclamarent. Has ergo nos veterum ſententias, ubi ratione prius, poſtea diuturno artis uſu, fallaces eſſe comperimus, poſteritatem id latere minime voluimus.

§. 4. Oſtende jam tuas fabulas: tuaſque curationes noſtris ſubcontrarias: everte ſententiam noſtram, noſtraque exempla, contra veteres & contra neotericos, veterum ſententiam ſequentes, allata, eſſe inefficacia. Dices ne nunc, (cum, quo te vertas, ignores) non eſſe me authorem hujuſce curandæ rationis, & cognitionis

gnitionis dictæ veterum fallaciæ, ſed jam eam à longo tempore reſciri, & uſurpari? eſto, quamvis te aliter ſentire non dubitemus. Eſt enim hoc vetus, ingrati hominis verba, plærunque ſuo ipſius animo repugnare. Hoc tamen certo ſcimus, eam in uſu non fuiſſe ante decennium.

*D. de Vieupont dyſſentericus ex parca ſanguinis miſſione moritur.*

§. 5. Memini equidem, à vigintiquinque annis, vel circiter, Lutetiæ fuiſſe me accerſitum ad viſendum olim magnum Regis Eleemoſynarium, ex familia de Vieupont, hoſpitantem in cæcorum Xenodochio, qui obiit ex ſæviſſima dyſenteria, inſigni febri conjuncta. Hunc curabant Medici, ſuo tempore celebres, Flexelius, & Miletus pater & Miletus filius. Miſſus quidem jam fuerat ſanguis, ex Flexelii ſententia, ad vaſcula duo, ſive uncias ſex vel ſeptem, non ultra; quia *Miletii* (cum quibus, ut verum fatear, forte, etiam tunc libentius, quàm cum Flexelio, ſenſiſſem, ſi ea de re mihi fuiſſet cum iis deliberandum) viribus ægrotantis timerent, licet is forti ac robuſto eſſet corporis habitu, nec morbo emaciatus, qui erat adhuc in ſuo principio ſeu incremento, nempe die quinto, ni me animus fallit, aut ad ſummum ſexto, qui ægrum extinxit, ſi bene memini, decimo ſeptimo. Quod auxilium, quantum (& quidem immerito) vituperaretur, & ante, & poſt interitum, ſatis memoria teneo, quod illius fratribus, Domino de Vieupont, & equiti de Vieupont, jam ex Pedemontio eſſem familiariſſimus. Scio etiam, quam fuiſſet crimini

data in Illuſtriſſimo olim Mareſchallo Brixiaco, cujus ſupra mentionem fecimus, niſi periculo & morbo fuiſſet defunctus: eſt enim hæc calumniantium conſuetudo, ut omnem morbi vim, quam vincere auxilium non potuit, in ipſum ſtatim auxilium injurioſe convertant. Quæ res viros probos in re ancipiti, ut tota fere Medicina eſt, reddit timidiores, illoſque facit potius infra modum ſubſiſtere, quàm quod juſtum eſſet, ſed incertum, ſequi. Plura certe ſuperſunt nobis ſimilia, illius temporis & proximioris, exempla, tam de pueris, ſenibus, & gravidis mulieribus, quàm de alvi fluore affectis, ſi ea adduci juvaret ad oſtendendum, quàm olim fuerit inter Medicos formidabilis, in dictis affectibus & ſubjectis, ſanguinis miſſio; & quam etiam in aliis morbis, hanc efflagitantibus, parciſſime uſurpata. Sed præſtat exempla reticere, & ad æquos tantum judices appellare, nempe ad viventes homines tum ſenes, tum juvenes.

*P. 136.*

*Cur medici probi interdum juſto ſint timidiores in auxiliis adhibendis.*

§. 6. His igitur in præſens omiſſis, ad rem redeamus. Num igitur, etſi aliqui ſine hoc auxilio ſanentur, ideo & id ipſum alicui, aut multis, non eſt neceſſarium? hoc argumentandi genere oſtendetur alioqui, fruſtra fuiſſe tradita omnia præcepta artis. Quod per hæc patet. Ad quid erat opus dicere, *Saluberrimum eſt in omnibus febribus venam incidere*, & *extremis morbis extrema remedia*, &c. cum ſæpiſſime plærique quotidie viſantur ſine his liberari? Si igitur per dictam rationem inania, & nullius momenti, ſunt noſtra exempla (nempe quia aliqui

*Autoris defenſio.*

XI. *M. M.* *c.* 15.

*Aph.* 6. *l.* 1.

aliqui ſecus curentur) erunt & dicta Hippocratis, & Galeni exempla & documenta, ſimiliter ſupervacanea. At neque hæc, neque illa, ſuperflua ſunt, ſed ſanè utiliſſima.

§. 7. Ergo, quemadmodum non ſunt non neceſſaria & largior ſanguinis miſſio, & extrema dicta auxilia extremis morbis quamplurimis, & febribus putridis, licet aliqui ex dictis affectibus ſine propoſitis præſidiis curentur; & non ſunt etiam non utilia multa exempla, de iis allata ab Hippocrate & Galeno: ita neque etiam plurimis & non utilia ſunt exempla, & non neceſſaria ſunt documenta, quæ ipſi in hoc noſtro commentario attulimus. Neceſſarium intelligimus id quidem, quod aliter eſſe non poteſt; at non, quod univerſaliter, omni ejuſdem ſpeciei, ſit neceſſarium, ſed omni individuo ſic exiſtenti. ut, neceſſaria eſt ſanguinis miſſio in magna angina, aut magna peripneumonia, aut ardenti febre, quæ alioqui hominem ſuffocaret: non autem neceſſaria ei febri ardenti; aut peripneumoniæ, aut pleuritidi, aut anginæ, quæ ſine illa curari poſſunt. Erit tamen illis utile, ut eis, qui navigando caſu in flumen vel mare ceciderunt, navis eis fuiſſet neceſſaria, qui ignari natandi, extincti ſunt; utilis verò, ſed non neceſſaria ad vitam ſervandam eis, qui natando, aut alio quovis modo, evaſerunt. Simillimo prorſus modo, neceſſariam & utilem dicimus eſſe noſtram curandi rationem per ſanguinis miſſionem, in morbis, cum acutis, tum longis, tum gravidis mulieribus, tum pueris,

*Quomodo intelligendum ſit, ſanguinis miſſionem modo Neceſſariam eſſe, modo utilem.*

tum ſenibus; non iis qui crederentur poſſe facile ſine hac evadere, ſed iis, quorum aut ſalus videretur ſine hoc auxilio deplorata, aut in maximo diſcrimine verſari; aliis vero utilem tantum, qui, cum potuiſſent fortè ſine hac curari, per hanc tamen id tutius, facilius, & celerius conſequuntur.

## CAP. XXXIII.

*Multis tum rationibus, tum exemplis, oſtenditur, quantum ſanguinis ſingulo quoque die in corpore humano generetur.*

ADmirationem parit multis inſolita & penè inaudita hæc noſtra ſanguinis detrahendi ratio, & incomprehenſibilis ferè quotidiani ſanguinis generatio, quam, ita ut olim diximus debere eſſe ſaltem unciarum octo vel novem in corpore mediocri, ſic nunc dicimus vix tale corpus diurno hoc alimento poſſe ſuſtentari, ſed copioſiore egere. Quare putaverim, plus quam libram, aut ut minimum libram unam, ſingulo die, gigni materiæ, corpori nutriendo idoneæ.

§. 2. Exclamant hîc aliqui, hui! quanta vis ſanguinis in annum! ubinam erit corpus, aut cadus hujus capax? Amplius, quot ſunt homines qui in diem libram unam alimenti non capiunt? Non miror equidem, homines non vulgares modo, ſed & ſapientes, capi admiratione ex hac noſtra (nova quidem, interim veriſſima) ſententia: ſed diu in hac pruden-

prudentem hominem hærere, hoc ipſum demiror, cum ſola (z) lactis generatio homines ſtatim ab hoc examine & dubitatione deberet liberare.

§. 3. Verùm ſi id non ſufficit, cogita, num poſſis comprehendere, quo modo tantus ingentium & multorum fluminum defluxus in mare, non inundet univerſam terram, non in annum, ſed in menſem. Nam profectò, ſi in re quapiam homo, (quem rectè veteres ſapientes parvum mundum appellaverunt,) cum mundo (a) hoc terreno conferri poteſt, in hac ipſa una eſt. Dices fortè, aut nos velle rem obſcuram, noſtris oculis antepoſitam, obſcuriore longè à nobis diſſitam, oſtendere; aut hanc eſſe & à veteribus philoſophis declaratam & evidenter cognitam, non alteram. Certè prudenti homini hanc de aquis intelligenti, patebit & altera. Eſt autem utriuſque una & eadem ratio nulla in re differens. Conſumitur ergo aqua à terra, tum ſiccitate ſua, tum calore à Sole prodeunte, illam in vapores (qui & in aquam convertuntur) tranſmutantibus, unde perennis & nullo temporis momen-

(z) Imò hæc lactis quantitas, ad libras duas fere accedens, quæ ſingulis diebus à muliere infanti præbetur, dubitare fecit viros doctiſſimos, an etiam lac è ſanguine, tanquam ex materia, fieret. Adeat, cui volupe eſt hanc controverſiam uberius noſſe, *Proſperi Martiani Commentarium in verſum* 150. *libri Hippocatis de Natura pueri*, & *Georg. Ent. in Apologia pro ſang. Circ. digreſſione quinta.*

(a) Quæ ſit analogia Hominis cum mundo, & quibus in rebus conſiſtat, docuerunt *Franciſcus Tidicæus* & *Nic. Nancelius* libro peculiari.

 (b) Ele-

momentò intermittens hæc nova generatio, & aquæ, & aëris, & perpetua terræ reſperſio, fiat. Perſimili certè modo & ſanguis gignitur, ex cibo quotidie ſumpto, & per venas, ut ſupra eſt dictum, in corpus diſpergitur: ita etiam in omnem terram aqua per flumina.

§. 4. Inſtar ergo maris eſt vena magna, in medio corporis ſita, inſtar (b) fluminum in mare aquam deferentium ſunt venæ. Nec propterea non rectè eſt hæc facta comparatio, quia à mari non prodeunt flumina terram alluentia, ut à venà cava venarum palmites, per corpus univerſum ſanguinem diſpertientes: Inſtar enim terræ, aquam perpetuò fluentem diſſipantis, eſt totum ipſum corpus, carne textum, oſſibus fulcitum, & aliis partibus his affinibus, quæ omnia duplici calore munita, ſolo ſanguine nutriuntur. Cogita igitur tam grande corpus, quale hominis eſt, munitum calore uno interno, habitans fere ſemper in aëre ſiccante, & ſæpius ſub ſole, & ſæpe ad ignem, & ſæpe exercitatione utens, quæ omnia adjuvant ad humiditatem abſumendam, num viginti quatuor horarum ſpatio uncias duodecim ſanguinis poſſit conſumere?

§. 5. Sed, ut hoc facilius percipias, finge tibi in animum, aut rem ipſam facto ſic experire:

perire :

(b) Eleganter & cordatè *Hippocrates l. 2. de Corde; n. 5.* deſcribens cordis ventriculos, inquit, Hi ſunt fontes Naturæ humanæ. Hincque fluvii feruntur per corpus, quibus irrigatur tabernaculum. Hi verò vitam quoque ferunt homini; ſin autem exſiccentur, moritur homo.

(c) Hujus

perire: formato figulinum corpus, excepta ſcilicet terra, aut alio humore magis tenaci & lento, non æquè evaporabili ut aqua, idque ſtatera expende, & in cubiculum ſine ſole & igne in diem integrum reconde: poſtridie iterum librato, quo, intellecta differentia præcedentis ponderis & præſentis, colligas, quantum humoris abſumere poſſit humanum corpus, quod à gemino calore reſiccatur. At hîc ſtatim dicent aliqui parum conſiderate: In figulino corpore nihil eſt quod conſervet humidum conceptum, ſed in corpore humano eſt ipſe calor innatus, & anima vegetativa; quæ ut humidum radicale, & primogenium, & ſubſtantificum, & ſpiritus ipſos conſervat in vivente corpore, ita ſanguinem ipſum non ſinunt diſſipari. Certè hæc philoſophia arguta eſt, aliquam præ ſe ferens veritatis ſpeciem; verum inter mulierculas tantum, quæ quid ſit innatum calidum, quid humidum radicale, & quid tandem ſpiritus corpus gubernans, (de quibus omnibus plærique etiam fuſius, quam doctius & verius, ſcripſerunt, ut alias, ſi per otium licebit, demonſtrabimus) funditus ignorant. Verùm iis, qui ſciunt humana corpora regi à natura, & cætera compoſita ex quatuor elementis, dicta ratiocinatio non modo non veritatis ſpeciem feret, ſed rationis potius à veritate prorſus alienæ; cùm caloris cujuſque proprium ſit humidum exſiccare, ſive in halitum ſeu vaporem convertere, non conſervare.

*Objectio.*

*Reſponſio.*

§. 6. Sed profecto ex hoc philoſophorum genere

*Ridet ineptiam multorum Medicorum.*

genere Medicinam facientium, ac ſua freti ratione, nonnullos aliquando dicentes audivimus, trimeſtre requiri ad reficiendum duo parva ſanguinis vaſcula, qualia communiter adhuc hodie à Chirurgis ad ſanguinem detrahendum uſurpantur, quæ ſunt unciarum trium; dixiſſent potius, menſes quatuor, aut duos tantum, quo ſingulum vaſculum duos haberet integros menſes, aut unum tantum. Sed videbor alicui hoc comminiſci: ſed ſint mihi irata numina ſi mentior; imò non ab uno tantum Medico id audivimus, ſed à pluribus, qui hodie ſeptuagenariis, & octuagenariis, ſanguinem mittunt, quibus ſexagenariis id facere minime audebant propter ſenium, etiam trimis, & quadrimis nunc, cum ante decennium eos viderimus, niſi magna religione, fuiſſe auſos detrahere adoleſcentibus annorum ſeptendecim, non quatuordecim tantum, ut Galenus poſuit. Scimus hanc recordationem non placere plagiariis & lividis; tamen eam non diſplicere probis viris & gratis, non dubitamus, quos non ſolum delectat habere gratias iis, ex quibus aliquid boni acceperint, ſed & agere, & referre dum licet, & benigne commendare alienum opus, quod aliqua commendatione dignum putant, non dente leonino rodere.

*L. de cur. rat. per ſang. miſſ. c. 13.*

*Rationes Botalli ad probandā ſanguinis quantitatem notabilē quotidiè in corpore noſtro generari.*

§. 7. Verum iis omiſſis, eo jam redeat noſtra diſputatio unde defluxit. Atque ſi hæc, quæ diximus, non ſunt ſatis ad perſuadendum efficacia, adferamus alia artis lucidiora & ſenſibiliora, non immemores non eorum duntaxat

taxat quæ ſupra diximus, ſed & eorum, quæ aliquando à Medicis evidentiſſime cernuntur: nempe, multos homines & mulieres videri, aut à vulnere, aut à quovis alio ſanguinis effluvio adeo depleri, ut, ſi inſuper vel exiguus modus fuerit miſſus, neceſſario patiens intereat: ex iis enim Medici qui artem tractant, & exercitus præſertim ſequuntur, plæroſque vident, in quibus interim cibo, ut convenit, refectis, intra triduum aut quatriduum videntur venæ ſanguine munitæ. At non deeſſe Medicos ſcimus, ex iis qui aliorum ſententiis non facile accedunt, qui venas has non ſanguine munitas eſſe dicunt, ſed flatibus. Dii boni! quam ſæpe hoc inculcatur à quodam Medico, nimis adhuc hac in re timido, ſed olim profecto timidiſſimo & adverſiſſimo! Scitote ergo juvenes, non flatus eſſe, ſed materiam ad alendum corpus aptam, ſanguinem ſcilicet. Verumtamen in dies aliquot paulo ſeroſiorem, in reliquis ſyncerum & purum, præſertim dum id evenit ex vulnere ſuſcepto in corpore ſano, ut ſumus experti in præfecto Bernardino, cujus ſupra meminimus; & in aliis, quibus quinto aut ſexto die poſt, venam aperiri voluimus ex adverſo brachio, dum eas facile turgere videbamus dato loro, idque ad revocandum in alias partes ſanguinis curſum, ne denuo ex vulnere flueret.

*Ratio prima.*

*Venas à flatibus non repleri.*

§. 8. Præterea & ex ſanguinis profuſionibus, quæ fiunt per hæmorrhoidas, aut uterum, aut nares, quis non aliquando vidit in multis,

*Ratio ſecunda.*

multis, tum mulieribus, tum viris, excerni unius menſis ſpatio, ultra libras quatuordecim, quibus interim venæ inanitione non concidebant, imò appoſito loro ſtatim inſurgebant, ſanguinem fundentes, non ſpiritum; quamvis ſciamus etiam & ſpiritum? Imò iis ſummum eſt præſidium, crebrò, tum ad revellendum, tum ad evacuandum, ſanguinem impuriorem detrahere, quo purior (parcant aut potius diſcant, qui aliter cenſent) qui ſponte profunditur, & ad alendum corpus eſt aptior, detineatur. Quoſdam eſſe homines, qui neque libram unam in totum alimenti capiant ſingulo die, non ignoramus. Sed in his non diximus gigni quotidie libram: ſed exempla noſtra referimus ſemper ad corpus mediocris habitudinis, non ad ea quæ libra una cibi contenta ſunt, quæ nulla etiam eſſe ſcio diu viventia, niſi cibum tantum intelligas quod eſtur, non quod potatur: nam ſic plærique ſunt, qui ad libram cibi decuplum adjungunt meri ſeu alterius potionis; eſt autem & hæc cibus, ſeu alimentum, dum ea alimentoſa eſt, etiam ipſa mera aqua, licet modice.

*Objectio momentoſa ſolvitur.*

§. 9. Audi igitur, & animo concipe, tantam fieri quotidie in nobis ſanguinis generationem, quantam diximus, aut etiam majorem, & in magnis & obeſis corporibus etiam plus duplo. Sicuti etiam in lactante muliere vides, in hac plus gigni lactis quæ plus dat, quam in ea quæ minus; ſic etiam intellige, plus ſanguinis gigni in eo qui plus conſumit, quam in eo qui minus: plus autem conſumere

obeſum

obeſum & magnum, quam parvum, rationabile eſt. Nec valet dicere, obeſos minus aliis & abſumere, & cibo minore uti, quoniam frigidiores: Nam rariſſimos hos videas, pauco alimento & raro contentos, ut potius velint in horas roſtrum irrorari: ſed aliquanto minorem miſſionem hos ferre non obeſis, jam à nobis dictum eſt prius. *Supra pag. 156.*

§. 10. Verum quia diximus, eam mulierem plus lactis edere, quo plus dat, ſcimus poſſe reflecti: imo plus dat, quia plus habet. Utrumque verum eſt: neque enim ignoramus id fieri oportere prius. At ſcito, in ea etiam muliere plus gigni, quæ plus dat, quoniam, dum dare deſinit, deſinit etiam lactis major generatio. Quod ſimillimum fit à jecore, dum ſanguis fluit, aut mittitur, nempe poſtridie tantundem (ſi evacuatio non ſit inſignis) eſt reparatum. Quod quidem non fit in eo in quo non effluxit, aut non emiſſus eſt; quoniam id, quod in venis eſt, prohibet acceſſum novæ materiæ ad jecur, ſicuti lac, quod non emungitur, prohibet acceſſum ſanguinis ad ubera. Sed de iis iſta ſufficiant. *Arguta autoris reſponſio.*

## C A P. XXXIV.

*Refellitur puerilis eorum opinio, qui primæ ſanguinis detractioni plus tribuunt quàm reliquis.*

QUi nequeunt percipere hanc perennem, tamque copioſam ſanguinis generationem,

nem, putant etiam in corpore, quamvis ſenili, aliquid nativi & primigenii ſanguinis exiſtere, unde in miſſione ſanguinis putant etiam aliquid radicalis humidi (ut appellant) ſimul excerni: ex quo videtur orta illa opinio, adhuc nimis pueriliter à multis credita, & obſervata, quod prima ſanguinis miſſio, patientem liberet à quovis maximo morbo. (c) opinio ſane pernicioſiſſima, ut ante diximus. At ita credendum eſt, ſanguinem in noſtris corporibus tamdiu permanere quamdiu & urinæ permanent, aut paulo plus. Quid, quæſo, urina eſt aliud, quàm pars quotidiani cibi, per meſaraïcas venas aſſumpti, ad ſanguinem efficiendum? Ergo ſicuti hæc, quæ hodie excernitur, excrementum eſt pridiani cibi, & ea quæ cras hodierni, rationabile eſt etiam, & hodie, & cras, & aliis ſuccedentibus diebus, novum gigni ſanguinem, ut novam urinam, novum muccum, & cætera nova excrementa, quæ per corpus in dies excernuntur. Non enim hæc vetuſti ſanguinis ſunt, ſed recentis, excrementa, & ſanguis ipſe, qui hodie parti nutriendæ aſſimilatur, cras, aut perendie ad ſummum, erit reſolutus: nempe in vaporem, id quod in eo eſt tenuius, in craſſitiem verò cuti hærentem, quod eſt craſſius; ut patet ex furfuribus, à capite & barba decidentibus. Adeo ut ita fiat quotidie

*Error popularis.*

(c) Hujus vulgaris & erroneæ opinionis perniciem exagitat *Loubertus c. 13. partis ſecunda errorum popularium*, ſcribens, interea dum ejuſmodi patientes venæſectionem differunt, elabi occaſionem eam utiliter inſtituendi.

(d) Magna

tidie nova ſanguinis generatio & expulſio, ut in fontibus nova aquæ emerſio & emiſſio, permanente vi ſanguifica in jecore, veluti in mammis facultas efficiendi lactis, dum lactant, & in teſtibus faciendi ſeminis. Verùm quoniam ſanguinis generatio neceſſaria eſt in omne tempus, non autem ſeminis, & lactis; ideò nec in teſtibus infantium, nec ſenum, nec etiam in uberibus, omni tempore, æqua vis eſt, ſeminis aut lactis conficiendi, ut in jecore ſanguinis. Quæ etiam vis jecoris, licet eundo fiat imbecillior, non propterea tunc nos à miſſione ſanguinis dehortatur; ſed potius ad id faciendum, ut ſuperius diximus, magis ſuadet. Qui igitur hæc audit & examinat, & fieri aliter cenſet quàm diximus, ita ſe rem tenere intelligat, ut is qui ingens flumen, ſub glacie fluens, ſtare putat ſimul cum glacie immobili, littoribus utrimque hærente.

---

## CAP. XXXV.

### *Utrum ſanguis poſterius genitus priore ſit deterior.*

HUic dubitationi ſuccedit altera, qua diluta maximus accedet cumulus argumentis, noſtram ſententiam ſuſtinentibus, de crebro mittendo ſanguine in valetudinariis, & in ſenibus, & aliis omnibus quibus debet mitti. Quod tamen ſæpe non fit propterea

quòd putent, ac apertè dicant multi celebres Medici, ſanguinem novum veteri eſſe deteriorem; itaque quo rarius is mittitur, eo melius. Quod ratione probant, & ſimilitudine confirmant.

*Ratio adverſariorum.*

§. 2. Ratio eſt, quòd animalia, quo longius recedunt à ſuo ortu, eo etiam magis declinant à virtutibus iis, quæ calido innato ſuſtinentur: quod calidum, cum ſit cauſa efficiens ſanguinis, & maximum, teſtante Hippocrate, ſit in pueris, & procedente ætate minus, & in ſenio minimum; reliquum eſt etiam, ſanguificationem in dies fieri deteriorem, cum ipſæ virtutes ſanguificæ etiam temporis tractu deteriores fiant. Hanc rationem ſimilitudine iſta confirmant, nempe, idem contingere in corpore, in quo ſæpe vena tunditur, quod & in dolio vini pleno, ex quo ſæpe vinum trahitur, & aqua vini loco ſufficitur, unde tandem futurum eſt, ut dolium non vino ſit plenum, ſed mera aqua. Quam ſimilitudinem certè à multis Medicis ſæpe afferri audivimus, nimium ſibi, ſed aliis profecto parum, ſapientibus, cum per hanc oſtendant ſe tam parum perſpicaces, ut videre nequeant quam ſit hæc ſimilitudo omnino abſurda & ruſtica, quaſi in cado ſit vis aliqua vinum producendi, ut in jecore ſanguificandi, & eadem ſit aptitudo aquæ ad vinum, ut chyli ad ſanguinem; & eadem ſit in ſitula, per quam funditur aqua in cadum, facultas concoquendæ aquæ ad vinum faciendum, quæ eſt ventriculi, & inteſtinorum, & venarum

*Aph. 14. l. 1.*

*Eorundem ſimilitudo.*

*Refellitur horum opinio, & ſimilitudo.*

natum ad coquendum chylum quem fundunt, aut ferunt ad jecur, opificem & fontem ſanguinis. Ecce ergò quam ſit à re ipſa diſſimilis ſimilitudo hæc.

§. 3. Nunc ratio examinanda eſt; quæ in ſe quidem vera eſt, ſed ad præſentem locum inepte allata. Calidum innatum eſſe cauſam moventem & efficientem ſanguinis, id jam diximus: majorem eſſe in pueris, quam cæteris ætatibus, non eſt admodum certum, imò contrarium (d) cenſeo: ſed id clarius & fuſius alias oſtendemus, licet multa de hoc & à Galeno, & aliis multis fuiſſe ſcripta non ignoremus. Paradoxologum me dices: talem me ſemper

*Ratio eorundem infirmatur.*

*Botallus Paradoxologus videtur.*

(d) Magna in Scholis eſt contentio, utrum intenſior ſit calor in pueris, an in juvenibus, ut videre eſt apud *Valleſium. lib. 1. Controv. cap.* 8. qui tandem fateri cogitur, pro utraque opinione eſſe argumenta valde probabilia, ut mirum non ſit, fuiſſe *Galenum* admodum incertum & fluctuantem, in determinanda hac lite, ut liquet *ex l.* 2. *de Temper. c.* 1. Pronunciat tamen pro prima ætate, ſeu pueris, in *Comment. ad Aph.* 14. *l.* 1. Verum ſi quis accuratè expenderit, quæ ibidem dicuntur, videbit Galeni argumenta peti à blanditie & jucunditate caloris in pueris, tum etiam ab aërea & aquoſa ſubſtantia, quæ in iis adeſt plurimum, tum quod horum calor nativus ſit, Iuvenum verò adventitius: Hæc autem talia non ſunt, ut Botalli noſtri ſententiam infringere valeant, qui ſtatuit, plus caloris ineſſe, etiam nativi, in ætate juvenili & virili quàm in reliquis, quia ſolidiores & copiſiores cibos promptius concoquunt, crudiores humores ſuperant & digerunt felicius: quæ omnia caloris ſunt effecta, indicantque illius robur ac vigorem. ubi autem major vis eſt caloris, ibi neceſſario intenſior qualitas, imò plus etiam ipſiuſmet ſubſtantiæ igneæ. quod verò attinet diſtinctionem inter nativum ſeu inſitum & acquiſititium; ſiquidem,

V 2

ſemper præbebo & exhibebo, pro æquitate & juſtitia, paratus interim modeſtam reprehenſionem ſine iracundia ferre, & ſententiam mutare in melius, ſi contigerit. Suus eſt cuique ætati calor innatus, pueris ad conficiendum lac pro ſui nutritione; adoleſcentibus, & viris, proprius, ad concoquendum ſolidiores & copioſiores cibos; & ſenibus etiam ſuus & proprius, ſuus, inquam, non ſpecie diverſus, ſed facultate vel viribus. Sat igitur nunc nobis fuerit dicere, exiſtimandum eſſe, in eo plus caloris vel calidi nativi exiſtere, in quo major vis fuerit copioſioris & firmioris cibi concoquendi, & ſanguinis conficiendi: quæ vis potior videtur in ætate juvenili & virili, quàm in cæteris. Hæ itaque ætates ſunt, quæ & maximas ſimul & diſparatas, ſupra reliquas ætates, ferre poſſunt ſanguinis evacuationes. At deteriorem (ut ad rem redeam) ſemper gigni poſteriorem priore, falſum eſt, quamvis in ſenio pejor fiat quàm in præcedentibus ætatibus; ſed non deterior in juventute, quàm in adoleſcentia, & pueritia.

§. 4. Sed eſto pejor adoleſcentis quàm pueri, & viri quàm adoleſcentis, & ſemper ab origine abeat in pejus ſanguinis generandi vis, & ſan-

ſiquidem de ſanorum calore ſermo ſit, non minus erit ille innatus qui in ſecunda eſt ætate, ac is qui eſt in prima, quoniam videlicet calidum noſtrum in perpetuo eſt fluxu à primo uſque vitæ primordio, ut ſcitè diſſerit *Cl. Couring. lib. de Cal. Inn. c. 3. & 22.* alias certum eſt, à copia humoris retundi in pueris caloris efficaciam, & ſic ad tactum ſentiri blandum & moderatum.

(e) Hanc

& ſanguis etiam hodiernus pejor heſterno; num idcirco probaverint ſanguinem qui hodie gignetur, eſſe pejorem eo qui manè emiſſus fuit? ita eſt, inquis: at falleris; quoniam ſimilis eſt utriuſque generatio, ſi corpus ipſum ſimiliter ſe habeat. Verùm ſicuti puriſſimi & ſynceriſſimi fontis aqua eo purior eſt & ſyncerior, quo propior ſuæ ſcatebræ fuerit; ita ſanguis eo melior, quo vicinior jecori, & ex conſequenti deterior, quo diſtantior: tum, quia, quo magis abeſt, eò minus fruitur jecoris facultate; tum, quia agitatione membrorum, & externo frigore aut calore, alterari etiam ſoleat. Si vis contendere, habebis amplius quod ſic reſiſtas; imò quo longius (quia diutius in corpore moratur) eo etiam melior, quoniam & facultatem ſanguificandi ipſis (e) venis ineſſe à quibuſdam creditur; quod ſi verum eſt, rationi etiam eſt conſonum, non deteriorem fieri ſanguinem, à jecore recedentem. Sed, meliorem ineſſe venis ſanguinis efficiendi vim, credibile non eſt; cum ſit certiſſimum, unius ad unum, ut ait Ariſtoteles, opportunum eſſe inſtrumentum. Ad ſanguinem igitur gignendum eſt jecur, ad deferendum verò venæ.

*Inſtantia.*

*Solutio.*

*Inſtantia nova.*

*Solutio.*

§. 5. Sed ſi rationi credere non vis, quod laudo, niſi à re ipſa confirmetur, crede authoritati ſummi artificis Hippocratis, præterea expe-

(e) Hanc quæſtionem plene tractatam vide apud *Laurentium, lib. 4. quæſtion.* 2. & *Couringium lib. de ſanguin. generation. & motu, cap.* 19.



(f) *Val-*

*Galenus in Hippocr. de rat. vict. in acut. comm. 2. tex. 10.*

experientiæ. Cur obſecro Hippocrates & Galenus dixerunt ſanguinem in pleuritide eſſe eouſque detrahendum, donec ex nigro & impuro purus & ruber exeat? num quia cenſuerint internum externo eſſe puriorem; an contra? Sed non dixerint hoc illi; quærendæ ſunt authoritates, & rationes ad aliquid confirmandum, *an ſit*, dum res ipſa ſenſibus ſubjici minimè poteſt, non ubi poteſt: At id nos quotidie videmus, quod tamen minime conſpici ab iis Medicis ſcimus, qui putant totum ſanguinem in univerſo corpore ejuſmodi eſſe, & eum qui in magnis & internis venis eſt, & eum qui in externis & juxta cutem diſſeminatis. Quo errore ſeducti, interea dum trahendo quod ſat eſt, ad ſanguinem repurgandum, timent una animam exhaurire, mille ſinunt apertiſſime, à ſanguinis colluvie & copia, ſuffocari. Cujus rei, etſi multa adferre poſſum exempla, unicum tamen dignum auditu recitabo feliciter ſucceſſum, non meo conſilio neque nutu, ſed ſolius patientis, contra medicorum ſententiam & conſenſum.

*Hiſtoria cujuſdam Iuriſperiti conſilium Botalli expetentis.*

§. 6. Anno præterito, menſe Julio, me conſultum venit, præ ſcabie, homo ſeptuagenarius, legum peritus, qui interrogatus à me de ſua vivendi ratione, & præterita valetudine, mihi narrat à multis annis ſe quater quinquieſque in anno ſibi jubere ſanguinem mitti ad libram unam, vel circiter, pro qualibet vice; hac, inquit, occaſione, quòd cum juvenis ſtudiis operam navarem, gravi podagra eaque diuturna correptus, & jam multis purgantibus medica-

medicamentis vexatus, Medicos rogo, ut in me ſanguinis miſſionem experirentur. Illi genus morbi, quod catarrhum nuncupabant, id non poſcere dicunt. Tandem perſeverante, & in dies magis ingraveſcente malo, ipſe illis invitis mihi venam aperiri jubeo; ex quo auxilio magnam doloris lenitatem, & tumoris declinationem, percepi. Poſt aliquot dies denuo ad idemmet auxilium, Medicis repugnantibus, recurri, ex quo priſtinæ valetudini fui reſtitutus. Poſt aliquot annos, redeunte morbo, corporeque medicamentis, Medicorum conſilio, repurgato cum modico fructu, de mittendo ſanguine verba Medicis facio; quibus diſſentientibus, ipſe mihi illam impero, ad eamque poſt triduum recurro, unde ſimiliter, ac primo, liberatus ſum. A quo tempore ut morbos prævenirem, ter quaterque mihi venam reſerari volui, & ſi aliquando temporibus interjectis dolor aliquis accederet, protinus is delebatur, & deletur dicto auxilio celebrato: cujus beneficio, per Dei benignitatem, à podagra videor liberatus. Quam curandi rationem Medici mirum in modum mihi vituperabant, dicentes, me nimium meam valetudinem & vitam parvi pendere; futurum enim, ut per hanc viſum tempeſtivius extenuarem & amitterem, & ſenii adventum ante virilitatem maturarem. Quibus dum dicerem, me nulla unquam fuiſſe uſum Medicina tam ſalutari, dum graviſſimis doloribus urgerer, ipſiſmet teſtibus, & à qua minus corporis vires lædi viderentur, atque hac ipſa:

Reſpondebant, non eſſe æquum, ut tantopere allectus illecebris præſentis utilitatis, valetudinem & vitam meam exponerem noxis de proximo venturis. Ego ad illos: Vos ſæpe audivi dicentes, dum leniuſculè à medicamentis haberem, id eſſe mihi in bonis ducendum; optimam autem eſſe eam indicationem auxiliorum, quæ à juvantibus & lædentibus ſumitur. Hanc itaque mihi, doloris impatientiſſimo, ſequendam propoſui, cujus ego beneficio, poſt divinam gratiam, ad hanc uſque ætatem ſeptuagenariam perveni, firmiter, ut vides, per urbem ſemper pedes incedens, non indigus ſpecillis ſcribendo, aut legendo, quamvis minutiſſimas legam literas. Medici, qui tres erant, omnes ab annis viginti interierunt, longe juniores quam ipſe nunc ſum. Quod ſi vacarem præſenti ſcabiei moleſtia, viderer æque mihi tam firmis eſſe corporis viribus, quam eſſem ab hinc annis triginta. Hujus occaſione (inquit) te conſultum veni potius, quam alios, in mittendo ſanguine timidiores; ut intelligam abs te, num liceat mihi iis magnis æſtubus canicularibus, & ter jam à menſe Januario phlebotomato, iterum ſanguinem detrahi, aut quid mihi ſit opus facto. Ego illi ex utroque brachio eſſe mittendum dico, poſtridie ſcilicet ejus diei ex dextro, ad uncias ſaltem decem; ſecundo die, uno ſcilicet die interjecto, ex ſiniſtro ad parem ſanguinis modum; deinde corpus lavandum ex aqua ſimplici & mediocriter calente. Quod præſtitit, & liberatus eſt. Tam veram profecto narravimus

vimus hiſtoriam, quam certum eſt ſolem lucere: nomen interim celare voluimus, ne ſimul cum facto etiam artifices, licet vita defunctos, velle vituperare videamur: hominem interim indicabimus roganti. At vides, quàm ſæpe Medici ſuis in opinionibus decipiantur, niſi maxima prudentia, rerum uſu conquiſita, ſingula expendant & judicent.

§. 7. Ergo tum ex hoc exemplo, tum ex illo fratris mei, & aliis multis ſuperius notatis, tum ex Hippocratis & Galeni authoritatibus, tum ex rationibus jam à nobis dictis, ſumendum eſt, neque omnem ſanguinem ejuſdem eſſe puritatis vel impuritatis in corpore universo; neque eum qui poſterius gignitur, ſemper eſſe deteriorem priore, niſi conferre velis eum qui in ſenio, cum eo qui in juventute, vel aliis antecedentibus ætatibus fit; aut eum qui in ægrotante & intemperato, cum eo qui bene valet aut temperatus eſt. Quare timere non debemus in ſanguinis impuritate, & quavis hominis ætate, ſi vires patiantur, ſanguinem moderatè detrahere, rati tam in hac Medicina, quàm in reliquis, indicationem quæ ſumitur à juvantibus & lædentibus, eſſe obſervandam & amplectendam. Porro tamen in hac ſæpiſſimè contingere error poteſt, præſertim cum non juvat, aut gravior poſt eam fit morbus, aut quia is in ſuo vigore properat, aut quia exigua detractio eſt; nam tunc iteranda, aut fortè etiam geminanda, licet prior aut morbum non minuerit, aut ejus incrementum non prohibuerit: At dum utilis

Cap. 2. §. 4.

manifeſte eſt, morbum tamen non ſolvit, & impuritas adeſt, non amplius hujus metuenda eſt repetitio, quàm medicamentorum purgantium. Ex ſecta autem vena promiſcuè ferri tam bonum quàm malum, ut quidam ſæpiſſimè inculcant, certum eſt, ſi de eo ſanguine intelligas in vena ſecta, & ſectioni proximis, exiſtente, quem ſemper deteriorem eſſe ſcimus eo, qui in venis majoribus eſt, & eo, qui poſt emiſſum ſanguinem gignitur. Quare Medicus, qui timet ex hoc detrahere, quia in eo promiſcuè aliquid ſit quod utcumque alere corpus poſſit, certè is perinde robori ægrotantium conſulit, ut tribunus militum robori ſui exercitus, dum aditum, quem ſtrenuis militibus intercipit, meretriculis & caculis præbet patentiſſimum. At & hi vires exercitus ſemper minuunt, non augent, & ſcelerati homines nunquam reipublicæ bene faciunt, ſed malè: Ita corruptus & vitioſus ſanguis, corporis valetudinem infirmat & affligit. Interim, etſi præſtaret hunc abeſſe à corpore potius quam ineſſe, non tamen ſi multus eſt, ut ſupra docuimus, confertim totus eſt eximendus, ſed paulatim; ut etiam è republica mali homines ſunt paulatim diſſipandi, ſi magna vis illorum eſt.

*Solvitur Medicorum communis objectio.*

CAP.

# CAP. XXXVI.

## *Medicos tum veteres, tum recentiores, deliquiſſe potius in defectu mittendi ſanguinis, quam in ſuperflua evacuatione.*

Dilucide ſatis, meo quidem judicio, oſtendimus, Medicorum vulgus multis modis errare, in parcius & tardius mittendo ſanguine, quàm conveniat. Jam examinandum eſt, num & aliquando peccet, aut peccaverit in contrarium. Non enim, quamvis multum & parum, celerius & tardius, contraria ſint, non poſſunt tamen non aliquando contraria ab eodem artifice diverſis temporibus fieri, ut videre eſt de aliquibus Eraſiſtratæis ſive Theſſaliis, qui, ut Galenus ait, cum prius miſſioni ſanguinis maximè adverſarentur, poſtea converſi ad contrarium vitium, multos jugulabant ex iis, quibus, Galeni exemplo, mittere illi volebant ad animi deliquium. *Lib. de venaſect. adverſus Eraſiſtrat. c. 1. & 6.*

§. 2. Peccaſſe aliquando veteres in largiore miſſione, tanquam dogmatum aut præceptorum, ſive ſectarum, ſequaces, minimè conſtat, ut in contrarium. Fuiſſe autem phlebotomiam in uſu ante Hippocratem, certum eſt, cum dictus author hanc familiarem jam habere videretur, non tamen ut inventor, ſed ut ſectator. In qua ſequenda & uſurpanda ſi quid deliquit, id fuit potius, ut oſtendimus ſupra, in contractiore, quàm in nimium redundanti. A qua Hippocratis mittendi ratione detrun-

*Celſus præf. l. 1.* detruncata, longius item declinantes Chryſippus & Eraſiſtratus, (qui poſt Hippocratem illuſtri ſuis temporibus fama claruerunt) hoc ſanctiſſimum auxilium, magna mortalium injuria, fere à tota medicina excluſerunt. quod ſæculis poſterioribus, illius contemnendi, aut nimium timendi, anſam dedit: donec Galenus (qui ut hos tempore eſt ſecutus, ita & eos doctrina ſuperavit) horum fallacias redarguendo, ſepultum ferè auxilium in lucem clariorem, quàm unquam antea fuiſſet, revocavit. Verùm ſicuti nemo medicorum, Hippocratis veſtigia hac in re ſequi eſt viſus ante Galenum, ſed illum potius inique reprehendere, (ut ex Galeni libris diſci poteſt) & calumniari; ita etiam neque Galenum, qui rectius omnibus iis, qui illum anteceſſerunt, ſcripſit, vix quiſquam eſt imitatus, imò timiditate imbuti omnes, qui ſcripſerunt ſcilicet, & à nobis viſi ſunt, infra modum ſubſtiterunt potius, quàm ſupra exceſſerint. Quod autem horum duorum ſit vitioſius, infra nempe ſubſiſtere aut excedere, quæri poteſt.

*Laudabilius eſt, parcius ſanguinem mittere, quam copioſe.* §. 3. Certè, ut inter moralia id minus vituperabile eſt vitium, quod virtuti magis aſſimilatur, ut audacia & prodigalitas, quia illa magis ad fortitudinem, hæc verò magis ad liberalitatem accedit, quàm timor aut avaritia; ita etiam hac in re id eſt magis fugiendum, quod longius recedit à naturæ ordine & auxilio. Longius autem abeſſe à naturæ ratione vacuum eſſe hominem ſanguine quàm plenum, nemini dubium eſſe debet, quamvis & plena

plena vaſa in vivente homine nullo modo eſſe poſſint. At ſæpe accidit, ut accedente hac plenitudine, priuſquam ea ſuffocet, natura aperto vaſe aliquo hominem liberet ab interitu: Sed ſupervacuæ & irreparabili evacuationi, non habet natura quod ſufficiat in locum amiſſi, niſi ex indito cibo, quo tamen etiam illa non fruitur, dum ſupra modum ex inanitione reddita eſt languida. æquius eſt igitur infra modum peccare quàm ſupra.

§. 4. Sed quia medium, quod intra hæc duo extrema eſt poſitum, quod moderatum, & quantum ſat eſt, & quantum convenit, & aliis ſimilibus nominibus deſcribi & appellari ſolet, inventu difficillimum eſt, ut antea dixi, & error qui fit infra modum, quia non facile retegitur, ut alter; ita neque authorem criminis redarguit ut alter: Ideò quiſque mavult centies peccare (non ex animo quidem, ſed calumniæ metu) in id quod nullum adferre vituperium poteſt, quàm ſemel in id, quod vel jure, vel injuria poteſt. Quæ res in cauſa eſt, ut centum hominum millia potius intereant, aut defectu detractionis, aut tarditate, quàm unus ex ſuperflua evacuatione, à medicis imperata. Cauſa eſt, quoniam dictus morbus medicorum & ægrotantium omnium animos poſſideat: Audacia verò, ſeu confidentia detrahendi, pauciſſimos aut nullos. Et quod ad me attinet, quem plærique, livore perculſi potius, quàm juſto neque apparente aliquo fulti argumento, ſuſurro iniquo, dicunt eſſe audaciorem; miſerè peream, niſi me timidum

*Cur multi intereant potius ex defectu detractionis, quàm ex ſuperflua evacuatione.*

*Botallus ſe timidium judicat in ſanguine mittendo.*

timidum eſſe, & credam, & recognoſcam, ratus, me nunquam peccaſſe in nimio, dubius aliquando deliquiſſe in pauco.

*Maſterus primarius Anglorum Reginæ medicus.*

§. 5. In hoc calumniæ periculo eruditus Maſterus, vir integerrimus, & primarius medicus Sereniſſimæ Anglorum Reginæ, ſe extitiſſe ob ſanguinis miſſionem præſtitam in quodam Illuſtri viro, mihi nuntiavit. Is enim, ubi libellum meum, à me illi datum, legiſſet, hæc mihi dixit; Deum teſtor, Botalle, ſi vellem per ſexcentos coronatos non legiſſe hunc tuum libellum! nam ſemper, inquit, exiſtimavi, timidiores eſſe medicos in mittendo ſanguine, quàm ratio ipſa poſtulet: qui timor ita etiam & animis omnium hominum hujus regionis inhæret, ut ſtatim ægrotantium affines, ſi mittendus ſit ſanguis, in Medicum invehantur qui proponat, & gravius in eum, qui de repetendo verbum fecerit, adeo ut ab hinc aliquot menſibus in maxima fuerim animi moleſtia, ex ſanguinis miſſione in quodam magnate, meo conſilio, inſtituta; quam niſi Deus bene vertiſſet, paratiſſima erat mihi ignominia, peccato gravior: cujus interim remedii beneficio curato ægro, gloriola quidem ſecuta eſt, at profectò non tanta, quantam videbam mihi paratam calumniam & maledicentiam, ſi vis morbi auxilium ſuperaſſet. Deus bone! quam ſæpe ac ſæpius me in ſimillimo tædio comperi, quibus locis, ſi æquè timidus fuiſſem atque alii qui aderant, aut ut eram ante annos quindecim, ſcio, ( ſi aliquid ſciri in medicina poteſt ) multos hodie vivere,

vivere, quos mors abſtuliſſet. Sed ad quæſtionem redeo, aſſerens, non conſtare ſaltem mihi, veteres ſcriptores, neque etiam novos, erraſſe in ſuperfluentia detractionis, ſed in ſubſiſtentia plurimum.

## CAP. XXXVII.

*Utrum purgatio phlebotomiam præcedere debeat, vel contra: Ad hæc, an phlebotomia celebrari poſſit, nulla præcedente, aut ſubſequente, purgatione.*

ACcedunt aliæ duæ quæſtiones non indignæ examine, Utrum purgatio miſſioni ſanguinis, an hæc illi præponi tempore debeat, dum utraque eſt opus: &, An ſanguinem mittere, ſine ulla purgatione aut præcedente, aut ſequente, conveniat.

§. 2. Scio à Galeno dictum fuiſſe, *comment.* 1. *in* 6. *Epid.* §. *quieſcere.* (f) præferendam eſſe venæ ſectionem; quod tamen conſilium à nullo Medico noſtræ tempeſtatis ſequi vidimus, niſi aut noſtro exemplo, aut ſaltem ab eo tempore, quo nos id in uſum redegimus. Quo interim argumento, quove defenſore utatur, qui ſecus facit, certè neſcio, cum nunquam

(f) *Valleſius. l.* 7. *controv. c.* 9. levem hanc vocat controverſiam, quam ita decidit: Si utroque auxilio eſt utendum, miſſio ſanguinis convenientius præcedit, poſtquam enim ſanguis miſſus eſt, evacuata copia ac deonerata natura, viiſque redditis laxioribus, melius fit expurgatio.

(g) Mo-

quam venam ſecare in quoquam audeant, niſi prius aut plenè purgato corpore, aut eo ſaltem minorativo, ut vocant, evacuato. Quæ conſuetudo non minus Galeno, ut dixi, neque Hippocrati probatur, nec etiam ab experientia confirmatur, quàm ea quæ temerè, & ſine ullo recto judicio fiunt; quorum tamen nonnulla aliquando optatum finem conſequuntur. Ergo ut ſenſum Hippocratis & Galeni hujuſce negotii aperiamus, dicit Hippocrates *lib. acut. num.* 36. *in hepatis doloribus, in ſplenis gravitatibus, in doloribus ſupra ſeptum transverſum natis, in inflammationibus, & in morborum collectionibus, inchoandum eſſe à vena ſectione, inde ad clyſteria veniendum, mox ad purgationes.* Quòd ſi ordinem perverteris, futurum ut lædas, non adjuves. In febribus omnibus putridis etiam eſſe anteferendam, multis *Methodi locis, & l.* 1. *de art. cur. ad Glauconem, c.* 10. & 11. dixit: & in arthritide, X. *comp. med. per loca: c.* 2. & in cancro, & in elephantiaſi, *l.* 2. *de arte cur. ad Glauconem c.* 10. *& lib. Quos purgare oportet*; & in malignis ulceribus, 4. *de comp. med. per genera c.* 1.

*Oſtenditur authoris ſententia ex Hippocratis & Galeni diverſis locis.*

4. M. M. c. 6.
XI. M. M. c. 15.

§. 3. Inepta igitur, & ſine ullo patrocinio eſt dicta Medicorum noſtri ſæculi conſuetudo, levi duntaxat, imò & leviſſima ratione ſuffulta, nempe, ne quidquam crudi à meſaraïcis venis rapiatur in jecur. At hoc incommodum nullius eſt momenti, ſi cum eo conferatur quod ſequitur purgationem, phlebotomiam antecedentem. Nam ſicuti per illos, à phlebotomia aliquid inutile ab inteſtinis in venas meſarai-

*Inanis Medicorum ratio, & communis opinio Refutatur.*

meſaraicas trahitur, quod & perexiguum eſſe poteſt, & ad nimium exceſſivas detractiones tantum conſequens: ita per purgationem, ſanguinis aliquid, ex eo qui in artuum venis eſt, in magnam recurrit, & ad magna viſcera. Ex quo majus damnum ſequi poterit, quàm ex altero: tum quòd nocentius eſt id quod in ſanguine eſt corruptum, quàm id quod in cibo eſt crudum, ſi alterutrum in corpus feratur; tum quòd motus crudi chyli in meſaræum, ſit naturalis & conferens; ſanguinis verò artuum (g) in magnam venam, præter naturam & nocens. Adde, quòd in agitatione à purgatione facta, ſanguis commiſceatur, qui per quietem, ut diximus ſupra, ſecernitur, & quod in eo impurius eſt, in partes ignobiliores tranſmittitur. Verùm in nonnullis purgationem eſſe anteferendam concedo, ut in iis, in quibus potius humorum colluvies, quæ in ventriculo & inteſtinis latet, cauſa mali oſtenditur, quàm ea quæ in venis eſt. *In quibus purgatio præmittenda ſit phlebotomiæ.*

§. 4. Qui putant purgationem aut ante, aut poſt, eſſe neceſſariam, eandem etiammet cauſam adferunt, quàm antè diximus; ne, ſcilicet, quod eſt impurum, aut ſaltem crudum, ubi detractus ſanguis eſt, in venas rapiatur; *Alia communis medicorum Opinio. Refellitur.*

(g) Monendus eſt Lector, hallucinari autorem noſtrum, dum ſtatuit, motum ſanguinis è venis artuum in venam magnam, eſſe p.n. cum hoc ad oculum doceamur quotidie fieri in ſanguinis circulatione *Harvejana*; imò *Riolanus* ipſe, qui parum *Harvejo* favet, idemmet concedere cogitur *lib. de ſang. circ. cap.* 17. Conſule *Harveji Exercitat. c.* 13. & *VValæi Epiſt. primam* §. *Ne tamen ullus.* & videbis adducta experimenta, quæ hactenus reprobare nullus potuit.

piatur; ne detur, inquiunt, vacuum. Dii boni! quàm ſunt ii acuti inveſtigatores abſtruſarum cauſarum! Decipimini, ô philoſophi, in hoc, fallacia ſimilitudinis: non enim in his quæ concidunt & cedunt, dum quid ex iis educitur, hæc ratio locum habet, ut in iis quæ ſoliditate ſua firma ſtant, quod exemplo oſtendemus. Non enim ut ex pyxide eburnea, aut marmorea, aut vitrea, aut alterius ſolidæ materiæ, quidquam detrahi non poteſt, niſi ſuccedente aliqua alia materia, puta vel aëre, vel corpore altero in locum detracti: ita neceſſe eſt fieri, dum oleum vel aqua, vel liquor alius ex culeo, vel veſica, vel quovis alio vaſe, in ſe concidente, eximitur; quoniam in his ſuperficies locantis, locatum recedens ſequitur, quod non fit in ſolidis: quæ res ſenſu manifeſtiſſime percipitur. Ita, ſanguine detracto, non eſt opus ea ratione aliquid intra venas ferri, ſed trahunt hæ crudum, dum famelicæ ſunt; ſicuti ventriculus famelicus, pati nequit cibum diu mandi, neque in ore diu retineri, ſed illum in os receptum devorare ſtatim inhiat. Reſpondebis jam, nos convenire in facto, ſed diſſentire in ratione tantum. Imò æque in illo, atque in hac, diſſentimus; quoniam illud non fieri concedimus, dum arte ſanguis mittitur: ſed, dum fieri contingit, id dicta à nobis cauſa evenire, & non alia contendimus. Cur autem illud minimè fiat ex ſanguine arte detracto, hæc eſt ratio: quoniam, dum ſanguis mittitur, ea ratione mittitur, quia gravat, vel ſua mole, vel vitio, vel

*Et ſimilitudinis fallacia oſtenditur.*

*Quando vena crudum ſuccum attrahant.*

*Reſponſio eorundem.*

*Impugnatur.*

vel utroque; at tunc famelicæ venæ non ſunt, ſed potius avidæ rejiciendi oneris, non novi attrahendi. Reſpondebis item, te minime dicere, venas attrahere crudum, dum ſanguis illis ineſt, ſed dum, vena ſecta, detractus eſt. Hîc dicimus, neque etiam ſic crudum ab illis trahi, quoniam non tanta copia arte mittitur, ut venæ, inanitione excæcatæ, cogantur cibum trahere, priuſquam is ſit præparatus. Et ſi tam largè te detraxiſſe videas, aut detracturum te putes, ut ad eam ſibi neceſſitatem internas venas deductas aut deducendas eſſe credas, ſorbile & facilis concoctionis & diſtributionis exhibe alimentum, & ſic venæ non trahent aliquid, quod ſua cruditate obeſſe poſſit.

*Alia Reſponſio eorundem. Rejicitur.*

§. 5. Sed video, quàm latè pateat campus lividis & inexercitatis ſciolis, nos inſimulandi audaciæ & temeritatis; qui, ſi æquitatem ſequi aliquando poſſent, certè in hoc juſtius ſemetipſos, ut timidos (h) Menodoteos, vel Eraſiſtratæos, aut ut audaces & ignaros Aceſianos, aut ut inertes & contumelioſos invidos accuſabunt, quàm nos temeritatis aut audaciæ; à quibus vitiis nós perpetuò & ab ipſa adoleſcentia fuiſſe alienos certò ſcimus, diſciplinam ipſam medendi omni induſtria ſectantes,

*Querela Botalli de quibuſdam ſui temporis Medicis.*

(h) Quis fuerit Menodotus, legere eſt apud *Galenum lib.* qui inſcribitur *Empir. informatio*, *c.* 13. Idem peculiari libro Eraſiſtratæos inſectatus eſt: quam verò imperitus Medicus fuerit *Aceſias*, hinc colligere eſt, quod communi proverbio dicatur, ſi quando res in deterius vergat, quo magis accuretur, *Aceſias medicatus eſt*. Vide *Eraſ. chiliades*.

 (i) Idem

*Præceptores Botalli.* ſtantes, ſub bonis præceptoribus, Cardano, Brandaporo, Archangelo Lanfrancano. Antonio Janua, Tomitano, Cellanova, Delphino, Juſſano, Paterna, Friſimelica, Trincavellio, Francanzano, Bellocato, Fallopio, & aliis olim in celeberrimis Ticinenſi (in qua laurea donati fuimus) & Patavina Academiis, medicinæ profeſſoribus clariſſimis: Poſtea curationes (i) ægrotantium, qui ſe noſtræ fidei crediderunt, ea æquanimitate ſubeuntes, eaque diligentia, ratione, & felicitate proſequentes, ut ſine mendacio dicere poſſimus, nullum hactenus nobis medendo ſucceſſum infelicem accidiſſe, qui nos jure aliquo potuerit aut temeritatis, aut audaciæ redarguere, aut animum noſtrum aliquo, vel minimo, conſcientiæ ſtimulo divexare. Quod profectò non noſtræ prudentiæ, ſed benignitati divinæ referendum eſſe ingenuè fateor; non ignarus, omne bonum à patre luminum deſcendere, non ab humanis manibus, vel mente mortalium, emergere. Non igitur nos ex ſpecubus aut pagis ad faciendam medicinam, in Regis Chriſtianiſſimi, in Reginæ, & in Ducis Andium Regis fratris, aulam venimus, aut ad ſcribendum de ea acceſſimus, ut plærique noſtri ſæculi faciunt, qui ubi primum à ſcutica hypodidaſcali receſſerunt, ad medicinam ſtatim, alieno periculo & faciendam & docendam, prorumpunt. Ergo ſi artem ſectando, ægriſque medendo, temerarius probis viris minimè

*Ubi laurea donatus fuerit autor.*

*Autoris pietas.*

*Iac. 1. 17.*

(i) Idem de ſeipſo teſtatur *Galenus* IX. *M. Med. c.* 4.

(k) Tacit

nimè videri poſſum, qua in re igitur temeritatem præ me fero? aut ſi aliquando tales viſi ſumus, proferant in medium. Nam etſi aliena peccata retegere, quodammodo inter probos viros ſpeciem ferat hominis, ad maledicendum potius ſtudioſi, quàm ad rectè faciendum propenſi; tamen aliquid etiam juſti & boni in ſe habet hæc accuſatio, & alieni erroris revelatio: ex qua id recti conſequi poteſt, cum, ut boni homines deceptorem recognoſcant, tum, ut deceptor à malefaciendo deſiſtat.

§. 6. Verùm enimverò hoc unum nos conſolatur, quòd certè ſciamus neminem eſſe, qui noſtros errores in medicina facienda nominatim retegere ſuſcipiat, qui non ſe potius iniquiſſimum calumniatorem præbeat, quàm vel modicè juſtum accuſatorem, aut æquum reprehenſorem oſtendat. Ut Medicus quidam, amicus (ut dicebat) noſter, qui cum ægrotantem quartana ſexdecim menſium laborantem, quem à medicamento, à me illi inſtituto, vomentem reperit, & medicamentum vehementer improbaſſet, paulò poſt mihi obviam factus, me ſalutans, dixit: Mox eram apud talem ægrotantem, quem quum graviſſima vomitio torqueret, aliqui adſtantes illum perterrefaciebant, ex medicamenti ſpecie & violentia; ſed ego interim curavi ſcandalum hoc leniri, & ſuſpicionem mali ex patientis animo dimoveri. Ego rogo, quinam eſſent ii, qui tam facilè de re incognita judicium ferrent, num eſſent pharmacopœus, qui ſe nunquam

*Autoris candor.*

*Medici cujuſdam fucati calumnia.*

id medicamentum confeciſſe dixerat? Ille, non, inquit, ſed alii mihi incogniti. Ego huic ago gratias ex amici officio, quod dicebat ſe in hoc negotio feciſſe. Accedo ad ægrotantem; hora erat circiter tertia à meridie, autumni tempore, quem hilarem invenio: rogo de medicamenti effectu. Ille, quinquies ſe dejeciſſe narrat ſine ulla moleſtia, evomuiſſe bis lutea, virentia, amara, acida, viſcida, quibus ſentiebat antea ventriculum perpetuo opprimi, nunc verò melius ſe habere, quam à multis menſibus fecerit. Ego hîc illum rogare cœpi, quis eſſet is, qui, dum vomeret, de medicamenti violentia illum perterrefaceret? ille modeſtè negare cœpit quemquam fuiſſe. Ego culpare pharmacopœum: ille, quem pigebat inſontem à me culpari, & fretus id à nullo mihi potuiſſe eſſe relatum, quam à dicto amico meo; ſtatim ait, Num talis eſt Medicus qui hoc tibi retulit? nam ſcio alium quemquam eſſe non poſſe. Ipſe non nego. Ille, Ne habeas ſuſpicionem in pharmacopœum, veritatem ipſam aperio: Medicus, inquit, ipſus eſt, qui non accerſitus ad me venit, dum impetu vomendi exercerer; & rogavit à me, num ſcirem medicamenti genus: Dixi ego, audiviſſe te nominantem tabellam diaturbit cum rheo: ille admiratione quadam prehendi viſus, dicere cœpit, quomodo id medicamentum mihi à te fuiſſet datum; eſſe autem id nimis violentum in hac tam contumaci febre quæ leviter eſt tractanda, &c. Lubenter (tandem ait) hæc ſilentio præteriiſſem,

teriiſſem, niſi vidiſſem, hoc ex authore facti ad tuas aures perveniſſe, & culpare te pharmacopœum, optimè hac in re, de me & te meritum. Vides, benigne lector, amici officium, & accuſationem, & redargutionem erroris noſtri; quo errore æger liberatus eſt à veteri quartana, poſt unam acceſſionem. Quam ſæpe profecto in ſimile genus reprehenſionum, ne dicam calumniarum iniquorum hominum, incidimus, à quibus tamen, ſecundis ſucceſſibus, Deus optimus, ſua benignitate, nos citò liberavit! O utinam haberemus unum vel alterum, ex noſtra facultate ſcilicet, tam promptum in manifeſtando opere bono, ſi aliquod interdum à nobis fiat, quam multos ſcimus habere paratos tubicines, ad propagandum & amplificandum infelicem caſum, ſi is contigerit! Sed omnem ſpem noſtram in uno ſolo Deo reponimus, non in excuſatione ſimilium amicorum, qui alia manu lapidem, (ut dici adagio ſolet) panem oſtentant altera.

§. 7. Sed num in Medicorum congreſſibus hanc temeritatem præ me fero, in quibus nemo unquam me vidit, quin leniter meam ſententiam proponam, nemine læſo, rem ipſam duntaxat collimans, non eos qui ante me dixerunt, aut poſt dicturi ſunt? Et, ſi conſilium noſtrum acceptum eſt, & executioni mandetur, bene eſt; ſin minus, quid aliud facimus, quam aut hærere, & commendare aliorum ſententias, ſi illas videamus aut meliores, aut æque bonas ac noſtras? Confi-

denter quidem ſuſtinemus noſtram; non in rebus pauci momenti, in quibus perpetuo ſine ulla contentione ſodali cedimus, & in periculoſiſſimis, ut in extirpatione membrorum, quorum plura adhuc integra eſſe ſcimus, & in commendanda amputatione aliorum, quæ fortè hominem non ſemel abſtuliſſent, & aliquando in modeſte inſiſtendo, largius & maturius eſſe mittendum ſanguinem, in periculoſiſſimis & acutiſſimis morbis; quod niſi feciſſem, teſtes ſunt oculatiſſimi plures & celebres, quos jam terra à multis annis tegeret! Unde igitur hæc noſtra temeritas & audacia, niſi hæc ipſa temeraria & audacioſa eſſe dicatis?

*Ignarum quendam Villicum ſubſannat.*

§. 8. Prædicate igitur vos, ô cenſores (k) nimium perſpicaces, & vos item amici, ad noſtrum nomen ſuſtinendum nimis ſolliciti, concionamini jam per compita, vos conſtanti fama accepiſſe, etiam & vidiſſe, nobis ſæpenumero in ſumma ſalutis deſperatione eouſque placuiſſe, placereque ſanguinis detractionem, ut neminem in hoc remedii genere frequentiorem & liberaliorem videritis nec acceperitis: nam hæc dum prædicatis, tam verum dicitis quam quod veriſſimum. At errorem ne eſſe dicitis, ô vos cenſores nimio livore

(k) Tacitè ſub Cenſoris nomine innuit *Bonaventuram Grangerium*, ſeu *Villicum*, Pariſienſem medicum, qui adverſus hunc Botalli libellum, ſcripſit *admonitionem de cautionibus in ſanguinis miſſione adhibendis*, nam hæc verba, *eouſque placere ſanguinis detractionem*, initio illius libelli habentur. cui *Grangerio* reſpondit *G. Caſſius Hannonius med. doct.*

(l) Ean-

livore perculſi; me præter conſuetudinem aliorum Medicorum ſervaſſe, & ſervare plurimos ægrotantes, miſſione ſanguinis, in magna ſalutis deſperatione? Fuiſſet ergo, ex veſtra ſententia, ſecundum artem & rationem factum, illos ſine miſſione ſanguinis ſinere interire. At hanc veſtram ratiocinandi medendique rationem, ſatis ſuperque ab omnibus cognitam, non nobis eſſe imitandam propoſuimus, ſed noſtram à vobis eſſe complectendam non dubitamus; imò jam eam maximopere, & corde, & opere à vobis commendari pro certo habemus: quod num verbo id à vobis negari ſit juſtum, vobiſmet ipſis relinquo judicandum; quibus ſatis patet, quam ſit malevolorum livor in rodendo viventium famam, non in propagando, proclivior. Sed præſtat tamen ſic facere, in rebus reipublicæ utilibus, quam ſecus, nempe, rectum alienum conſilium ſequi potius facto, & celare verbo, quam contra facere. Sed videborne in his nimis laudis cupidus? Ita equidem: ſed tantum illis, qui alieno labore immeritam laudem ſibi comparare ſtudent, non illis, qui meritam, ſuo.

§. 9. Dicunt aliqui, nos in hoc temeritatem & audaciam oſtendere, quod contra artem, indiſcriminatim in omnibus morbis, temporibus, ætatibus, & naturis, hoc auxilium imperemus: unde vulgares homines, rudiſque plebecula, ſanguinis ſibi mittendi, & aliis imperandi, ſine delectu & meta, anſam captet. Scripſiſſe nos hæc contra artem, & indicare *Reſpondet nonnullorum objectionibus.*

miſſionem ſanguinis indiſcriminatim uſurpari poſſe, qui fateatur, aut artis & intelligentiæ expers eſt, aut profecto homo nequam. Huic reſpondendum minime eſt, cum recte ſciamus, nequitiam nulli rationi ſe ſubmittere. Alteri dicemus, ut attentius rem ipſam examinet, nec faciat ut ei juſte conveniat illud Ariſtotelis. *Ad pauca reſpicientes facilè paralogizant*. Dare nos anſam ignaræ plebi malè utendi hoc auxilio; quis illi libros legendos dat, aut prehenſos quis adimit? quis Dioſcoridem, & alios Medicinæ libros, unde mulierculæ varia & inutilia medicamenta ſuppilant, plebi interdicit? non enim plebi nos, ſed Medicinæ ſtudioſis, ingenuè & ſine fuco de hac materia ſcribimus, quod novimus, longoque & frequenti uſu comprobavimus; non improbantes interea, neque contemnentes, reliqua auxiliorum genera, ſed commendantes ſingula ſuo tempore & modo. Cæterum ea omnia eſſe utilitate & ſecuritate conferenda cum phlebotomia, ea eſt proportio, ac ſi Lunæ & ſtellarum lumen cum ſolis luce conferre velitis.

*Integritas authoris.*

*Concluſio ſimul cum cohortatione.*

§. 10. Sumite igitur, ut jam abſolvam, hiſtorias noſtras, benigni lectores, primum, ut veriſſimas; deinde, ſi non ſatis doctrinales vobis eſſe videantur, ducite vos illas deſumpſiſſe ex tabulis, templis dicatis. Rationes autem ſi ſatisfecerint, bene vobis & nobis eſt: ſin minus, meliores exquirite: eſt enim officii probi hominis, & artis ſtudioſi, laborare, ut arti ſemper aliquam acceſſionem faciat, &

ut

ut reliquos omnes aliqua in re ſuperet: quoniam ars noſtra (non in ſe quidem, ſed ratione noſtri) infinita eſt; in qua qui optimi ſunt artifices, non ideo ſunt optimi, quia artem totam, aut maximam ejus partem teneant; nam tenent & hi tantum minimam, ſed quia plus aliis ſapiant. Ut ſummi Reges terreni orbis, non ideo ſunt & habentur ſummi, quia univerſo orbe potiuntur, nam minima tantum parte fruuntur, ſi ea cum toto terræ circuitu conferatur: verum maximi & ſummi dicuntur, quia ex terreno ambitu plus poſſident, quam plerique reguli. Eſt igitur quod quiſque laboret, in animumque ſibi inducat, poſſe ſe aliquid arti addere, imò & reliquos omnes, qui anteceſſerunt, ſuperare: ſed procul ſemper abſit à diſcentis animo, falſa ſciendi perſuaſio; nihil enim magis ſcientias ſectantes perdit, ignavoſque reddit hac ipſa, quæ prohibet ſemper quominus quis diſcat à ſapientioribus. Jam verò ad alia orationem transferamus noſtram.

---

## C A P. XXXVIII.

### *Quid in ipſo ſectionis tempore faciendum, & quomodo lipothymia occurrendum ſit.*

DUm vena tunditur, præſtat ægrum in lecto ſedere: &, ſi is molli ſit animo, ſtatim ſupinum jacere, ne animi deliquio capiatur.

piatur. Prænoſcitur hoc mutatione pulſus, & pallore vultus: tunc ſi ſedeat, ſtatim decumbat, facies aqua frigida aſpergatur; pollice appoſito vulneri, ſanguis retineatur, donec ad ſe patiens redierit: poſtea, ſi juſta quantitas, aut proxime non fuerit emiſſa, amoto digito abſolvatur. Lipothymia perſiſtente, (nam aliquando graves eveniunt, ſed nondum tamen ullam non recte ſolutam vidimus,) detur aqua frigida continenda in ore, aut etiam, ſi morbus patiatur, vinum, ex quo etiam momentum hauriendum, aut panis in eo intinctus ſugendus detur; præſtat panem eſſe toſtum. At imbecillo ſatius eſt, modice ante venæ ſectionem juſculum carnium haurire, aut offulam in jure carnium, aut panem vino tinctum, morbo non repugnante, aut aquam hippocraticam, aut ſaccharatam, aut ſorbile ovum, aut quidvis aliud quod ægro ſit gratum, & tamen morbum non augeat.

*Tempus mittendi ſanguinis. Vid. Gal. lib. de cur. rat. per ſang. miſſ. c. 20. & 21.*

Idoneum tempus mittendo ſanguini nullum non eſt, ſi morbus poſtulet, & vires ferant; ſed ſi non urget, matutinum aptius eſt, tum ſua temperie, tum quia ut plurimum corpora per noctem nullo labore aut exercitatione fatigata, ſi quid in ſanguine impuri eſt, id natura in brachia & crura, longe ſcilicet à viſceribus, tranſmittit; quod per laborem facere nequit, eo quod per motum & agitationem membrorum, aut corporis totius, quidquid in venis continetur, idipſum ſimul iiſdem miſcetur & confunditur, per quietem verò ſecernitur: ſi verò quidquam urgeat, omnis hora conve-

conveniens eſt: ea tamen convenientior, in qua corpus aut jejunum eſt, aut longius abeſt à plenitudine, aut in qua nullus inſignis aëris æſtus viget. Ut imbecillis & mollibus non inutilis eſt exiguus cibus datus ante ſectam venam, ita neque poſt miſſum ſanguinem, ſi ſomnus obrepit, antea deſideratus, is vitandus eſt. Qua tamen ratione, quæ probabilis ſit, Medici omnes hunc prohibeant, videre nequeo, niſi metus adſit ne inter dormiendum, quod ſæpe accidit, reſoluto vinculo, ſanguis denuo profluat. ſed apte prohiberi hic caſus poteſt vigilantium cuſtodum diligentia. De anni temporibus jam diximus, maxime opportunum eſſe ver, mox autumnum; deinde hyemem, tum demum æſtatem.

*Poſt ſectam venam ſomnum non eſſe interdicendum.*

*Tempus anni commodum.*

---

## CAP. XXXIX.

### *In vena tundenda, quod ſectionis genus ſit magis ex uſu.*

Sectionis venæ tria ſunt genera: lata, anguſta, & media ſive mediocris. Lata laudatur hyeme in corporibus melancholicis, & craſſi ſanguinis, & in quibus requiritur evacuatio ſubitanea & copioſa: verum quia hæc aliquando difficulter clauditur, ideo periculum imminet, ne inſcienter inter dormiendum, aut alio quovis modo imprudenter, ſoluto loro, citò & illud vitam reſolvat. In anguſta verò etiam (quam Galenus commendat

*Vide ſupra Tractatum de modo incid. vena &c. §. 21. & 24.*

mendat in revulſione facienda in imbecillis corporibus, quo minus vis corporis per eam reſolvatur) quoniam ſæpe thromboſis ſequitur, prohibens evacuationem fieri quantam & qualem volumus, & etiam in ea abſceſſus ſæpe fit; ideò & hujus, & alterius loco, mediocrem commendamus. Si tamen aliquando in alterutra peccandum eſt, præſtat inclinare in ampliorem quam in alteram, quoniam ex hac craſſior & impurior ſanguis facilius fertur: &, ſi timetur ab imprudenti effluxu, major adhibenda erit obſervatio: error autem anguſtioris, præter id quod ex ea tenuis tantum ſanguis effunditur, abſceſſus, qui exinde in ea fiunt, diu moleſti eſſe conſueverunt.

*Mediocris commendatur.*

## CAP. XL.

### *Quæ venæ variis in affectibus ſecari ſoleant.*

OMnis vena viſu manifeſta, aut quæ ſenſu tactus percipitur, in humanum uſum tundi poteſt. Aperiri *jugulares* poſſe inter omnes fere ſcriptores convenit; hoc tamen fungi mandato neminem vidi, neque ipſe experiri auſus ſum, reformidans, ne propter earum magnitudinem, & magni trunci vicinitatem, non ſatis citò, neque tuto, cohiberi poſſint: quarum vice humerariâ, quam altius capi poteſt, uſi ſumus in angina, & in gravibus & diuturnis capitis doloribus.

*Jugulares.*

*Vide notam ad §. 27. libelli de modo incid. vena, &c.*

*Humeraria.*

§. 2. Ac-

§. 3. Accommodatiſſimæ & evidentiſſimæ ſunt tres, in internâ brachii parte; ſuperior, *humeralis* ſeu *cephalica* nuncupatur, quæ aptè tunditur in affectibus partium ſuperiorum, ut capitis, cervicis, & humerorum: inferior, *axillaris* dicitur, quia ab axillari exoritur; vel *hepatica*, quia ex iis omnibus, quæ eo loco ſunt, hepati ſit proximior: vel *baſilica* quaſi regia, quòd regis inſtar primum locum mereatur inter venas, quæ arte aperiri ſolent, cum ea frequentiſſime omnium aperiatur, aut forte, ut quidam dicunt, quia baſis aliarum eſſe videatur, cum ſit inferiore loco ſita: hæc in ſiniſtro brachio *ſplenica* ab Hippocrate appellatur. Ex earum utraque ſurculus exit, qui in medio utriuſque ſpatio conjunctus, variis nominibus inſignitur, modo ſcilicet *mediana vena* dictus, quia medio loco inter utramque eſt ſita; modo *communis*, quia ex ſuperiore & inferiore eſt genita; modo *nigra*, aut *purpurea*, eo quod cum & lata ſit, & foris emineat, facile per eam color ſanguinis aut ſubniger, aut purpureus repræſentatur. Aptiſſime hæc aperitur vice dictarum, ſi contingat illas latere, dum aliquid à ſuperioribus partibus ſimul & ab inferioribus demere volumus: Baſilica vero in febribus, & aliis morbis infra humeros natis: Tantus tamen eſt inter has conſenſus, ut facile & utiliter una pro altera capi poſſit, ſi, quæ deſideratur, anguſtior ſit. Proxima vero amplior & plenior, ex communi trunco editur, qui, ſtatim aſcendit ſupra radium, mox leniter deſcendit in ſylveſtrem

*Gal. de curat. per ſang. miſſ. c. 16.*

*Baſilica.*

*Splenica.*

*Mediana.*

brachii

*Vena funis brachii dicta.*

brachii partem, unde ab aliquibus *funis brachii* appellata eſt. ex hoc plures in extremam manum calami propagantur; quorum unus ad annularem digitum fertur, ab Arabibus *Sceylen* nuncupatus, quod nomen *ſalvatellam* vertunt, qui Avicennam & Rhaſin latinitate donarunt; ſic forte dictus ob id, quod plærique, qui iteratò ſanguinem mittere non audebant, metu lædendarum virium, hanc aperire non verebantur; freti ex ea, quia longius abeſt à jecore, & parva eſt, corporis vires minus diſſipari. Ex qua ſectione plures videbantur ſervari, quam ſi neque ex hac, neque ex alia, ſanguis miſſus fuiſſet. Quemadmodum nunc plures ſervari videmus à graviſſimis morbis, confidenter repetita ſanguinis detractione, quam olim, dum nimis formidoloſe vena ſecaretur, & timidiſſime ſecundo repeteretur; cujus rationis mittendi ſatis certè meminimus ab annis ut minimum quadraginta. Alius dictæ funis ſurculus ad pollicem protenditur, qui ab aliquibus *cephalica* nuncupatur. Tunduntur hæ duæ lubentius, dum de viribus languentis, ut diximus, timetur, nempe quæ ad pollicem eſt in affectibus potius capitis, cervicis, humerorum & ſupremi thoracis: Altera, magis in affectibus aliarum partium, infra thoracem poſitarum, & in diuturnis febribus, quamvis parvum vel potius nullum debeat eſſe diſcrimen uſus inter alterutram.

*Salvatella unde dicta.*

*Cephalica manus.*

*In fronte qua vena tundatur.*

§. 3. In fronte multis tres patent, aliis plures, aliis pauciores: ſitæ hæ ſunt ad utrumque tempus, & in media fronte; ſecantur in affecti-

affectibus capitis, aurium, & oculorum tum perennibus, tum recenter natis, præmiſſa tamen evacuatione ex brachio. Secus aures nonnullis etiam una conſpicitur, quæ affectuum aurium & occipitis cauſa, rectè dividitur: Has Hippocrates (niſi & arterias intelligat) dicebat homines (1) reddere ſteriles: quod ſi interdum experientia id fuerit comprobatum, non crediderim id tam eveniſſe ob harum proprietatem, quam ex nimium fortè profuſa ſanguinis copia. Ad naſum etiam una utrinque ſæpe apparet, juxta magnum oculorum angulum, à cujus ſectione contumaces oculorum paſſiones ſuffragium capiunt.

*Secus aures.*

*Lib. de aere aquis & locis, num. 31.*

§. 4. Naſi venam in perenni capitis dolore aperiri præcepit Gal. 2. *De comp. Med. per loc. cap.* 2. Quæ tamen hæc ſit, & ubi ſita, certè non conſtat: nam mox dictæ non venæ naſi ſimpliciter appellantur, ſed cum additione, ad magnum oculorum canthum. Meminit etiam Rhaſis venæ naſi, 7. *ad Almanſorem, cap.* XXI. iis verbis: *Naſi vena manifeſtè non eſt, ſed fit ex ea phlebotomia, cum locus qui palpatus ſentitur fiſſus, lanceola vulneratur.* Quum nec ex his authoribus, nec aliis, quod meminerim, intelligi poſſit, qua naſi parte vena hæc ferienda aut invenienda ſit, dicam quod olim, dum

*Naſi vena.*

(1) Eandem rationem ſterilitatis, à diſſectis arteriis ponè aures provenientem, dant Laurentius *lib.* 8. *Anatom. quaſt.* 4. Et *Sinibaldus Geneanthropia l.* 3. *tract.* 3. *c.* 2. Confer & *Valleſ. lib.* 2. *Controv.* 8.

dum adoleſcens Chirurgiam exercerem, conſilio cujuſdam Medici, qui plus experientia quam doctrina pollebat, plærumque fecerim: nam hoc, ille, venæ naſi apertionem nuncupabat. Illius inſtituto, eoque præſente, ſcalpellum inſerebam in ſummitatem naſi, inter utramque cartilaginem, quæ tactu digiti diſtincte diſcernuntur (qui locus eſt is quem Rhaſis dicit) altiuſculeque impellebam, ad longitudinem puta longioris grani peponis, aut paulo amplius; ex quo vulnere non rivuloſe, ut fit ex vulnerata vena, ſanguis effluebat, ſed ſtillatim, & modica quantitate, nempe ad unciam unam ad ſummum. Id ille imperabat frequenter, in vetuſtis oculorum affectibus, necnon etiam in diuturnis capitis doloribus, qui tamen parum ex ea levari videbantur. Hanc ego poſtea utiliorem comperi in naſi rubore, quam in capitis aut oculorum doloribus. Sed ut verum fatear, non eſt ea reponenda in ſerie venæſectionis, ſed ſcarificationis potius.

*Sub lingua.* §. 5. Duæ ſub lingua jacent, quæ efficaciſſime anginæ ſubveniunt, & cæteris oris, aut faucium, aut gingivarum inflammationibus, ſed præmiſſa larga evacuatione ex brachio, ut ſupra diximus. *Sub poplite.* Una ſub poplite, quæ à crurali juxta inguen exorta, per domeſticam coxæ partem deorſum fertur, perque poplitem tranſiens, ad internum malleolum deſcendit, quam ibi *ſaphenam* appellant. *Saphena.* Utroque loco, vel alterutro, dividi ſolet ad iſchiadicos, vel alios coxæ dolores, vel ad menſes evocandos.

candos. Sunt tamen qui ad iſchii aut externos coxæ dolores non hanc, ſed alteram dictam propterea ſciaticam, ſed *iſchiadicam*, quæ ſub genu externè ad externum malleolum demittitur, ſecant. Verum hæc in multis non reperitur, & altera ad id munus ejuſdem, ne dicam majoris, eſt efficaciæ. Quod ſi ad malleolos non manifeſteatur, ad radices digitorum pedis exquiruntur. Una in pene, quandoque duæ; quarum apertio facit ad morbos pubis, imi ventris, ſcroti, & penis. Multæ ſunt aliæ (m) præter has, tum à Galeno, tum ab aliis ſcriptoribus memoratæ: Verum cum ſectionis earum uſus aboleverit, de iis dicere ſuperſedeo, atque ad arterias me confero. *Iſchiadica.* *In pene.*

## CAP. XLI.

### *De arteriarum ſectione.*

Arterias Veteres ſub nomine (n) venarum comprehendebant; quare præter ſcopum noſtrum non fuerit aliquid de iis incidendis

(m) De his omnibus venis, quomodo ſecari ſoleant, & quibus in affectibus proſit earum ſectio, vide ad M. *A. Severini Chirurgiæ Efficacis partem ſecundam*, quæ inſcribitur *Angeiologia*, particularius *Phlebotomia*, *cap.* 4. 7. 11. 14. 16. 20. 21. 26. 28.

(n) Ita, *Hipp. l. de Oſſium nat. num.* 17. venæ per corpus diffuſæ, ſpiritum & fluxum & motum ſuppeditant. Galenus. *in* 6. *Epid. comm.* 6. Conſentiunt, quotquot commentati ſunt in libb. Hippocr. venas non ab illo ſolum, ſed & multis aliis Veterum vocari etiam

dendis dicere. Hæ igitur, quamquam per omnes corporis partes, veluti venæ, ſint diſſeminatæ, non tamen tot locis, neque tam frequenter ut illæ, aperiuntur. Frequens eſt earum diviſio quæ ad (o) tempora ſunt, non aliarum, quod uſu noverim. Hæ igitur, quaſi miraculo, quodammodo mederi ſolent vetuſtis capitis doloribus, contumacibus oculorum inflammationibus, & diuturnis aurium tinnitibus, lancinationibus, & aliis earum cruciatibus. Cæterum etſi mirabiliter dictis affectibus ſubveniat, nullum interim tam contumacem & tam gravem vidimus à decennio, quem gratia divina ex venæ ſectione in cubito, non neglectis interim aliis præſidiis, ſed non diviſa arteria, non ſanaverimus.

*Arteriæ temporales.*

---

## CAP. ULTIMUM.

### *De particulari ſanguinis detractione.*

Etſi ſcarificatio non comprehendatur in ſerie & numero ſectionis venæ, non ejicitur tamen à ſerie eorum auxiliorum, quæ, ſangui-

etiam arterias. *Celſus in proœm*, neque quid venas moveat, ſed quid quæque notus genera ſignificent, *idem lib.* 2. *c.* 10. *& lib.* 3. *c.* 6.

(o) *Galenus lib. de cur rat. per ſang. miſſ. c.* 22. meminit etiam ſectionis arteriarum poſt aures. Et temporalium incidendarum modum tradit *l.* 14. *M. M. c. ult*. Quænam aliæ arteriæ ſecentur & quo modo, vide ad *Proſp. Alpin de med. Ægypt. l.* 2. *c.* 11. *&* 12. *Et Severini Effic. chir. tit. de arteriotomia.*

(p) Vide

ſanguinem mittendo, corpus adjuvant, non univerſum per ſe, ut venæſectio, ſed per accidens, cum ſervato membro per hanc, ſæpe etiam ſic totum corpus ſervatur, quorum plurima ſæpe, in amputatione magnorum membrorum, ſcarificatione ab interitu ſive mortificatione, ut appellant, liberantur.

§. 2. Vulnuſculis igitur ſive ſcarificationibus, (p) ſuccurritur corpori, exonerando partem quæ exuperantia ſanguinis aut alterius humoris ſuffocatur, ut in gangræna; aut premitur & obſidetur longa inflammatione, aut diutino ſenſu doloris aut ponderis urgetur. Itaque vel ſolæ adhibentur, ut in gangræna (de quibus agimus libello *De vulneribus ſclopetorum*) & in vetuſtis inflammationibus, & contumacibus corporis ulceribus: vel cum cucurbitulis & corniculis, ut dum hæc cervici & humeris affiguntur, ad exonerandam partem proximam, caput puta, aut fauces, aut oculos; vel dum cucurbitulæ applicantur natibus, ad dolores lumborum; vel iſchio, ad internum iſchii affectum, vel aliis locis, à quibus aliquid demi ſcarificatu, vel ad quæ evocari & derivari tumor, deſideratur. Harum autem omnium affigendarum modus dictus eſt, ubi de ratione aperiendæ venæ egimus.

§. 3. Nec extra ordinem etiam eorum, quæ corporis valetudini conferre poſſunt ſanguinem extrahendo, ſunt hirudines, (q) cum ad ſani-

(p) Vide à nobis notata de ſcarificatione ſupra pag. 91.

(q) De Hirudinibus dictum eſt ſupra pag. 92.



(r) Vide

ſanitatem comparandam, tum etiam ad tuendam; cum & hæ magnam vim habeant veteres & induratas inflammationes diſſipare, dolores lenire, ſcabioſa ulcera reſiccare, exedentia & ſordida retinere & detergere, ſuppreſſas hæmorrhoïdas revocare, & turgentes & induratas mollire & diſſolvere, partibus ſcilicet affectis appoſitæ, & repetitæ. Verum aptiores effœminatis corporibus ferrum timentibus, quam aliis; quoniam, quicquid in reſolvendis & diſſipandis tumoribus & doloribus poſſunt hæc, id ipſum ſcarificatio præſtabit: verum & horum uſus in tempore emolumentum habet. Reliqua hîc prætermiſſa, curabimus pro noſtris viribus & induſtria adjungi, ſi id nobis à ſupremo fatorum Numine concedatur, ubi ſeorſim de ſingulorum morborum curationibus agetur.

FINIS.

## INDEX CAPITUM.

Cap. I. *Quo modo veteres ſanguinis miſſione ſint uſi, & in quibus morbis, & in quibus etiam non: & quid ſit ſanguis, quomodo gignatur, quoque modo ſit corpori utilis, vel inutilis.* Pag. 101

Cap. 2. *Pueris & ſenibus, dum res poſtulat, ſanguinis miſſio utilis eſt.* P. 111

Cap. 3. *Prægnantibus an conveniat Phlebotomia?* P. 115

Cap. 4. *In alvi fluore conferre ſanguinis miſſionẽ.* P. 132

Cap. 5. *Poſſe ſanguinem mitti Exanthematis, Parotidibus aut aliis Criticis evacuationibus apparentibus.* P. 145

Cap. 6.

Cap. 6. *Menſibus fluentibus, aut lochiis, aut ſanguine è naribus aut hemorrhoïdibus Criticè, quomodo ſanguis mittendus.* P. 152

Cap. 7. *In peſte an ſanguinis miſsio utilis?* P. 168

Cap. 8. *In cacochymia neceſſariam eſſe ſanguinis miſsionem.* P. 182

Cap. 9. *Num Phlebotomia conveniat doloribus à flatibus concitatis?* P. 195

Cap. 10. *In convulſione curanda, opus eſſe venæ ſectione.* P. 197

Cap. 11. *In epilepſia, ſtrangulationibus, & aliis id genus morbis, mittendum eſſe ſanguinem.* P. 198

Cap. 12. *In catarrhis, & contumacibus doloribus, celebrandam ſanguinis detractionem.* P. 200

Cap. 13. *In tuſsi ſicca adhibendam phlebotomiam.* P. 203

Cap. 14. *In doloribus ventris utilem eſſe venæ ſection.* P. 204

Cap. 15. *Hydropicis & inveteratis quartanis utilem eſſe venæ ſectionem.* P. 208

Cap. 16. *Recens natis quartanis num conveniat ſanguinis detractio?* P. 216

Cap. 17. *Num tabificis ac marceſcentibus febribus conveniat venæ ſectio?* P. 218

Cap. 18. *Poſt ſuperfluam Venerem non eſſe fugiendam Phlebotomiam, morbo exigente.* P. 224

Cap. 19. *Imperiti hominis eſſe, cenſere Phlebotomiam viſus nocere, aut primam plus habere virium in liberando homine à graviſsimo morbo, quàm ſecundam, aut tertiam, aut centeſimam.* P. 227

*Indicationes quæ ſunt in venæ ſectione adhibendæ,*

Cap. 20. *Indicatio quæ ſumitur à morborum natura.* P. 233

Cap. 21. *Indicatio quæ ſumitur à loco affecto.* P. 235

Cap. 22. *Indicatio à moribus & motu morbi.* P. 237

Cap. 23. *Indicationes ſumptæ ab anni temporibus.* P. 254

Cap. 24. *De quantitate ſanguinis mittendi pro ratione virium.* P. 255

Cap. 25. *De mittendo ſanguine ad animi deliquium.* P. 259

Cap. 26. *Expenditur alia indicatio, qua Hippocrates & Galenus in mittendo ſanguine uſi ſunt.* P. 263

Cap. 27. *Indicatio à ſanguinis colore & conſiſtentia deſumpta.* P. 269

Cap. 28. *Quæ ſit ſanguinis quantitas in corporibus humanis, & quæ copia profuſa ſit, ac fluere ſponte item poßit ſine interitu, ex ſententia authoris.* P. 271

Cap. 29. *Exemplis multis, tum Galeni, tum propriis, oſtendit, quantum ſanguinis detrahi arte poßit.* P. 277

Cap. 30. *Propoſitis quorundam morborum exemplis & curatione, oſtendere nititur, quantum ſanguinis demi poßit.* P. 283

Cap. 31. *Morbis longis, ac contumacibus, num parca ac exigua ſanguinis detractio utilis ſit?* P. 289

Cap. 32. *Propoſitæ adverſariorum objectiones, ab authore refutantur & ſolvuntur.* P. 291

Cap. 33. *Multis tum rationibus, tum exemplis, oſtenditur, quantum ſanguinis ſingulo quoque die in corpore humano generetur.* P. 296

Cap. 34. *Refellitur puerilis eorum opinio, qui primæ ſanguinis detractioni plus tribuunt quàm reliquis.* P. 303

Cap. 35. *Utrum ſanguis poſterius genitus priore ſit deterior?* P. 305

Cap. 36. *Medicos tum veteres, tum recentiores, deliquiſſe potius in defectu mittendi ſanguinis, quam in ſuperflua evacuatione.* P. 315

Cap. 37. *Utrum purgatio phlebotomiam præcedere debeat, vel contra: Ad hæc, an phlebotomia celebrari poßit, nulla præcedente, aut ſubſequente, purgatione?* P. 319

Cap. 38. *Quid in ipſo ſectionis tempore faciendum, & quomodo lipothymiæ occurrendum ſit?* P. 331

Cap. 39. *In vena tundenda, quod ſectionis genus ſit magis ex uſu?* P. 333

Cap. 40. *Quæ venæ variis in affectibus ſecari ſoleant?* P. 334

Cap. 41. *De arteriarum ſectione.* P. 339

Cap. 42. *De particulari ſanguinis detractione.* P. 340

FINIS.

# LEONARDI
# BOTALLI
## DE
# CATARRHO
Ejuſque Cauſis, Symptomatibus
Signis & Curatione,
# COMMENTARIUS.
Nunc recens in capita diviſus,
Indicéque auctus.

*Optimo & Sapientiſſimo Viro,*

# D. HONORATO CASTELLANO

Conſiliario & Medico Regio.

LEONARDUS BOTALLUS. *Sal:*

*VT militum præfectis, quæ de militia, & philoſophis, quæ de philoſophia: ita & ea quæ de medicina, iis qui de ipſa arte ſunt optimè meriti, offerre licet. Hanc igitur ob rem, exiguum hoc meum opuſculum de Catarrho tibi dicatum eſſe placuit. non quidem ut putem id tibi ulla in re profuturum eſſe: nam frequentiſſimis fœliciſſimiſque operibus immortale jam tibi nomen comparaſti, alterius conſilii neque laudis indigus: neque etiam ut mihi perſuadeam, vel efflagitem, magnitudinem nominis tui eouſque ſtudioſorum medicinæ animos cohibere, quominus (ſiquid in hoc ertati fuerit perceptum) objurgetur; nam nemo bonus veritatem unquam occultat ex animo, eamque minus, quæ retecta prodeſſe, vel deliteſcens obeſſe multis poteſt: immò quidem quò (dum tibi licebit per otium) tuam ſubeat cenſuram. Faxint ſuperi, ut diu indieſque magis fœlix vivas. Pariſiis, prid. Idus Novembris, 1564.*

LEO-

# LEONARDI BOTALLI *DE CATARRHO* COMMENTARIUS.

## CAP. I.

*Quotuplex Catarrhi acceptio. Unde derivetur. quid Catarrhus ſit, & quot ejus ſint ſpecies.*

DE Catarrho, quem Latini deſtillationem nuncupant, tractaturus, primum quid ſit explanare, inde ſymptomata affectuſque ab hac progenitos numerare, mox horum cauſas adducere, continuo poſt qua arte, quibus & præſidiis arcenda hæc veniant, pro virili mea in medium ducere intendam. *Ordo tractandorum.*

§. 2. Hunc vulgus Rheuma appellat, à verbo Græco ῥέω deductum, quod fluo ſignificat. Aſt de omni fluxione, atque genus de propriis ſpeciebus, hoc nomen dici poteſt, ſive ad caput, ſive ad ventrem, vel ad aliam corporis partem humor feratur. Verum nulla ars quicquam rerum agendarum determinat, univerſaliore aliquo, tanquam ſubjecto vel ſcopo, propoſito: Univerſalia enim non curis humanis ſubjiciuntur, ſed individua tantum, circa quæ omne artis opus verſatur. Sed cum doctrina quæ ſcriptis traditur, vel voce declaratur, *Rheumatis acceptio multiplex. Gallis Rheume.*

ratur, ſurda mutaque eſſe videatur, ſi de ſenſibilibus tantum (excipe quæ nonnunquam introducuntur gratia exempli) agat, ad univerſalia propterea confugimus, non ad quævis, ſed ad ea, quæ individuis ſunt maximè proxima: ea nempe ſunt, quæ Logici ſpecies ſpecialiſſimas nuncupant.

§. 3. Quum igitur Rheumatis nomen (niſi ſit ſibi addita differentia, qua in ſpecialiſſima redigimus maximè univerſalia) univerſalius ſit, aliudque vice hujus à parentibus medicæ artis ſit uſurpatum, ad hoc converſo ſermone noſtro, illud reliquum faciamus. Quod autem Veteres noſtri, præcipuè Græci, uſurparunt, eſt id quod *catarrhum* vel *coryzam* nominant, hanc Latini *gravedinem*, illum *deſtillationem* dixerunt. Verùm ſi catarrhi nominis etymologiam expendamus, non diſſimilem prorſus ſignificationem, nec minus generalem inveniemus, quam eam, quæ rheumati debetur: nam (r) κάταῤῥος à καταῤῥέω deducitur, quod defluo ſignificat, quod nomen etiam ex ſe generale, omni fluxioni convenire poteſt: Κόρυζα vero è capite muccoſa defluxio eſt; μυξα etiam dicta.

*Catarrhus.* *Coryza.*

*Catarrhus unde dicatur.*

*Coryza.*

§. 4. Ho-

(r) Vide *Gorræi* definitiones medicas, in voce κάταῤῥος & κόρυζα. *Cl. Hoffmannus. l. 3. Inſtitut. c.* 103. vocabulum κάταῤῥος non deduci ſtatuit à κατὰ & ῥέω, ſed compoſitum eſſe ex duabus vocibus κατὰ & ῥόος, unde κατάῤῥοος καὶ καταῤῥοῦς. Sicut enim κατὰ ῥόον πλεῖν eſt ſecundo flumine navigare: ita κατὰ ῥόον ἀναδρομεῖν tribuitur humoribus, ob viarum laxitatem decurrentibus quà eædem magis patent.

(s) Nihil

*Catarrhus non eſt morbus, ſed ſymptoma.*

§. 4. Horum autem neutrum proprie (s) morbus eſt, ſed ſymptoma morbi. Nam ſicuti fluminis fluxus vel deſcenſus, flumen non eſt, ſed actus tantum fluentis fluminis: ſic nec humoris lapſus, ſtillatio vel fluxio, erit morbus; non enim eſt ſtillatio, quæ partium affectarum munus vitiat. Poteſt tamen humor hic fluens, alterius morbi eſſe cauſa, ut faucium inflammationis, vel partium aliarum, in quas fluit. Verum hanc nos diſputationem, de nominum propria vel impropria ſignificatione, quæ nullius prorſus eſt uſus in arte medica facienda, modo res ipſa intelligatur, logicis, rethoribus atque oratoribus miſſam faciamus. Cum igitur non omnibus entibus accommodata propriaque nomina effingi poſſint, quibus unumquodque, vel ſingulum, ad amuſſim exacteque exprimi valeat: cumque etiam nominum ſignificata duntaxat obſerventur ob rerum cognitionem, non injuria propterea ſeniores in arte medica, non minus periti quam docti, Hippocrates & Galenus, acquieſcere his nominibus maluerunt, quàm nova alia incognita introducere: quibus & nos inſiſtentes, rei ipſius eſſentiam ſub iis nomini-

(s) Nihil impedit, quo minus & catarrhus & coryza in morborum cenſum venire poſſint, ſiquidem ille à viarum laxitate, hæc ab earundem anguſtia & obſtructione provenit. Dices cum autore, ſymptoma eſſe morbi: verum ille contendit, in catarrho conſiderari ſolam fluxionem; cum revera debeamus attendere ad humorem ſtillantem, & partem ab humore obſtructam, ut ejus indicationes Curativæ, inferius allatæ, oſtendunt.

(t) Ut

nominibus contentam, ad cujus potiſſime cognitionem & curationem omni cura medicum collimare oporteat, explanare auſpicemur.

*Deſtillatio ſeu gravedo quid?*

§. 5. Eſt igitur hæc, pororum (t) membranæ, cerebrum ſuccingentis recta ad os ethmoides (appellant id etiam ſpongoides, & colatorium) obſtructio: quam continuo ſequuntur & capitis gravitas, & odoratus vitium. At obſtrui ſtiparique adeò hæc pars raro conſuevit, quin humoris aliquid adhuc, temporis ſpatio, fluat. Huic autem humoris fluxui ab

(t) Ut hujus affectus ſedes rectius intelligatur, præmonendum aliquid eſt de oſſe *Ethmoide*, quod ei *Spongioſum* & *Colatorium* dicitur. *Situs* ejus eſt in anteriore capitis parte, qua ſe in nares aperit. *Nomen* accepit tum à foraminibus quibus præditum eſt, tam in ea parte quæ cranium, quam in ea quæ narium cavitatem reſpicit; tum à ſpongioſa ſubſtantia, qua inferior ejus pars conſtat; tum à fluxu pituitæ, quam per hoc os veluti percolari & decurrere autores æſtimant. Ac proinde tradunt, duram cerebri membranam, oſſis hujus foramina integentem, etiam cribri in modum eſſe perforatam. Ita *Galenus l. de inſt. odor. c. 2. l. de uſ. part. c. 6. & 7. Caſſerius Pentaſtheſ. l. 3. c. 4. Spigelius l. 10. c. 3.* Notabile autem eſt, quod *Gal. loc. cit. de uſ. part.* vocet ea foramina πόρους; ſimulq; tradat anatomicam ἐγχείρησιν, qua adjutus poſſit aliquis foramina illa videre, diſtendendo ſcil: membranam, & ad claram lucem extendendo. Quid verò de hujus experimenti veritate ſit; clariſſimè detexit diligentiſſimus. *Schneiderus lib. de oſſe cribriformi. p. 13.* *dura meninx*, inquit, *non eſt cribri inſtar forata, ſed per foramina oſſis cribriformis ex ſe fuſa filamenta nervea, medulla repleta tranſmittit, quibus reſectis foramina fiunt & apparent in meninge ſeparatâ*; & hoc confirmat autopſia. Hi verò meatus obſtrui & ſtipari poſſe videntur.

(u) Non

ab ethmoide (u) bifidus datus eſt ductus, ad fauces alter protenditur, alter verò ad nares: ambo enim ad os ethmoides, veluti in angulum acutum, junguntur: hinc fit, ut aliquid ex eo, quod à cerebro per hanc viam deponitur excrementoſum, partim per hunc, partim per illum; interdum per alterutrum tantum, meatum rejiciatur. Quod ſi dejectus humor narium partes arripiat, tunc κορύζαν Græci, *gravedinem* Latini nuncupare conſueverunt: Si verò ad fauces vergat, κατάῤῥουν Græci, *deſtillationem* Latini dicunt. Nullo enim inter ſe diſcrimine diſſident dicti affectus materiæ ratione, neque primi affectus differentia, quod utrique hæc duo ſint communia: hoc tamen unicuique peculiare eſt, ut ſi, quod emittitur, ad nares feratur affluatque, aliud malum non inducit: Si verò ad fauces, non exigui momenti alios excitare morbos poteſt; raucedinem, antiadas, pariſthmia, & uvam.

*Quare excrementa cerebri indifferenter ad nares vel ad fauces ferantur.*

*Coryza.*

*Catarrhus.*

*Vide Celſum l. 4. c. 4.*

*Catarrhus quæ mala poſſit inducere.*

CAP.

(u) Non eſt dubium, quin excrementis ab oſſe ſpongioſo, in ſummitate narium collocato, decidentibus, gemina ſit parata Via per quam ferri poſſint, vel enim deſcendunt recta per nares, vel incumbentia maxillæ oſſibus, (palatum conſtituentibus) retro feruntur ad fauces: Verũ an hoc modo eos, qui poſtea ab autore noſtro recenſentur morbos producere poſſint, mihi quidem vero ſimile non ſit.

(x) De

## CAP. II.

### *Quid Raucedo, Antiades, Pariſthmia.*

*Branchus ſive Raucedo quid?*

QUam Latini *raucedinem* nominant, βράγχος à Græcis dicitur, ἀπὸ τῶ βρόγχου quod (x) olim Græci pro trachæa arteria uſurpabant, cum eo tempore, atque etiam nunc, bronchia nominarent aſperæ arteriæ cartilagines. Eſt namque branchus, ut *Galenus 6. de Sympt. cauſis cap. 4.* ait, prænimia humoris ſtillantis infuſio in fauces (has Græci (y) pharyngas appellant) ex quo libera vocis efformatio impeditur. quod facilè ſimillimo exemplo obſervare poſſumus in ſibillantibus fiſtulis, quæ, ſi humentiores ſint factæ, ea, qua ſonus formatur, parte, quæ pharyngi (z) proportione reſpondet, purum amplius non emittunt ſonum, ſed clangoſum, vel, ſi vis, raucum, uſque dum reſiccatæ fuerint: ob id tibicen, impetuoſo flatu, humorem illum, inter ludendum, diſcutere properat. Idem (a) nos, cæteraque animantia

(x) De voce βρόγχου vide quæ habet *Cl. D. vander Linden. Medic. Phyſiol. c. VI. §. 198. 199. 202.*

(y) Fauces, ſeu faucium anguſtiæ, propriè ſunt commune iter ad aſperam arteriam & gulam. Sed nunquam has Græci, numero plurali, φάρυγγας appellarunt. Imò φάρυγξ proprie eſt initium gulæ, ſicut larynx aſperæ arteriæ.

(z) In fiſtulis pars illa qua ſonus efformatur, non pharyngi, ſed laryngi in homine reſpondet.

(a) Non mihi videtur aptè quadrare hæc ſimilitudo, quam autor adfert ad illuſtrandam *Galeni* ſententiam de generatione Raucedinis; non enim tuſſiendo abigimus humorem in raucedine, ſed quando in laryngem potus incidit, tunc continuò tuſſis excitatur.

(b) *Celſus*

mantia pulmone dotata, ſimul ac pharynx vel trachæa humore perfuſa citra rem fuerit, hauſto ab imis pulmonibus halitu, confertim hunc extuſſimus, abigendi hærentis inutilisque humoris cauſa.

§. 2. *Antiadas* (b) intelligunt Tonſillarum tumores: ſumptum enim eſſe hoc nomen videtur à partium affectarum tum nomine, tum poſitione; quaſi dicas (c) contrapoſitas adenes, quod ἀντὶ Græcè contra, ἀδένες verò glandes ſignificet. Sic, cum glandes quæ ad fauces ſunt, Amygdalæ & Tonſillæ etiam nominatæ, utrinque ex adverſo, ad dextram nempe & ſiniſtram faucium partem, ſint poſitæ, *antiades* propterea nominaverunt. Tument, inflanturque hæ pauxillo negotio, tum ſubſtantiæ, tum muneris ratione, tum loci poſitione. Subſtantia autem glandoſa eſt: munus (d) unum etiam earum eſt, ut vitiatum à vicinis partibus humorem trahant, nunquam verò ad alias tranſmittant, ſed tractum abſumant, vel ab eo abſumantur.

*Antiades quid, & unde dicta.*

*Cauſa cur Tonſillæ facilè tumeant & inflammentur, eſt.*

§. 3. Harum poſitio non levis cauſa eſt, quo

*Poſitio earum.*

(b) *Celſus* ita teſtatur. *lib.* 7. *c.* 12.

(c) ἀντιάδες Græcis dicuntur, quòd ſint ἀντίαι oppoſitæ ſibi invicem. Ut itaque incongrua ſit autoris allata Etymologia.

(d) Longè aliter de munere Tonſillarum ſtatuendum eſt: quamvis enim humiditates ſuſcipiant è cerebro deſcendentes, & à ventriculo aſcendentes, tum etiam aliquas, mediantibus arteriis ſibi immiſſas: tamen eas iterum tranſmittunt, & in os eructant, quam diu validæ ſunt; ubi verò contingit aut copioſiorem humorem, quam abſorbere poſſint, ad eas affluere, aut imbecilles eſſe, in tumorem attolluntur.

 (e) Quan-

quo frequentius in tumorem eleventur atque inflammentur; quod venis atque arteriis ſint obſitæ, & in quadrivio ſitæ janitorum inſtar, adeo ut pulmo nec inſpirare, nec reſpirare, nec excreare quicquam poſſit, illis immotis; nec à ventriculo regeri, neque in eum per os quicquam ingeri valeat, iis ipſis non tactis; nec à cerebro ad fauces, pulmones, vel ventriculum ſtillare humor, ab eiſdem non prælibatus. Satis ſuperque mihi videntur potentes adductæ cauſæ, quò in fauces non raro humores compellantur, figantur, unde tumore divexentur, inflammenturque.

*Et ſubſtantia.*

§. 4. Præterea, quantò materia glandoſa aptior eſt ad recipienda ſugendaque, ex adjectis partibus, excrementa, tantò ineptiorem eſſe puta ad eorum expulſionem, ſi cum ſua vicinia conferas, ex qua vitiatum recipit. Cæterum omni generi adenoſo Tonſillæ virium robore præeunt. Porrò hoc approbant tumores, qui nonnunquam in iis unica luce, immo certè horis ſex, irrumpunt, ſupputantur, rumpuntur, reſiccantur, ſolo naturæ officio. quod jam ter contigit, poſt aliquot annos, nobili cuidam viro mihi familiariſſimo: quod herclè vix crediciſſem, niſi rei proceſſum vidiſſem. Alios poſtea, præter hunc, vidi, quibus ſimile evenit, quos fortè nominare nunc non liceret. Sed quot uno die naturali? quot duobus vel tribus? innumeri quippe. Aſt nec quæ ad inguina, nec quæ ad alas, nec quæ juxta aures, vel alia in parte ſunt, tam celeri ferri gradu conſpicies. Conſtat igitur, has cæteris

*Tonſillæ in genere glandoſo robuſtiſſimæ.*

teris ſui typi fortiores eſſe: Hoc tamen non propter ſe quidem, ſed propter aliud. Stipatæ ſunt, ut jam diximus, variis multiſque arteriis ac venis, aliiſque partibus calidioribus, ex quibus, ſi dum ſanæ ſunt, ſupervacaneum conflaverint, jam factæ ægræ, robur mutuo hauriunt, unde promptius ſanitatem conſequuntur.

§. 5. (e) *Pariſthmia*, ut etiam Galenus narrat, *loc. cit. & comm. in aph.* 26. *l.* 3. eſt inflammatio partis Tonſillis adjacentis, quæ interpoſita eſt inter os & gulam, dicta ab iſthmo, qui anguſtus eſt inter duo maria terræ tranſitus. *Pariſthmia.*

§. 6. *Uvam* verò parit, ait Galenus, *loco præallegato, cum ad gurgulionem fluxio derivatur, aut alias in tumorem ipſum attollit.* *Uva.* γαργαρεὼν Græcis dicitur, quod Latini gurgulionem vel uvam, vel columnam, vel columellam nuncupant, nomine ſumpto à rei ſimilitu-

(e) Quanquam ipſæ Tonſillæ Pariſthmia quoque vocentur, quod ſint παρὰ τ̃ ἰσθμὸν, ſcil: partem illam quæ os & gulam inter jacet, ait *Gal. comm. in Aph.* 26, *l.* 3. quia tamen eidem placuit, ut & *lib. de Tum. p. n. c. ult.* appellationem eam tribuere inflammationi exiſtenti, non in Tonſillis ſed in vicinis Iſthmo partibus, meritò quæritur quænam hæ partes ſint? Sanè, ſi per iſthmum velimus intelligere, non partem illam quæ os & gulam interjacet, ut *Galenus* vult, ſed Gurgulionem aut columellam, quæ repræſentat egregiè anguſtum terræ proceſſum inter duo maria, ut *Galenus* ipſe definit *Aph. cit.* ſic Pariſthmia erunt inflammationes partiũ, glandulis illis proximè adjacentium: imò ex ejuſdem relatu, *loc. cit.* etiam inflammatio tunicæ communis ori & gulæ, eique ſubjectorum muſculorum.



(f) συμφύ-

militudine: eo quod quaſi referat pendentem parvam columnam vel uvæ acinum. Eſt autem exigua quædam caruncula, in medio pendens intra Tonſillas.

§. 7. Verum hoc loco Galenus per uvam aliud intelligere vult, quam gurgulionis inflammationem; quod idem confirmat 6. *comp. med. localium, c.* 3. *Carnoſa quadam particula*, inquit, *in ſummo ore apparet dependens, ſi quis aperto plurimum ore toto linguam deprimat. Hac ipſa caruncula duobus nominibus appellatur à veteribus Græcis*, *γαργαρεὼν* & *κίων*, *hoc eſt, gurgulio & columna. Caterum poſteriores medici ferè omnes non ita, ſed cionidem, id eſt, columellam vocant: nam qui σταφύλην*, (f) *id eſt uvam ipſam appellant, eorum neque meminiſſe praſtat. Nos enim non particulam ipſam, ſed unam aliquam ejus affectionem σταφύλην, id eſt, uvam, nominamus: raro autem hac affectio circa columellam contingit, verum valde ſæpe inflammatur.* Si igitur hæc Galeni verba notentur, conſtat, eum aliud quidpiam velle ſignificare per uvam, quam gurgulionem ipſum ſimpliciter dictum, vel etiam inflammatione affectum.

*Galeni locus*

*Expenditur.*

§ 8. Quem vero morbum hîc velit intelligere, cum non frequentius illum adventare dicat, vaticinandum erit: non enim licebit exiſtimare eum velle dicere, cum gurgulio ad lori tenuitatem pervenit (quod 14. *Methodi c.* 13. memoravit) nam tunc omnibus modis differt à forma acini. Verum potius, cum gurgulio

(f) *σταφύλην*, id eſt, uvam appellaſſe *Hipp.* partem hanc, videre eſt *lib. de dentit. num.* 2. & *de vict. rat. in acutis n.* 39.

(g) Imò

gulio duro quodam tumore premitur, ubi pediculo tantum tenuiore, quam pro natura conſueverit, contineri videtur, &, quod aliquando mihi contingit vidiſſe, pallidiore etiam colore contentum, eoque tempore propius videtur accedere ad figuram acini uvæ pendentis. Cui affectui non abſimilis eſt ille, quem Hippocrates 2. *de morbis num.* 29. deſcripſit. *Si uva*, inquit, *morbus in faucibus fiat, ſumma gurgulionis pars aqua impletur, & rotunda fit & pellucida, & ſpirationem intercipit*, &c. Quod iterum confirmare videtur in *prognoſticis num.* 24. inquiens, *Gurgulio ſi cum rubore tumeſcit, citra periculum præcidi non poteſt*, &c. Subjungit, *Cum vero pallidior efficitur, uva nominari ſolet, quod ſi tum ima ejus pars craſſa & rotunda, ſumma vero tenuis videatur, intrepide præcidi debet.* Hic igitur videtur affectus, quem Galenus raro accidere dicit, & uvam appellat, non autem ubi columella tantum ſit inflammata, quia tunc ſervat adhuc naturalem figuram. Aſt dum naturaliter habet, non acino uvæ ſimilis eſt, nec parvo pediculo continetur, ſed craſſiore, pyramidis inſtar (g) pendentis everſæ. *Vide Gorræi definit.*

§. 9. Sed etſi Galenus ibi per uvam dicat non intelligi gurgulionis inflammationem, alibi tamen difficultatem nullam fecit, *ut 6. de compoſi. med. localium. c. 1. §. Stomaticorum pharmacorum, &c. Proprie quidem*, inquit, *ſtomatica appellantur, quæ ad uvas, tonſillas & omnes quæ in ore fiunt derepente inflammationes conveniunt.* Paulo poſt

(g) Imò inſtar pendentis eſt ſtiriæ.

 (h) Quem

poſt etiam dicit, *pharmacum ex moris ſtomachicum, faciens ad tonſillas & uvas, atque alias in ore inflammationes.* Forſan hic aliquis dicet, Galenum in iis locis poſſe alium morbum intelligere præter inflammationem; ſed dicat mihi hic, cur Galenus inter inflammationes numeret? Non alieno modo hæc pars inflammatione ob catarrhum invaditur ac obſidetur, quam reliquæ antedictæ, videlicet ob receptam materiam ſtillantem, qua ſe protinus liberare non poteſt.

*Gurgulionis inflammatio quomodo fiat.*

*Gurgulionis extenſio.*

§. 16. Sæpe etiam gurgulio, ob deſtillationem, laxatur ad lori formam, multoque longior efficitur, quam pro naturali conſuetudine, & brevi; quamvis diuturno tempore fieri dicat Gal. 14. *meth. c.* 13. Agitur nunc annus quartus, ex quo quendam mihi amicum inviſi, cui repente ex labore hæc particula adeo laxata fuerat, ut ad anteriores uſque dentes protenderetur: traxerat enim illam patiens digitis, cum linguæ illam inſidere ſentiret, fretus pituitam vel aliud quippiam eſſe: parum ſanè abfuit, quin illam trahendo ruperit, quòd tenuis facta eſſet, & hebetiſſimo, imò potius tunc nullo, ſenſu prædita, ejus radice excepta: nam & ſana hebetem ſenſum habet. Hic eodem die, ſolo gargariſmate ex ſummitatibus vitium, liberatus fuit. nulla enim alia medicamenta in promptu habebamus, quod in parvo pago eſſemus: quanquam & data opera non multitudine medicamentorum innitamur, non ignari, paucis naturam eſſe contentam, ſi propria ac loco fuerint uſurpata.

*Curatio gurgulionis ſupra modum laxati.*

CAP.

## CAP. III.

### *Quid ſit Tuſſis & ſternutatio: quæ amborum cauſa.*

*Quæ gravedinem ſequantur.*

ACcedunt inſuper ad gravedinem vel deſtillationem, *tuſſes & ſternutamenta*, quæ ſtatim ab ineunte morbo aliquando inceſſunt, nonnunquam paulo poſt, interdum etiam per totum morbi curriculum, præcipuè tuſſis. Quid verò hæc ſit, quidve ſternutatio, neminem latere exiſtimo, cum ſenſibus pateat, nihil præter (h) halitum eſſe, vi confertim è pulmonibus, totoque thorace, ejectum. Aſt unde fiant, & cujùs gratia, & propter quid in

*Tuſſis & ſternutatio quid.*

(h) Quem autor noſter *halitum*, Galenus *Comment. in aph.* 51. *l.* 7. πνεῦμα φυσῶδες vocat: eumque contendit non tantum è thorace provenire, ſed etiam è capite, hoc eſt, cerebri ventriculis, & ſpatio illo vacuo, quod cerebrum extrinſecus ambit, protrudique per os ethmoides; uti diſertis verbis teſtatur *l.* 2. *de ſympt. cauſ. cap.* 4. Et huc etiam Aphoriſmus ire videtur. Hoffmannus *l.* 3. *Inſt. c.* XII. duplicem etiam motum concedit. Verumtamen, qui apud ſe expenderit, duram meningem leviter tantum adhæreſcere tunicæ narium; proceſſus mammillares eſſe tenuiſſimos, facileque hoc motu abrumpendos; duram meningem firmiter ubique cranio adhærere; tandem, cerebrum eſſe viſcus molle, & ad expellendum valdè ineptum, vix à ſe impetrare poterit, ut credat in ſternutatione aliquid à cerebro excludi. Sed quicquid expellitur, ope diaphragmatis impetu magno, ex imis faucibus per nares & ſummum os propelli. Qua equidem agitatione, non tantum caput univerſum quaſſatur, ſed etiam univerſum corpus ſuccutitur; hinc ad partum maturandum bona eſt ſternutatio juxta *aph.* 35. *l.* 5. Imo & conceptum abigere poteſt.

 (i) An

in ſternutatione citatiore gravioreque impetu, in tuſſi vero tardiore levioreque halitus moveatur, & num morbi vel ſymptomata ſint, non omnibus æque planum eſt, ſed iis tantum, qui varietatum motuum corporum noſtrorum cauſas explorare cognoverunt.

*Tuſſis & ſternutationis cauſa.*

§. 2. Si igitur definitionis morbi memineris, inter ſymptomata hæc collocabis. Cauſa vero unde excitatur, extraneum quippiam eſt gravans, vel lancinans, vel pungens, attrectanſve, vel exaſperans tum narium internas partes, tum pulmonum, præcipue juxta eorum ſummitates; intellige narium circa colatorium, & pulmonum circa laryngem, vel etiam totam trachæam. Hæc nulla logica demonſtratione egent, ſenſus enim utrumque facile approbat.

*Propter quid tuſſis & ſternutamenta.*

§. 3. Sed neque temere natura geminis his motibus pulmones impertivit, imò, ut hanc moventem cauſam à dictis locis propelleret, Tracheæ expurgandæ tuſſis data eſt: narium ductibus (mittamus hîc ſpontaneam emunctionem voluntariamque tuſſim, quorum auxilio pro animi arbitrio utimur, dum licet) ſternutatio. Oportuit autem hanc celeriore potioreque impetu ferri, quod longius habeat percurrendum ſpatium, ad munus proprium obeundem, quam tuſſis. Lex enim naturæ eſt, violentum motum remitti in fine, vel, quo magis à motore abeſt motum. propterea inſtar arcum tendentis, mox & relaxantis, ſternutans facere videtur: ad infimum enim uſque thoracem ſpiritum trahit, quem illicet uno-

*Quare ſternutamenta impetuoſiora, quam tuſſis.*

que

quæ impetu expectorat, ut, quod in naribus offendit, devertat: tuſſi verò non ex neceſſitate, una expectoratione, totus ejaculatur introductus aër, ſed multiplici repetitione, ſeſe ſequente. Sternutationes vero, quæ (quod in paucis accidit) etiam ſic fiunt, quæ ſcilicet unico aëris hauſtu aliquoties repetunt, una tantum ſternutatio eſt interrupta intersectaque: verum unita virtus fortior eſt ſeipſa diviſa.

*Tuſſis aquè neceſſaria eſt, ac ſternutatio.*

§. 4. Aſt etſi utrumque ductum, nares audi & aſperam arteriam, ſternutatio extergat, non ob id ſupervacaneæ tuſſes ſunt; ſæpius enim extuſſimus quam ſternutamus: Hanc autem ſternutamentorum frequentiam quomodo ferre poſſet thorax & caput? non enim citra harum partium agitationem ſternutatio fit. Neque etiam propter id quod effingere tuſſes ac ſternutamenta poſſumus, alterum vel utrumque omittere natura debebat: non enim ſpontanea vel ficta tuſſis juvabit, dum dormis, vel dum lethargo ſoporeve, vel apoplexia, vel alio quopiam ſimili affectu, aliquis oppreſſus jacet; juvat tamen naturalis, dum interdormiendum excitatur, ob ſtillationem in pulmones factam, vel ob ſegregatam à pulmonibus pituitam & ad trachæam reductam: Etiam in dictis morbis juvat, ſternutatoriis inſufflatis. Adde, quod neque ſimulata ſternutatio detergit atque naturalis: nunquam enim naturæ motus arte aſſequi exacte poſſumus: id ſenſus facile monſtrat. Quod vero ſternutamentis naribus, tuſſe vero

pulmonibus omnium rerum genitrix natura occurrere affectet, citra negotium retegemus, ſi ſedes obſervaverimus, in quibus cauſæ moventes propriam actionem auſpicantur. At, ſi naribus feſtucam immittas, ſternutamenta induces: ſi in pulmones quid labitur, tuſſim excitabit: ſi ſternutatorium naribus fortius hauſeris, utrumque inſurget, tuſſis ſcilicet, & ſternutamentum; quoniam videlicet aliquid ex errhino in pulmones tractum eſt, ob id utraque tunc pars opem efflagitat.

§. 5. Satis, arbitror, explicuimus ſternutamentorum ac tuſſium uſum: ſed de cauſis moventibus, quas ſi lubet materiales appellare, non pecces, brevius ac generalius egimus, quam tenellus juniorque ſtudioſorum habitus ferre æquo animo poſſit: propterea ſpecialius quidquam dicere operæpretium erit. Eas namque diximus extraneum quidpiam eſſe, quod pulmones, vel trachæam, vel narium internas partes, potiſſime ſupremas, lancinaret vel pungeret, exaſperaret vel attrectaret, vel utrumque urgeret. Quæ verò hæc efficere poſſunt, multorum diverſorumque generum ſunt; nimirum, humorum jam in vaſis receptorum tum copia, tum inopia, tum vitium; (nam & hos inter extranea numero, ſi malum corpori inducere valeant) lux, præcipuè ſolis, aëris temperies, ſermo multus, vehemens exclamatio, attenuans victus: adde, quicquid præter rem in eos ductus fertur.

*Cauſa moventes ſternutamenta & tuſſes.*

§. 6. Sed non æque cito ac valide unum atque alterum pathema facit; ſed unum celerius

rius altero pertinaciuſve: minus enim moleſte tardiuſque ea quæ dura non ſunt, & acerbitatis, auſteritatis, aciditatis, ſalſedinis, dulcoris, amarulentiæ, atque acredinis omnis ſunt expertia, ut inſipida pituita: & hæc potius ſua quantitate, quam qualitate offendit. quæ dulciá ſunt, ut quæ ab ethmoide (i) ſtillat dulcis pituita, vel aqua cum melle hauſta, tuſſes ſternutamentaque plus inſipidis movent, quod illis calidiora ſint, & pruritum titillationemque iis partibus facile inducant, cum ſenſu ſint exquiſitiſſimo: Ob id quandoque errhina leviora mandantur ex mulſa aquoſa. Adhuc etiam magis provocant, quæ ſalſa ſunt vel acida, vel amara, quibus ſaporibus nonnunquam ſerum vel pituita, è cerebro ſtillantia, ſunt conjuncta: mordent autem hæc, quam dulcia, valentius, patienteſque acrius extorquent: quæ ſi pluſculo perſeverent, non modo mordicant, ac tuſſes ſternutamentaque irrumpere faciunt, ſed & quas ſollicitant partes, vellicant, ambuſtaſque reddunt.

*Quinam humores minus aut magis excitare ſternutamenta valeant?*

§. 7. Infeſtæ etiam magis tuſſes ſunt, quæ ab iis fiunt fluxionibus; nam acres deſtillationes,

*Quæ deſtillationes pejores tuſſes excitant?*

(i) An pituita dulcis, tenax & lentus humor videlicet, ſtillare poſſit per Ethmoides os, maximè eſt incertum: libentius eundem derivarem ex arteriis in tunicam narium deſinentibus, è quibus effuſum ſerum, narium tunicam ad ſternutationem provocare poteſt. Et huic conjecturæ adſtipulatur experientia, videmus enim copioſiſſimè humorem ſeroſum ſtillare, & ſanguinem ſæpius ſubſequi, præ nimia vaſorum reſeratione.

(k) Quæ-

nes, vel acidæ ſalſæve, ut plurimum tenues ſunt; fluunt propterea facile ad imum, ægreque ſuperiora repetunt, ſua tenuitate tuſſim illudentes. Nam ſi intra montium fauces poſitus, ingruentes ventos fallere ſtudeas, non ſtabis, ſed jacebis: excurrent enim tunc illi te immoto: Secus verò, ſi te rectum è regione offenderint, vel ſolo te adæquabunt, vel loco movebunt. Idem etiam perfacilè noſces, longa fiſtula recta accepta, utrinque recluſa, per quam tranſire faba poſſit altera parte ore ſufflata: eminus enim jaculabis fabam, vel ejuſdem magnitudinis globolum terreum, vel alterius materiæ, quam poteris granum milii vel minutulum orobum: Nam quod craſſius erat, viam atque curſum intercipiebat agenti validiori, à quo majore vi depellitur; quod verò exiguum eſt, ac nihil prominet lubrico aëri, nullam vel perexiguam anſam præbet: ſic ille, tanquam obice nullo obviam facto, effluit vacuus, vel exiguo eo, quod prominebat ſecum ducto. his rationibus tenues catarrhi moleſtiores ſunt.

*Ab inopia humorum Tuſſes excitantur.* §. 8. Humorum etiam inopia tuſſes concitantur, ſiccioribus factis pulmonibus, vel trachæa arteria, quæ alioqui humentiora eſſe debent: facilè enim reſiccantur ob aſſiduum motum, ob materiæ raritatem, ob jugem inſpirationem reſpirationemque. Exſiccatio, membranarum ac etiam cartilaginum contractionem facit: hinc aſperitas, hinc morſus, ut facilè percipimus dum ore aperto reſpiramus, maxime inter dormiendum, ubi univerſum

verſum os, una ac pharynx, ſiccata aſperaque ſunt. Hincque etiam & tuſſes. Victus præterea attenuans nimium, humores acres facit: acria enim ſunt, ſi Galeno & rationi credimus, quæ attenuandi vim habent.

§. 9. Sed non ſolum humorum, qui in corpore ſunt geniti, varietas, ac victus rationis diverſitas, hæc pathemata promovere poſſunt, ſed quicquid ab extrinſeco adcurrerit, puta feſtuca, penna, pilus, vel alia quævis naribus impoſita ſternutamenta, panis vel alterius rei mica, vini vel aquæ vel cujuſvis alieni liquoris ſtilla in pulmones ducta, tuſſim provocabunt: quæ etiam, pro ipſarum facultatum varietate, affectum præſtabunt magnitudine ſeu vehementia etiam diſſimilem; aqua nempe non æque ac vinum: mordet autem vinum eas partes, quæ tenuiore, vel ſenſili adeò cute teguntur. Vellicabit etiam, ſi cyclamen infuſeris: nec tritici vel cimoliæ pollen, æque atque piperis vel pyretri, vel euphorbii, vel aliorum ſimilium generum, immo hæc magis, & ſupra modum maximè, ſi largius inſufflaverit vel patiens ſponte hauſerit. *Cauſa extrinſeca ſternutamenta & tuſſim moventes.*

§. 10. Luce etiam (k) Solis ſternutamenta fiunt, quod membranæ oculi ad pupillam, humoreſ- *Cauſa cur ſol ſternutamenta moveat.*

(k) Quærit Philoſophus *lib.* 33. *Probl.* 4. cur verſus ſolem aſpicientes, ſternutent magis? & rationem reddit, quia excalefactus humor attenuatur. Sive hoc fiat ob præſentiam corporis luminoſi actu calidi, vel ſua claritate ſpiritum moventis & excitantis, unde proclivior humoris fit excretio in tunicam narium.

(l) Tex-

humoreſque omnes in eo contenti, diaphana ſint, quæ radii ſolares, ad penetralia uſque, per pupillam ipſam ſtatim pervadunt. Aſt hæc radiorum penetratio, non ſine alteratione titillationeque harum partium fit, ut ſenſus ipſe perbelle indicat.

*Ambientis aëris.*

*Calida ſiccaque temperies. Supra §. 8.*

§. 11. Eſt & ambientis aëris temperies ex eorum numero, quæ tuſſes ac ſternutamenta movere poſſunt. Calida enim & ſicca aëris temperies id efficit, ratione ſimili ac dictum eſt, ubi de nutrimenti inopia agebatur. Illic enim pulmones nutrimentum non recipiebant quantum licebat: hic vero, etſi pro conſuetudine cibum ſumpſerint, ſicciore calidioreque ſpiritu perflati, maturius reſiccantur, & conſequitur tuſſis. Frigida ſiccaque temperies, quantum ad dicta ſymptomata inducenda polleat, ſatis Hippocrates oſtendit tum in *Epidemiis*, tum in III. *Aphoriſmorum*, ſ. 12. 13. 23. Conſtipat autem frigus, & humores intro cogit: Adde quod mordax eſt frigidum; concedet autem hoc facile, frigidas qui peragrarit plagas, vel gelidas anguſtaſque montium fauces perambularit. Dum perflat aquilo, cutem hic arctat, pungit vellicatque; ea etiam ratione & cerebro & thoraci noxius eſt: præterea, refrigeratis externis partibus, tum etiam inſpiratione internis, pituita, quæ in his locis fuerit, contrahitur condenſaturque; quæ cum antea calore divulſa vagaretur, moleſtiam nullam concitabat. Adverſus eſt & cum imbre Boreas: ſed ſiccus tuſſes magis excitat, eas etiam ſiccas magis: Udus vero capitis potius

*Frigida & ſicca temperies. VI. Epid. S. 3. & 7.*

*Aph. 17. l. 3.*

*Frigida & humida temperies.*

tius

ctus gravedines, quam ſiccas tuſſes, quod frigore cogat denſetque in corpore contentos humores. Adde, quod corpora reddit imbella, tarda, otio plena, triſtia, ac ſomno dedita: robuſtiora, agiliora hilarioraque, conjuncta frigori ſiccitas.

§ 2. Proportione reſpondet aëris temperiei ea frigiditas vel caliditas, quæ pauciore, vel abundantiore, vel calidiore veſtitu conflatur: nam thoracem, & præcipuè ad ſternon, ſi minimum calfeceris, tuſſiculoſus fies: nil etiam eveniet minus, ſi frigidiſſimo aëri compoſitus eſſes, & eaſdem partes frigeſcere ſinas, vel arte frigefeceris; ut quidam, qui calore preſſi, in frigidiſſimam aquam caput fundunt, frigidoſque cucumeres, in laminas ſectos, fronti, temporibus, ſterno, mammilliſque apponunt ac reponunt: ex iis enim ſunt hæc omnia, quæ & tuſſes citare, & factas fovere, contumacioreſque reddere poſſunt. Ex animo hæc paulò longiore ſermone ſunt dicta, ſuppeditabunt ſiquidem nobis non pauca, quæ ad curam primi affectus conducunt, mox & aliorum, quæ primum tanquam ſymptomata ſequuntur: de quibus hactenus egimus. *Veſtitu.*

§. 13. Superſunt adhuc ex horum ſobole narium fauciumque ulcera: facilè enim eo cutis divellitur, ſi fluxio acris ſit, vel longo perſeveret tempore, vel ſi tuſſes aut ſternutamenta frequentia ſint. Alia pathemata affectus antedictos, aſſeclarum inſtar, ſequuntur; vigiliæ, æſtus, cibi faſtidium, ſitis, corporis totius laſſitudo, urinarum rubor, & ſimilia: *Affectus qui ſequuntur Catarrhos ut, Ulcera fauciumnarium que.*

ſed

ſed varia pleraque adhuc ſuperſunt infenſa mala calamitoſa, contumacia, periculoque plena, quæ deſtillationem phlegmonaſque antedictas nonnunquam ſequuntur; febres ſcilicet, tum aſſiduæ, tum circuitus habentes, peripneumoniæ, phthiſes, ſanguinis rejectationes, empyemata, tabes. Inſuper, ſi ſtillatione non excludatur humor, ſed in capite cogatur; aliorum generum morbos inferre poteſt & ſolet, quos non minus vitæ diſcrimen conſequitur, quam eos, quos mox enumeravimus. Acervata igitur in cerebro pituita, & apoplexiam, quæ virium omnium cerebri eſt lapſus atque abolitio, & paralyſim, & epilepſiam, aliaque id genus multa parere poteſt. Verum hæc reliqua faciamus, necnon & quæ ad thoracem pertinent: non enim de iis agere hoc loco inſtituimus, ſed de gravedine, deque iis, quæ proxime hanc ſequuntur, inflammationibus: quæ qui rectè curaverit, ſatis caute pulmonum affectibus, qui ad hæc ſequuntur, ſe providiſſe intelliget, ſimul etiam & iis quæ in capite ſuſpecta eſſe poſſunt.

*Inflammationes pulmonum.*

*Apoplexia paralyſis, &c.*

---

## CAP. IV.

### *A qua cauſa contingat Oſſis Ethmoidis obſtructio.*

*Stipatio ſpongoidis unde fiat.*

CUm ſuperius dixerimus, catarrhum ſeu deſtillationem eſſe obſtructionem pororum, præcipue ad ſpongoides os, licebit nunc accura-

accuratius exquirere hujus obſtructionis cauſam proximam, num videlicet conniveant pori membranæ juxta ethmoidem; vel potius humoris quantitate vel lentore ſtipentur. Ut autem inter ſe conniveant hæc oſcula, alteram harum duarum cauſarum efficientem eſſe oportet, vel ſiccationem, ex qua nervoſæ partes contrahuntur; vel ob infuſum in propriam membranam humorem, quæ undequaque ad eos poros tumidior facta, meatus eos obſtruit: ut in angina, ubi reſpiratio impeditur, ob nimium auctas ad laryngem vel ad pharyngem partes, undequaque ſe contingentes ac conniventes, ſpiritumque intercipientes.

§. 2. Non hercle ex ſola ſiccitate eſt in propoſito negotio: Gravitas enim totum caput urget, ad tempora ſinciputque magis; fluit etiam jugiter humoris aliquid plus conſueto, non igitur ſiccitate connivent: Connivebunt ergo ob imbutum humorem. Magnam fidem huic ſententiæ addunt cæteræ partes omnes, quæ alicui fluxui extraneo ſunt ſubditæ: nares puta, ex coryza deſcendente plus æquo tument, ob id etiam anguſtiora ea oſcula fiunt; ſic & fauces ob catarrhum; ſimili modo tumet & anus, ſi eam partem ſollicitet fluor. *Non à ſiccitate,* *Sed ab affluente humore.*

§. 3. Sed anne, dum manus aut faciem lavas, etiam citra frictionem, tenſior cutis apparet? num, quia eo imbuta eſt humore quo fuit perfuſa, etiam, poſt madorem, ejuſdem cutis poros anguſtiores eſſe factos oportuit; inſtar telæ madidæ? nam in hac, quæ hiantia erant foraminula, dum ſicca eſſet, nunc

*Non ſimplici,*

madida facta ſunt minora. Quid igitur? aliudne eſt pororum conniventia ex humore affluente, quam quod hic exemplo diximus? Sed objicis, multiplici proportione pori ad ethmoidem, eos, qui cutis ſunt, ſuperant amplitudine: non inficior, immò etiam magis pharynx: quandoque tamen obſtructa prorſus offenditur, unde interdum patientes de medio tolluntur, ſpiritu atque alimento interdictis. Ergo non ad ſolam dictam pororum conniventiam hæc obſtructio referri debet, ſed etiam ad craſſæ viſcidæque pituitæ affluentiam: indicat id & ipſe ſenſus.

*At pituitoſo craſſo & viſcido.*

---

## CAP. V.

### *Quomodo ad caput perveniat Pituita; & num ibi, an verò in alia parte, generetur.*

*Examinat num pituita in capite gignatur.*

SEd adhuc hæc noviſſe non ſufficit ad rectam curam obeundam: immò explorandum nobis supereſt, unde hæc pituitæ ad caput affluentia, num in eo gignatur, ut (1) Hippocrates vult, *l.* 4. *de morbis num.* 2. num verò ex

(1) Textus Hippocratis ita habet, ὁ δὲ ἐγκέφαλος, ἐστι μητρόπολις τοῦ ψυχροῦ καὶ τοῦ κολλώδεος. *Cerebrum verò, eſt primaria ſedes frigidi & glutinoſi.* Ex quo tamen non licet concludere, in cerebro pituitam generari, cum Hippocr. ibidem loquatur, non de excrementitio humore, ſed de principio conſtitutivo cerebri. Contrarium enim docet *l.* 4. *de morbis text.* 6. ἡ κεφαλὴ κοίλη ἐοῦσα, καὶ ὥσπερ σικύη ἐπικειμένη, ἕλκει τὸ φλέγμα, *Caput cum ſit rotundum, & inſtar cucurbita corpori ſuperjacens, trahit pituitam.*

ex vaporibus è ventriculo ad cerebrum irrepentibus, ut quidam cenſent.

§. 2. Ex vaporibus (m) hanc poſſe fieri cenſendum non eſt, vel, ſi fiat, exiguam adeo eſſe, ut cerebrum nullo modo afficere poſſit: alius enim liberior aditus ex ventriculo ad caput iis vaporibus non datur, quam is, qui per œſophagum fertur. Verum œſophagus ad id aptus non eſt; quod anteriore parte à trachæa, & poſteriore à vena cava & ab arteria magna, quæ retro jacent, premitur. Præterea, quum ex non cartilaginoſa ſit materia, qualis aſpera arteria quæ perpetuo patet, ſed molli laxaque qualis inteſtinorum, ob appenſi ventriculi pondus toto ſuo proceſſu concidit, ac (n) clauſus manet: quod facile probant ructus omnes, iique evidentius, qui ad medium uſque ſtomachum irrepunt, ubi temporis ſpatio ante exitum hominem affligunt. Si igitur hæc via recluſa pateret vaporibus in ventriculo contentis, cur ructus impetu ferrentur? cur vaporibus

*Pituita ex vaporibus non fit è ventriculo elevatis.*

*Ratio* 1.

*Rat.* 2.

pituitam. Locum parallelum vide *l. de Glandulis tex.* 5. ubi docet, qua ratione iſta tractio ſit intelligenda, nimirum, caput accipere humiditates, & corpus ad ipſum mittere vapores omnis generis.

(m) Quidni, ſicuti è vaporibus coercitis ac condenſatis in ollæ operculo, & in laqueatibus balneorum, fit aqua ſtillans, ſimili modo in cerebro contingere poſſe cenſendũ ſit?

(n) Imò non tàm œſophagus, quàm ſiniſtrum, ſive ſuperius vocatum, ventriculi orificium clauſum manet in ſanis, donec aut cibum admittat, aut ructus cum violentia & impetu excludat: licet interim nihil impediat, quo minus tenues halitus continuò aſcendant, modò ſuaves, modo ingrati & mephitim olentes.

*Rat. 3.* ribus quandoque tenditur ventriculus? Inſuper, cum ad fauces appulerint, cur potius ad caput quam ad os tendent? Forte quia ſurſum petunt quæ levia: At quomodo etiam in caput? num inſpiratio illos revocabit, vel explodet expiratio, quæ perpetuo eas vias tranſcurrit, modo eundo, modo redeundo?

§. 3. Quod ſi vis hos ferri per venas, neque hic datur venarum (o) atque arteriarum tam rectus à ventriculo ad cerebrum proceſſus, quò facile multus vapor ad caput per has ferri poſſit, unde tanta pituita exuberet. *Objectio* Senſim, dices, tum per œſophagum, tum per communes, qualeſcunque ſunt, venas, ii ad illud tendunt: *Diluitur.* facile hoc concedo, ſed ſenſim etiam tum per ſuturas, tum per alias venulas poroſque alios diſpergi poſſunt. *Inſtantia* Sed adde adhuc in tuam ſententiam, poſt oppiparam cœnam liberaliorem, meracioremque potum, ex tempore te capite caleſieri gravarique, prorumpentibus vaporibus è ſtomacho ad caput: *Confutatur.* Concedo ſanè, vapores aliquos ad caput eſſe delatos, ſed humores adhuc plures quam vapores, non quidem ex cibo nuper devorato, ſed

(o) Expenſis omnibus viis, per quas aſcendere vapores poſſunt ad cerebrum, nullæ reperiuntur idoneæ prærerquam arteriæ, Carotides præcipuè: nam per has vapores blandi aſcendunt; quod docet ſomnus poſt cibum aut potum obrepens, tum enim velut nebula occupat meatus cerebri: Hi verò, nibi ſufficienter diſcutiantur, ut videre eſt in iis, qui præter conſuetudinem ſomno meridiano utuntur, vertuntur in aqueam ſubſtantiam, quæ ulteriore coctione craſſeſcit. Hæc per ſuturas evaporare non poteſt: infantes enim, quibus laxæ ſunt ſuturæ, mirè blenni ſunt.

(p) Ut

ſed ex iis, qui juxta jugulum erant, dum nondum offertum erat corpus: eo quod, ventriculo oppleto, humores faciant atque aqua in ſyphone; namque hoc maxime oppleto, ſi amplius affundas donec ex altera parte proſilierit, non quæ nunc & poſtremo infuſa eſt, prima proſilit, ſed quæ intus erat, & ea primo, quæ emananti ſyphonis oſculo erat vicinior, nam poſtrema præeuntem ſtimulat: ſic venæ juxta ventriculum, illicet quod liquidius eſt, ſugunt, ſucceſſive & aliæ id munus præſtant.

§. 4. Sed ne pluribus in his immorer, cedo; quæ eſt hæc tanta ſympathia, tantumque conſortium, inter vapores & pituitam, ut hac facilitate ingens copia hujus ex illorum exigua procreari poſſit? quod enim exigua vaporum ſit quantitas, qui ad caput feruntur, ſi ad multitudinem pituitæ comparetur, ſenſus ipſe judicat. vaporibus alioquin jugiter tenſum eſſe cerebrum oporteret. præterea, neque hoc dato, illud fieri eſſet probabile, ſed humorem ſeroſum potius; nam facile hic in vaporem, & vice verſa vapores in hunc reſolvuntur. Sed hîc tu inquies, primum ex vaporibus ſerum ſeu ros, à quo, cerebri caloris potentia, tenuior pars reſolvitur, craſſa verò & glutinoſa permanet. Eſto nunc quicquid velis, nam facile eſt nugis omnia probare, omniaque ſubvertere: ſed verum ipſum in re medica maturo judicio excogitare & conſequi, difficile. *Ratio 4.* *Inſtantia* *Reſponde-tur.*

§. 5. Pergamus jam ad aliam quæſtionem,

quæ potiorem præbere de ſe videtur opinionem, quam mox dicta, & nonnulla in hac dicentur, quæ prioris fallaciam arguent. Eſt autem, *num cerebrum ſit* (p) *pituitæ genitor?*

*Pituitam in cerebro gigni quæ ſuadeant rationes.*

Videtur autem hoc quidem veriſimile, nam
1. ex eo aſſidue hæc repurgatur: inter omnes
2. etiam humores, qui in corpore ſunt, nullus accedit magis ad cerebri naturam atque ſubſtantiam & colorem, quam pituita; nam frigida eſt & humida inter humores, ut cerebrum frigidum & humidum inter partes molles corporis: cerebri ſubſtantia colorque eſt maxime ſimilis lacti craſſiuſcule coacto, non abſimilis pituita dum cocta eſt, niſi quod paulo minus
3. eſt denſa: in medio fere cerebro receptaculum eſt poſitum ab ipſa natura, in quo reconditur, ibique emiſſaria varia parata per quæ effunditur; quod etiam ſimile factum eſt bili, quæ in jecore gignitur; cyſtim habens in viſcere in quo fit, poros etiam per quos rejici-

(p) Ut hujus controverſiæ ſtatum rectè intelligere poſſimus, qui ordinariè perperam proponitur: Apprimè notandum eſt quod inculcat *Hoffmannus l. 2. Inſt, c. 133.* & 145. diſtinguendam eſſe τὸ φλέγμα pituitam ἀπὸ τῆς βλέννης, à muco ſeu blenna, adeoque omni illo, quod è capite in ſubjectas partes deſtillat. Verum eſt, Hippocratem appellare pituitam; ſed ille hac voce uſus eſt laxiore ſignificatu. *Galenus l. 2. Fac. nat. c. 9.* expreſſe ait, non rectè ita vocari. *Idem 7. Uſ. part. 7.* vocat *ſerum pituits*, h. e. pituitoſum; hinc fortè Latinis *pituita naſi*. Autor noſter confundit hæc duo, & quamvis benè concludat, ventriculum eſſe pituitæ veram fodinam, malè tamen inſtituit quæſtiones hoc ſenſu, num cerebrum ſit pituitæ genitor: &, cur cerebrum pituitæ receptaculum ſit.

(q) Hæc

rejicitur. Quis, quæſo, iis auditis, inficias ibit, cerebrum non eſſe pituitæ fodinam? non igitur ſub lite hoc dandum eſt amplius, cum rationes omnes ad id probandum connivere videantur.

§. 6. Iis rationibus forte fortuna acquieſcent juniores, de quibus adhuc parum, vel nihil, medicina eſt bene merita, vel etiam ſeniores medicinam non facientes, vel obiter hanc exercentes, rerum fundamenta non penitus indagantes, ſed ſuperficie tenus. Sed non facile ſeducuntur, qui concluſionum nexus intelligentes, in medii conſtantiam atque veritatem inveniendam omnem operam navant. Brevibus igitur hanc argumentorum fallaciam aperiamus. Quid igitur neceſſitatis habet argumentum primum? videlicet, quia per cerebrum aſſidua quaſi fiat pituitæ deſtillatio, hinc cerebrum ducere pituitæ eſſe parentem? Oportet primum probare, latentem majorem argumenti propoſitionem, nempe, id per quod aliquid expurgatur, materiæ expurgatæ eſſe genitorem: quo argumento etiam tibi probabo, renes & veſicam eſſe urinæ genitores, quod tamen falſum eſt. Secundum eſt, quia pituita inter humores cerebro ſimillima eſt: neque hoc quicquam firmat. Simile quidem gignitur à ſuo ſimili, ſed à ſimili ſpecie, non à quovis ſimili: alioquin ex nive fiet cygnus, & è contra. Tertium eſt, quia cerebrum in ſui medio pituitæ receptaculum continet, proportione reſpondens fellis folliculo, eodem etiam modo conſentaneum videri ut pituitam cerebrum gignat, atque bilem

*Solvuntur ordine. Primum argumentum examinatur.*

*Argumentum ſecundum.*

*Argumentum tertium.*

bilem jecur. Nec hæc ſimilitudo analogiæ quicquam inducit: maximè enim inter ſe ſimiles ſunt dextræ coſtæ ſiniſtris, hæ tamen venam azygos, ſeu conjugii expertem habent, illæ vero non habent. parum etiam fidei inducunt à ſimili facta argumenta, ad rhetorem potius, quam ad philoſophum vel medicum, ſpectantia: iis tamen meliora argumenta pauca, vel forte nulla, inveniet, qui hanc provinciam ſuſtinere decreverit.

§. 7. Verum enimvero, etſi dictum ſit ab Ariſtotele, rectam argumentorum ſolutionem eſſe eorundem falſitatis dilucidationem; fieri tamen poteſt, ut media falſa ſint, vel argumentorum figura inconcinna, vel utraque ſimul juncta reperiantur, concluſione vera exiſtente: hanc igitur ob rem, præter dictam argumentorum ſolutionem, adhuc dicere operæpretium erit, quæ hæc in corpore ſit pars, dotata hac faciendæ pituitæ facultate, & cur non cerebro hæc conduxiſſet, & quamobrem in cerebro pituitæ (cùm in eo non generetur) receptaculum potius ſit, quam alia in parte?

*Exponitur quanam pars pituitam generet.*

§. 8. Eſt itaque Ventriculus ipſius pituitæ vera fodina; approbat hoc uſus, nec reprobat ipſa ratio. Sæpe ventriculus multum de pituita per os regerit, nullo catarrho præeunte, ex quo inani verborum circuitu contendere liceat, ex cerebro in ventrem deſcendiſſe. inteſtina (q) etiam eadem referta eſſe plærunque

*Ventriculus pituita fodina eſt, quod phaenomena probant.*

(q) Hæc enim, inteſtinis veluti armaturam quandam præſtat, contra acrimoniam rerum tranſeuntium, ciborum verò furfuri-

que viſuntur : quod non raro indicat tum in pueris, tum in adultis, ſenibuſque, ac viris, affluens mucoſa quædam alvi proluvies, adeo enim quandoque abundat, ut uno die plus excernatur, quam totum cranii ſpatium continere poſſit; ſimiles autem alvi fluores perſiſtere dies plures crebro cernimus. Quis igitur ex animo aſſeret, hanc è cerebro fundi, & conſequenter ab eodem generari? quod à jecore non fiat, non eſt (arbitror) qui ambigat, nec minus à liene: Ventriculus igitur harum agendarum erit magiſter.

§. 9. Nec huic quidem ſenſui ratio refragabitur. Quid enim pituita eſt niſi alimentorum (r) gluten, quem imbecillus ventris calor conficere, aut, ſi vis, diſſecare coctione non potuit? Poteſt etiam credi, hanc in (s) ore primum ducere exordium, ſi bolum jam manſum, priuſquam devoretur, obſervaverimus: non enim omnino pituitæ expertem comperies. At eſto hæc, ſi lubet, è faucibus tracta, bolo- *Et ratio. Pituita quid?*

furfuribus cohæſionem dat ſua glutinoſitate. quia verò partim diætæ vitio, partim ob caloris imbecillitatem generatur, hinc ejus plus minuſve adeſt, pro re nata, interdum verò ab acribuſve humoribus abraſa, inſigni copia excernitur.

(r) Quod glutinoſi in cibis eſt, niſi à forti calore ſuperetur, probabile eſt in pituitam faceſſere.

(s) Iterum confundit pituitam, propriè ſic dictam, cum ſaliva, quam appellare poſſis pituitam oris, eſtque ſobolis pituitæ naturalis, quæ permixta ſero copioſo, mediantibus glandulis maxillaribus eorumque ductibus, in os deponitur, ut, inter alia, inſerviat quoque cibis humectandis, & ad meliorem tum maſticationem tum coctionem diſponendis.

boloque mixta; in ventriculo tamen quod potiſſimè fiat, ambagibus amplius diffidendum non eſt: præterea & in inteſtinis ipſis, cum conſtet, non omnimodam in ventriculo abſolutamque ciborum coctionem fieri; non enim oportuiſſet hominem (t) tantos inteſtinorum plexus habere: (u) uſtæ equidem jam feces eſſent, antequam ad rectum inteſtinum appellerent, ſi exacta alimentorum concoctio in ventriculo fieret. Forte hæc non omnibus ſufficienter probare intentum videbuntur: verum iis, qui in medicina facienda diutius ſunt exercitati, hoc non eſſe novum ſcio.

*Ciborum coctio non abſolvitur in ventriculo.*

*Quarè pituita potiſſime in inteſtinis reperiatur.*

§. 10. Quum igitur pituita hæc à ventriculo exordium ducat, neque quicquam ea ſit, præter cibi, perperam cocti, partem viſcidiorem, eam propterea (x) regionem potiſſimè

(t) Crede potius *Fernelio* ſcribenti *cap. 7. de part. corp. hum. deſcr.* tantam, totque gyris implicitam circumductionem, naturæ ad abſolutæ diſtributionis munus accommodavit, ne alimentum confeſtim elabens, gulæ inſaturabilique abdomini nos ſubjugaret, & ne ſordido dejiciendi crebrius miniſterio, indignæ hominis dignitate ſervituti, nos mancipare. In tantæ itaque viæ longitudine, quicquid utile eſt alendo corpori, in venas meſentericas diſtribui commodè poteſt.

(u) Nullus eſt uſtionis propterea metus, quandoquidem coctio quæ in ventriculo fit, Elixatio eſt, & humiditatem adjunctam habet. Nec etiam fæces uſtæ ſunt, ſed terreſtris portio, & glutine coagmentata, ſi diutius, quam par ſit, moretur, ſiccatur & ferè exuritur in craſſo inteſtino.

(x) *Cl. Gliſſonius. Anat. Hepatis. c. 40.* ſtatuit, id quod in ſanguinis maſſa pituitoſum eſt, deferri ad ventriculum & inteſtina, quoniam magnam cum pituita habeant affinitatem, ſiquidem illorum interiora humore hoc muccoſo velluti incruſtantur.

(y) Hoſ-

ſimè incolere fas fuit, quam maximè haberet familiarem: in viſceribus vero degere maximè licuit, tum quod in iis nata ſit, tùm quod pluribus plexibus inteſtina involuta ſunt, quibus perfacile glutinis inſtar hæret. Hanc aſſiduo ſuctu trahunt meſentericæ venæ, inteſtinis infixæ, quæ inſidiatorum more prætereuntes depeculantur: Sic enim hæ à cibis in inteſtinis contentis, trahunt quod lubricius eſt, cum quo & pituita introducitur, ac ad jecur una cum chilo fertur, ubi ex (y) ea forſan aliquid in ſanguinem vertitur: Potior tamen pars incocta jecur præterit, cum non facilè emendet jecur coctionis ventris vitia, nec vitium jecoris partes aliæ. Hoc, inquam, crudum à jecore in venam cavam ſimul cum ſanguine emiſſum, in univerſum corpus per venas diffunditur ſanguini mixtum, quo ſanguine veſcitur pulmo, cerebrum, artus, & corporis reliquum.

*Quomodo pituita in venas feratur.*

§. 11. Quod enim de pituita ſimul cum ſanguine per venam arterioſam hauſerunt pulmones, hoc paulatim, dum licet, per trachæam (z) arteriam, ad fauces pellitur. Quod

*Pituita à pulmonibus hauſta unde?*

(y) *Hoffmannus l. 2. Inſt. c.* 133. certus ſum, inquit, totum hoc commentum ortum habere ex confuſione pituitæ cum *crudo humore*. Negari interim non poteſt, cum fames urget, cum calor acrior & acutior eſt, etiam pituitam hanc elaborari in ſuccum meliorem, & rapi in venas, eoque corpus analogicè nutriri, obtuſa caloris efficacia, ne is partes noſtras nimium depopuletur.

(z) *Hoffmannus lib. cit. c.* 135. quod è pulmonibus aſcendit, & cum tuſſi exit, *Spurium* vocat *Sputum*, vulgoque peculiari nomine Græcis dici ἀνάχρεμψις, quæ *Heſychio*

Quod facile cernitur in aliquibus, qui ex pulmone, matutino præcipue tempore, craſſiſſimas pituitas expuunt, omnis deſtillationis expertes: verumtamen non omnino citra tuſſim.

*Pituita in cerebrum quomodo tendat.* §. 12. Qui etiam ad cerebrum irrepit ſanguis, ſecum de pituita ducit, pro ratione abundantiæ: nam in venis, præcipue magnis, nulla eſt ſecretiva vis, ſed ſanguinem ferunt qualemcunque ex hepate receperint, ſeu pituitoſum, ſeu purum; nondum tamen tam purus eſt, quin aliqua pituita ſit aſſociatus. *Mucus quid?* Hæc eſt igitur illa, ex qua fit mucus, quem cerebrum per nares, vel per fauces excutit; vel craſſa pituita, quam per os pulmo excernit, nulla alia ratione differens à pituita quæ in venis eſt, quam urina à ſanguinis ſero. Urina autem eſt ipſum ſanguinis ſerum; at in venis cum ſanguine eſt mixta, & in renibus ipſis ſejuncta, in veſicam transfunditur pura: *Mucus eſt pituita à ſanguine ſejuncta.* ſic mucus eſt pituita, quæ per (a) venas jugulares, potiſſime internas, in cerebrum delata eſt. Hæc cum cerebrum non nutriat, à ſanguine ſegregata, in (b) proprium receptaculum,

*Heſychio* eſt idem quod ἀνάβηξις, *Galeno* κάθαρσις διὰ φάρυγγος, addit *Philotheus* ἢ διὰ τραχείας ἀρτηρίας. Vide *Heller. in l. 2. Coac. 20. Gorraeum* in voce ἀνάχρεμψις.

(a) Intellige Carotides arterias, loco jugularium, ex hypotheſi de ſanguinis circulatione.

(b) Quodnam ſit hoc receptaculum, jure ambigi poteſt: vel enim erunt ventriculi, aut iiſdem ſubjecta *glandula Pituitaria*, in quam per infundibulum volunt autores derivari pituitoſum excrementum. Sed quorſum deinceps

culum, excrementis cerebri paratum, acervatur: mox per ethmoidem transfunditur, & hunc *mucum* appellamus.

§. 13. Ex faucium etiam venis quicquam tenuioris pituitæ reſudat (tenuiorem autem pituitam dico, quæ aliquid ſeri ſecum mixtum habet) quæ motu linguæ ac faucium agitata, tum vaporibus per poros tranſpirantibus, tum etiam inſpirationis motu, ſpumoſa efficitur, hanc (c) *ſputum* nominamus: hujus enim aliquid à capite defluit, & etiam quicquam ab infernis inſurgit, ſed à faucibus ipſis potiſſimè materia ſcatet. *Sputum.*

§. 14. Per cutem etiam univerſam (d) pituita exolvitur, in vaporem inſenſibilem, quod in ea tenuius eſt; in ſquammoſam materiam ſenſim compactam, & cuti hærentem, quod craſſius. *Pituita per cutem evacuatur.*

ceps vadat, maximè obſcurum eſt: dicunt, per os cuneiforme, intra quod gemina cavitas cernitur, partim ad nares & oculos, partim ad palatum tendens; *Veſal. l.* 1. c. 6. quæ via cum mihi videatur aliquam impoſſibilitatem habere, ego hic ἐπέχω, Tu, ſi placet, adi *Hoffmannum de uſ. part. num.* 863.

(c) Sputum dicitur, quod, ceu inutile, expuatur: conſtat ex varia materiâ, tam à capite & tonſillis, deſcendente quam ventriculo & pulmone aſcendente.

(d) Non eſſe pituitam, quæ vaporis inſenſilis ſpecie per cutis poros egreditur, ſed ſerum; ſatis docet id, ſi quando, accedente cauſa externa, ſenſibiliter excluditur; mera enim aqua ſalſa eſt. Quod verò attinet ad materiam illam cuti hærentem, quam in balneo, detergere ſolemus, quas *Sordes cutis* appellamus, & uno verbo *Fuliginem*; ea conſtat ex vapore aqueo, & effluvio ſubtiliſſimè craſſo ac volatili invicem mixtis, & lentorem adeptis, ob quem modo poros cutis infarciunt; ordinariè tamen cutis ſuperficiei adhærent.

(e) Phi-

craſſius. Hoc autem facilè obſervatur circa partes hirſutas corporis, ut in genis vel capillitio, quas partes furfuraceâ materiâ, niſi quis has ſæpius laverit, refertas obductaſque videmus. quid enim hæc ſunt præter craſſiora excrementa à cute detruſa? magis enim in his partibus manifeſtantur, eo quod pilorum tutela non facile detergantur, ſic temporis ſpatio in majorem cumulum aucta, oculis manifeſtiora fiunt. Cæterum per omnem cutem talis humorum diſcuſſio fit; quanquam in aliqua parte magis, in alia verò minus, pro naturæ partium varietate.

§. 15. Aſt hic humorum ductus ac reſolutio, non pituitæ tantum competit, ſed & bili utrique, & ſanguini, & ſero communis eſt. Ut autem pituita aſſumpti cibi pars eſt frigidior tenaciorque, à calore naturali non ſuperata: ita *flava bilis* vice verſa eſt pars acrior ac tenuior, quam calor naturalis plus æquo coxit. Ater vero ſuccus, pars craſſior limoſiorque, quam calor innatus ſupra modum calfecit, ac quaſi uſſit: ex qua, ſi diutius immoretur, ut Galenus ait, & putrefiat, *atra bilis* producitur. *Sanguis* verò ea eſt alimenti pars, quæ ſua natura (e) proximior eſt ad corporis nutritionem, bene tum à ventriculi, tum jecoris calore moderato præparata confectaque: ex hoc

*Bilis quid.*

*Melancholia.*

*Sanguis.*

(e) Philoſophus *l.* 2. *de part. anim. c.* 3. ſanguinem dicit eſſe τελευταίαν τροφὴν ultimum alimentum, ſub vaporis ſpecie partium particulis intimis ſe inſinuans, à quibus ſubſtantificè alteratur, & acquirit omnimodam cum parte nutrienda ſimilitudinem.

(f) Falli-

hoc enim corpus totum nutriri videtur. *Serum*, qui quintus eſt humor in corpore exiſtens (ſi ater ſuccus eſt aliorum unus per ſe) frigida alimenti pars eſt, tenuior ac lubricior, cujus miſcella ſanguis, & quod in venis continetur, dilutius ac magis fluxile fit: ſicut vice verſa craſſius ac lentius, ſi comitem pituitam habeat. Ex hac autem ſupra modum aucta, non modo ſanguis pigrior in venis redditur, ſed extra venas, ejus duntaxat (f) conſortio (mittimus hîc gelu) cogitur: quod facilè notari poteſt poſt tuſas venas.

§. 16. Porrò tenerrimus eſt ſanguis, qui vitio caret, lactis inſtar coagulati, naturalem per omnes partes colorem ſervans: pituitæ hic funditus expers non eſt, exiguum tamen recipit, ex qua tenerrimè cogitur, nativo calore non vitiato; Neque etiam ſero prorſus vacat qui benignus eſt ſanguis: non enim ſine ſero in anguſtiſſima vaſa ferretur. *Sanguis vitio carens qualis.*

Ac

(f) Fallitur autor, dum ſanguinis conſiſtentiam & concretionem pituitæ adſcribit, bonus enim ſanguis ſubſtantiâ debet eſſe lentus & viſcidus, non cum frigore ut in pituita, ſed cum calore. Lentor ille pendet à fibris ſanguinis: quas eidem ineſſe oſtendit experimentum in iis, quibus vel in manu, vel in pede vena ſecatur, membro immerſo in aquam calentem; hæc enim tota ſtatim tingitur parte ſanguinis rubicunda & ſubtiliore, fibroſis albeſcentibus ad fundum deſcendentibus. Has tenuibus virgis betulaceis, vaſi ſanguinem recepturo impoſitis, adhærentes, oſtentare quidam pro pituita ſolent apud ignarum vulgus. Videtur ſanè, autor ſibi contradicere, dum paulo poſt ſubjungit, pituitam in emiſſo ſanguine ſupernatare & in unum cogi: nam videmus, hac ablata cruſta, reliquum ſanguinis conſiſtentiam habere etiamnum, nec diffluere.

(g) Sicuti

At quanto tenuior, tenerior atque etiam coloratior apparet, qui multa non abundat pituita; tanto craſſior, tenacior, à proprioque colore magis declinans, ubi hæc exuperaverit. Supernatat autem hæc ſtatim in vaſculis vel lancibus, alba vel cineritia apparens, in unumque cogitur, more tenaciſſimi glutinis, ſanguine ſub ſe demiſſo, ſine fibris (ut ajunt) & ſero circumquaque ſepta. Sed non minus hanc ſententiam comprobat, qui in aquam funditur ſanguis ex aperta vena: nam quicquid ſeri, aut ſanguinis ex eo, quod educitur, eſt, id omne per aquam ſpargitur aquæ mixtum; verum pituita, vice craſſorum filamentorum alborum ſimul implexorum, per aquam innatat, quam manibus facilè colliges, ac veluti in lanæ vel ſtuppæ tenacis hapſum reduces. Hoc ſanè facile proſpicitur in iis, qui ſanguinem pituitoſum habent, ut in laborante lue (g) venerea, præcipue diuturna. Apparet autem hoc non modo in ſanguine ex brachio ducto, ſed etiam à manuum venis, ſive pedis, vel frontis, vel linguæ: quod uſu comprobabit, quiſquis in hæc animadverterit. Arguit propterea id, non modo ſanguinem ob pituitæ præſentiam congelari,

*Sanguis pituitoſus quomodo cognoſcatur.*

(g) Sicuti in iis, quorum ſanguis putridus eſt, ob fibrarum corruptionem, is non cohæret, ſed attritu digitorum facilè ſolvitur, imò minima agitatione cum ſero permiſcetur: ita contra in iis, qui Veneri merita lue ſumt peccata juvenilitatis abundant crudo humore, admodum glutinoſo & tenaci. peſſimè enim conſequunt ob exhauſtum & malè reparatum calorem.

(h) Non

gelari, ſed pituitam modo dicto per univerſum corpus vagari. Quod eſſe alius modus præter hunc poſſit, pituitæ videlicet, per omnes corporis partes affluentis, mente non percipio. ſaltem hoc negare jure nemo poteſt, ut manuum (h) venæ pedumque pituita multa abundent, cum ſanguis vitiatus eſt. Eo igitur modo, quo ſanguis pituitoſus ad manus pedeſque delegatur, eodemmet, & nullo quidem diverſo, ad caput mittitur.

*Pituita cum abundat quid præſtet.*

§. 17. Pituita igitur ubi modum non excedit, corpus non gravat, ſed auxilio eſt, facileque dictis antea modis diſſipatur: cum vero plus æquo exuberat, qua parte hæc fertur abundantius, obſtructiones facit, tumores, inflammationes (i) tum articulorum, tum aliarum partium, tam internarum, quam externarum, febres. Ad caput ſimiliter delata majore copia, quam regere cerebrum commode valeat, gravari multis modis id eſt neceſſum, vehementius diuturniuſve, vel minore cum moleſtia, temporeve breviore, pro humoris illuc delati tum copia tum lentore: hac enim ratione colatorio donatum eſt cerebrum, ſecretriceque potentia, ut inutilem quemvis humorem, præcipue

(h) Non poſſunt manuum pedumque venæ multa pituita abundare, ob ſuam exilitatem, tranſitum impedientem; & tanto magis, quod longius abſint à fonte caloris: eſſe verò tenuem ſatis, ratio monſtrat, provenit quippè ex arteriis proximè; & oculus judicat, ex colore florido.

(i) Inflammationes quì el facere poſſit, niſi ob commixtum ſibi acre ſerum ut in arthriticis obſervamus, (*vid. Car. Piſ. obſ. l. 5. c. 1.*) equidem non video.

cipue pituitam, quæ omnium eſt abundantiſſima, ab eo ſanguine ſegreget, qui ſibi alimenti gratia eſt deputatus, Nam perinde atque conduxit in jecinore vim eſſe ſegregandæ bilis, & folliculum pro eadem cum recipienda tum regerenda, ne vagante hac per jecoris ſpatia, ſua acrimonia officium hujus, quod univerſo corpori parat diſtribuitque alimentum, impediretur: ſic cerebrum jure ſecretrice facultate fuit dotatum, receptaculo emiſſariiſque donatum, quo repurgaret ſanguinem, ſibi ſoli pro alimento tranſmiſſum.

*Cerebrum tantum purgat ſanguinem pro ſui nutrimento à pituita.*

§. 18. Quod ſi purgari univerſum ſanguinem pituitâ intellexiſſet natura, non in cerebro ejus cloacam conſtituiſſet, tum quod locus ſit maxime incommodus, cum in extremo ſit corporis poſitus; tum ob cerebri munia. Nam nulla eſt pars corporis hac dignior, propter numeroſas præcipuaſque facultates, quibus à natura fuit inſignita: fovet enim hæc, per univerſumque corpus diſtribuit voluntarium motum, ſenſationem, adde viſum, auditum, olfactum, & guſtum, supereſt, quæ omnium eſt princeps, ratiocinatio. Itaque licebatne hanc partem totius corporis pituitæ receptaculum facere? Quæ pars item ſelectiore ſanguine nutriri debebat, ſi hæc non? Puriore adhuc ac etiam ſelectiore veſcitur cor, non tamen huic natura dedit particulare aliquod receptaculum, in quod reconderet, ſi quid excrementoſum haberet, præter arterias. id autem natura provida omiſit, non incuria vel oblivione, ſed quod hoc ſupervacaneum fore

*Non vero ex univerſo corpore.*

*Cor puriſſimo ſanguine nutritur.*

fore intelligeret; nam alia ratione huic providere fas fuit. Sic enim natura adverſus cor & pulmones fecit, perinde atque prudens œconomus, qui ubi habet operarios, quos dignis laboribus addictos jugiter eſſe oportet, hos nutrit ſelectis epulis, non habentes anſam linquendæ operæ ut ſibi cibos parent, ſed hos preſto ſuis horis offendunt: Sic pulmoni, qui ferè ſemper eſt in motu, ex molli & frigida materia conſtitutus, ſanguinem paulo calidiorem tranſmittit; cordi verò, cui nulla quies tributa eſt, unde excerneret noxia, ſanguis tenuiſſimus, per anguſtum meatum transfuſus, delegatur, in quo excrementoſum nihil eſt, vel perexiguum, atque etiam tenue, quod, per arterias refuſum, facilè evaneſcit.

*Pulmo calidiore ſanguine.*

*Cor tenuiore alitur.*

§. 19. Nec oportuit in jecore pituitam à ſanguine ſejungi atque bilem flavam: nam hæc ſemper nocua, quantumvis exigua. Idcirco, ne ſimul cum ſanguine ferretur, in folliculo recepta, in ventriculum vel in inteſtina refunditur. Pituita cum nocua non ſit, niſi ſua viſciditate ac multitudine, à natura obtinuit poſſe per univerſum corpus, una cum ſanguine, vagari: quæ cum in cerebro recepta eſt, nec ei ultra progredi liceat propter vaſorum finem, nec redire ſibi conceſſum ſit, nec cerebrum nutrire valeat, eo propterea loco hanc ſejungi operæpretium fuit: Aſt ſi multa craſſiorve fuerit, obſtructiones, quas antea diximus, ad colatorium fieri eſt neceſſum.

*Cur in jecore non ſegregetur pituita à ſanguine.*

## CAP. VI.

### *A quibus cauſis facilè pituita generetur.*

SI animo negligentiore patiens fuerit, facilè ſua culpa (quam præſtare quandoque neque peritiſſimi Medici poſſunt) in graves à pituita corruet morbos: Propterea, ut formidoloſa hæc devitentur mala, quæ ab exiguis orta initiis, crebro homines in necem agunt, majore cura niti decet, ut ne quid errati fiat nec neglecti, à morbi initio dum is tenellus eſt, vires verò corporis ex adverſo vegetiores. Quo igitur id commodè per artificem fieri poſſit, primum de patientis habitu, de victus regimine, deque aëris temperie ſollicitum eſſe oportet: Ex iis enim, tanquam morborum cauſis, indicationes rerum agendarum ſuggeruntur; eo quod morborum contumaciæ cauſæ ut plurimum eædem ſunt, unde ab initio affectio eſt orta.

*Quæ obſervanda ad hujus affectus præcautionem.*

§. 2. Quædam autem hominum temperies facilè in una temporis conſtitutione patitur, in qua plerique alii integerrima fruuntur corporis ſanitate. Sic qui graciles, raraque textura, tenuiumque vitium, ætate virili & hac potius ſenili ſunt, facilè in hoc genus morbi incidunt: nam facilius gelu denſabitur exigua aquæ portio, vel modico calore exigua glacies diſſolvetur, quam moles major; quòd ad centrum uſque patientis, parvo tempore levique actione, pervadat agentis vis, non æque in id quod majus eſt. Rara etiam corpora facile ab

*Facile in hanc affectionem incidunt Gracilia corpora,*

*Rara.*

ab externis injurias inibunt, quod per latiores perviosſque meatus facilius introducatur frigoris vel caloris vis, quam per denſiores occluſioreſque. Qui etiam tenuium ſunt virium, non facile externo aëri noxio repugnant, ſed occumbent. Virilis ætas, etſi fortior ſit ad motus, cæteraque voluntaria munia obeunda, ut pondera tollere, confligere, & ſimilia; non tamen in iis æque viget caloris innati potentia, atque dum juventutem ageret. Senes huic affectui ſunt propenſi maxime. Undenam ſenium, niſi ob caloris innati, ad extinctionem properantis, fluxum? Hinc tarda & imminuta ciborum concoctio, hinc pituita multa, hinc tuſſes, raucedines, gravedines, & alia, quæ annoſa ſecum ducit ætas. *Tenuium virium.* *Virilis ætas.* *Senes.*

§. 3. Porrò & victus ratio multis modis hunc introducere affectum poteſt: quod ſub hac contineri debeant alimenta, alvi ſegnities, otium, ſomnus, animi mœror. Alimentorum autem multa ſunt, quæ brevi momento in pituitam vertuntur, ut ea ex quibus non ægrè gluten fit; nempe cerealia omnia, & quæ ex iis parantur, ut panis malè coctus, placentæ, (k) alica, puls, chondrum, (l) freſſa faba, freſſa piſa, & cætera hujus conſortii; ſimiliter & carnes ferè omnes, ſed magis quæ ſunt glutinoſiores, ut ſuillæ, vervecinæ, & præcipuè horum viſcera extremaque; & aliorum ciborum multitudo, quam commodè conficere *Sub victus ratione continentur non tantum.* *Alimenta.* *Ex his quæ facilè in pituitam vertantur.*

(k) De Alicæ & Chondri differentia conſule *Dod. l.* 16. *c.* 11.

(l) Freſſa, id eſt, mola aut lapide leviter fracta.

 (m) Præ-

conficere venter non poteſt, pituitæ congeriem cumulat, præter hæc & vina craſſa. Alvi ſegnities idem præſtabit, ſi perſeveret talis eſſe: quod quanto diutius pituita inteſtinis hæret, tanto copioſius de ea ſugunt venæ meſaraïcæ. Otium etiam inter hujus affectus parentes numerari poteſt: nutrit & hoc pituitam ipſam. Nihil minus præſtat prænimius ſomnus. Animi mœror non levis eſt cauſa: facilè præ mœſtitiá languidæ ventriculi vires fiunt, quo languore & hic morbus, & alii plærique excitantur.

*Sed & alvi ſegnities.*

*Otium.*

*Somnus prænimius, Animi mœror.*

§. 4. Sed nondum videmur attigiſſe cauſam præcipuam: dico autem præcipuam, quoniam eá adventante, plærique uno tempore afficiuntur, ea vero abſente, perquam pauci. Hæc porro aëris eſt intemperies, ſub qua reducuntur & regionis locus, & anni tempora: quæ omnia à Medico obſervari non debent penes aſtrorum aſpectus vel motus, ſed penes ambientis qualitatem. Agedum, quis oriente canicula, ſi premant frigora, relicta pexa, pertenuem induit veſtem? vel pellibus quis amicitur illa accedente, ſi calor vigeat? Frigidus itaque aër gravedines & deſtillationes ſecum ducere conſuevit, haſque reddit graviores ac contumaciores, quanto ille fuerit intenſior ſicciorque: qualis in Galliá apparet, hyberno tempore, flante Borea, qui non crebro cum imbre venit, ſerenitatem adferens potius. Æſtatem hic reddit ſalubrem, ſi frequens ſpiret, calores, qui alioquin tellurem urerent, mitigando: Nec inſalubrem reddit hyemem,

*Imò, quæ cauſa præcipua eſt, aer.*

*Frigidus quæ mala concitet.*

*Boreas æſtate ſalubris.*

hyemem, niſi nimio frigore, quod cavere non adeo difficile eſt domicilio, veſtitu, igne, alimento, exercitio, & ſimilibus; non tamen temerè in hæc irruere fas eſt. Auſtrinis flatibus non æque promptos habemus obices. raro humano generi, vel etiam brutis ipſis, utilis eſt æſtuoſa inſpiratio: ex adverſo, raro frigida inutilis. Sed etſi frigus gravedines excitet, & per eadem tempora affluere pituitam videamus, non ob id cenſendum eſt, plus pituitæ gigni tempore hyberno quam æſtivo, in iis qui frigoris injurias cavent. Sed quam æſtas clanculum per omnem cutem deterit, denſata frigore, cuteque ſtipata, intus cogitur, quæ inde per latiora vaſa aperte demittitur, ut per alvum, urinarios ductus, os, nares, ac fauces; hinc fit ut putemus, frigora plura gignere pituitoſa excrementa quam æſtatem: non enim idem eſt de bile; hanc quidem æſtas efficit cumulatiorem. Sed hæc alio loco diſputanda veniunt.

*Non multum inſalubris hyeme.*

*Auſter.*

*Frigora pituitam non generant.*

## CAP. VII.

### *Quomodo curandus veniat hic affectus; quibuſque auxiliis utendum ſit.*

MOrbi igitur natura ex iis, quæ anteà dicta ſunt, perſpecta, affecta parte cognita, efficiente materia nota, fodina recta unde hæc ſcatet affluitque, viis intellectis, per quas auxiliares, tanquam milites, ad

morbi robur, patientiſque perniciem, tranſmitti ſolent, aliiſque cauſis pro majori parte tam internis, quam externis, ex quibus morbus hic excitari poteſt, vel jam factus foveri, vel adoleſcere, vel ſolutus recidere, exaratis; tempeſtivum erit ad ea nos convertere, quæ ad *affectus curationem* conducere videbuntur. quare ducto exordio ab ea indicatione, quæ à morbi natura conflatur, quæ omnium eſt prima plebeiſque cognita, & nullius artificii, dicamus, cum natura morbi ſit obſtructio, nobis hanc indicare, recluſionem fore ſibi remedio. Sed hoc ſcire exiguum eſt, verum quomodo, quibuſque præſidiis id efficias, intelligere, periti prudentiſque artificis eſt.

*Curationis prima indicatio à natura morbi.*

*Gal. 3. M.M. c. 1.*

§. 2. Cum ergo oſtenſum ſit, obſtructionem hanc duplici ratione factam eſſe, altera ob humorem infuſum in membranæ ſubſtantiam, quæ ad ethmoidem eſt, unde meatus illi anguſtiores redduntur: altera, affluentis pituitæ tum copia, tum lentore; perpendendum eſt, num à diſſolutione illius, qui membranam utcunque tumentem reddit, vel ab alterius evacuatione inceptandum ſit.

*Curationis principium.*

§. 3. Ab affluentis ſanè, nondumque firmati, humoris evacuatione exordiendum nobis eſt: nam qui fixus eſt, is poſtrema cura diſſolvendus relinquitur; quem ſi ab initio abſumere nitaris, affectum geminabis, majorem humorum portionem ad eandem partem trahens, quam poſſis diſcutere: ad humoris propterea fluentis evacuationem accedamus.

§. 4. Is autem, qui jam ad ethmoidem pervenit,

venit, ea tantum parte evacuabitur, vel quidquam ex eo, quod tenue eſt, etiam per oculorum regionem: qui verò per cerebri venas diſperſus adhuc eſt, duplici via expurgari poteſt, partim evocatus ad cutem, partim ad nares: ad cutem, diſſolventibus; errhinis, ad nares. Verum ſicuti ſuſpecta erat à principio diſſolutio humoris membranam obſidentis, ob metum majoris attractionis, cum in toto cerebro ſuperflui humores vagarentur, qui facilè ac repente ad excalefactam partem prorupiſſent; non minore periculo, quod in univerſo cerebro contentum eſt, ab ipſo principio diſcutientibus vel errhinis evacuare tentabimus: quoniam hæc alios humores accerſent, qui in venis proximis, tanquam auxiliares hoſtes, ſunt præſto. Longius erit igitur incipienda evacuatio, nimirum ab ipſo fonte unde humor hic originem ducit: at hoc non partis medicæ morbum curantis eſt opus, ſed ejus, quæ (m) præcavet. Huic igitur prima impendenda eſt opera: purgandum propterea corpus eſt primo per inferna, nam vomitus caput replet. *Inchoanda cura à purgatione per alvum.*

§. 5. Finge igitur, hyberno tempore, patientem ætatis mediæ, mediarum virium, ad nullam intemperiem evidentem ex natura inclinan- *Proponitur ægrotus curandus.*

(m) Præcautio ſive Præſervatio vulgò deſumitur à cauſa, hæc verò cum in ſua eſſentia morbus ſit, videlicet fiens, liquet, non niſi reſpectu differre hanc à Curatione. non enim medicus curat cauſam quà cauſa, ſed ut morbum fientem, impediens quo minus is migret & immutetur in morbum factum.

 (n) Non

clinantem, gravedine vel deſtillatione affectum: nam utrique horum, gravedini ſcilicet & deſtillationi, communis erit cura, localibus aliquibus exceptis, ut gargariſmatis in deſtillatione, vel linimentis intra nares in gravedine, ubi ſit acris humor. Purgandus, inquam, eſt hic primò. Nec obſtabit, quod aliquando à Galeno dictum eſt, quod viſcidi humores in viſceribus contenti prius præparandi veniunt, quam purgentur: nam humores in viſceribus exiſtentes (excipe eos qui aliquando ſunt fixi, tumorem facientes ut phlegmonem, vel aliud tumoris genus, quos movere non oportet ante coctionem) facilè quocunque tempore purgari poſſunt, præcipuè pituita ipſa: nam ea ſtatim, accepto cibo vel potu, ſe illis commiſcet; quod facile patet in iis, qui familiarem habent vomitum: ob hanc cauſam jure purgari poterit nullo apparatu præmiſſo.

*Lib. quos purgare oportaat.*

*Purgatio.*

§. 6. *Purgatio* autem talis eſto. *Rec. foliorum ſenæ* ℥ iij. *ſem. aniſi* ʒ j. *fiat decoctio ad* ℥ iv. *cui immiſce oxymell. ſimplicis* ℥ iij. & propinetur. Quod ſi valentius educere poſtules, *adde* ℥ j. *ſyrupi roſ. laxativi*, *vel adhuc* ℥ j. *oxymellitis ſimp.* ſic ut ſint in totum oxymell. unciæ quatuor cum decocto ſenæ dicto. Interdum, loco oxymellitis, ut in mulieribus, vel aliis, quibus acetoſa non admodum placent, vel ex natura non conferunt, ut gracilibus, vel ſicca tuſſi affectis, uſurpare poteris *ſyrupum roſar. laxativum*, ad oxymellitis dictam quantitatem.

§. 7. Die-

§. 7. Diebus aliis capiat manè & veſperi *juſculum pulli gallinacei*, cum quo bullierint *folia carduum*, *& radices petroſel. & fœnic. ſeminaque melonum cum ſale* pro conſuetudine: Bibat *ad* ℥ vj. *vel* viij. mane horis tribus vel quatuor ante prandium, tantundem veſperi duabus ad minimum horis ante cœnam.

§. 8. Paretur inſuper *aqua*, in qua coctum ſit aliquid *liquiritiæ*, adjectis poſt bullitionem pro libra ſingula aquæ *cinnamomi* ʒ ij. ex hac bibat, dum ibit dormitum, exiguum poculum, adjecta ℥ ß. *oxymel. ſimpl.* Vel ſi hoc averſetur, loco *oxymel.* ponatur *ſyr. de ſucco limonum*: vel ſi acetoſa recuſet, impone *julep. roſ. vel viol. vel ſerapium ex jujubis*, *vel ſolo ſaccharo* dulcoretur. ſi noctu, vel inter cibos ſitiat, potet ex eadem: nec multam ferat ſitim. *Aqua pro potu.*

§. 9. Intereà caput paulò calidius conſueto ſervetur: ſed non coactum vel ſtrictum, immò laxum, & per vices, amoto pileo, vapores excutiantur. Noctu dum ibit dormitum, linteum calfactum capiti imponat, ac bis terve reponat ſine frictione, vel adeo exigua, ne attractionem ullam movere poſſit. Idem matutino faciat tempore, ante ſumptionem juris præſcripti. Interea nimium vitet ſomnum, vigiliaſque nimias. *Caput quomodo tegendum.* *Somnus nimius vitandus.*

§. 10. Si verò morbus idem maneat, vel auctior fiat, medicamentum purgans iterum propinabis, ad diem quartum poſt primum pharmacum.

§. 11. Sequenti luce, vel ſecunda, *caput lavet* lixivio bene parato, & ſapone levius *Capitis lotio.*

obdu-

obducatur, vel loco hujus agarico, prius in tantillo lixivii infuſo: Sitque lotio brevis, ſiccatioque. Aliis diebus, pectinetur blandè, molliterve caput contrectet craſſiore panno ex cannabe novo ac calido: interdum inter pexendum tegat, leviterque extergat.

§. 12. Mox tecto capite, & poto jure, muniis conſuetis ſe præbeat, vel alicui generi exercitationis, quæ proximè accedat ad conſuetam operam, luſui pilæ, armorum, equitationibus, choreis, luctationibus, ſaltationibus, levibus curſibus vel ſuccuſſationibus: poſt quæ, ſi ſudor ingruat, ſubuculam ſiccam induat, & cutem linteo tergat ſiccetque: quod exercitii genus, non modo poſt ſecundam purgationem, ſed & ſtatim poſt præteritam diem primæ inire poterit.

*Exercitia.*

§. 13. Ubi verò alvus ſponte non liberaliter egerat, diebus purgationem ſequentibus, alterno quoque die voret *pilulam* unam *cochiam*, vel *aggregativam*, dum ſomno ſe componet, vel poſt primum ſomnum.

*Pilula.*

§. 14. Si tuſſis adſit, *leniat* totam thoracis anterioris partem *recenti butyro*, & *ol. amygdalino dulci*, portione utriuſque pari calidè, linteoque duplo ac calido tegatur, aliiſque pannis ea parte muniatur, ut prorſus frigoris injurias caveat. Et quia interdum nimio munimento tegitur, calefit thorax etiam nimium, ex quo vel frequentior inſpiratio, vel tuſſis excitatur, cauſam ignorantes tum patientes, tum qui juniores in arte medica exercenda, ſunt. Hanc igitur ob rem, halitum ei parti repente

*Litus.*

*Admonitio de thorace tegendo.*

repente præbere par eſt, thorace retecto, mox iterum levius obtecto.

§. 15. *Tuſſim* leniet, ſeu pinguior ſeu aridior fuerit, frequens uſus *ſacchari* (n) *candidi*, & harum tabellularum *Rec. ſacchari can.* ℥ ij. *penidiorum* ℥ j. *pollinis liquiritiæ* ʒ j. *pollinis iridis.* ℈ j. diſſoluto ſaccharo & penidiis, ex aqua roſ. parentur ex arte tabellæ. quandoque uſurpet *diatrag. calidum.* Sed hæc minus frequentia ſunto: gaudet enim natura ſimplicibus, & iis præcipuè, quæ minus guſtum agitant. conferet & *julep. violaceum*, *roſaceum*, *ſyrupus ex violis*, *endivia*, *vel jujubis* ellinctus, *ſuccus liquiritiæ*, *liquiritia* etiam *ipſa manſa*: leniunt autem hæc aſperam arteriam, ſi non ingurgitentur, ſed ſenſim deſcendant. Verum non minore animi attentione cavendum eſt, ne etiam caput ipſum calidius ſervetur, quàm ſit æquum: attrahit enim calidum pluſquam diſſolvere poſſit. hinc fit etiam, ut morbus gravius inſurgat, vel pertinax hæreat, cauſa incognita. *Tuſſim lenientes Tabellæ.* *Admonitio.*

§. 16. Interea *errhina* leniter uſurpari poſſunt, eoque parcius mitiuſque, quo crudior morbus eſſe videbitur. Nam coctio in hoc affectu attenditur penes materiam à capite deſcendentem. *Errhina quando & quomodo uſurpanda.*

§. 17. Ad morbi autem principia quæ exernuntur, pellucida aqua eſt, vel tranſparens, tenuis *Coctio in hoc morbo penes quid ſpectetur.*

(n) Non candidi ſed *cantis* aut *cantis* ſeribendum eſſe, quandoquidem fiat cryſtallizando κανθὸν, id eſt, anguloſum, docet *Cl. D. vander Linden Select. med.* x. §. 16.

(o) Samp-

tenuis claraque pituita, quæ potius ſuo pondere ac tenuitate perfluunt, quam expultricis facultatis munere dejiciantur: nam quicquid naturæ munere deponitur (audi de humoribus) coctum eſt, quod autem crudum eſt & illaboratum, præter expultricis facultatis conſenſum illabitur, indicans eas partes, unde coctio expectanda eſt, adeo gravatas eſſe, ut ad ſe influxum humorem regere, nec repellere, nec retinere univerſum poſſint, ſed fluere illius arbitrio ſinant. Sed ſequamur ad ea quæ huc pertinent, & de coctione humorum alio in loco fuſius dicere ſervemus.

§. 18. Verum etſi in gravedine quod primis diebus ſtillat, crudum ſit, non ob id ſtatim nobis malum aliquod portendit, ſed neque etiam bonum, quod anceps ſit excitus cujuſcunque morbi partem principem invadentis, dum adhuc crudus eſt, propterea hoc principio nec frictiones multæ ad partem affectam, nec errhina frequentia, neque aſpera, ſed levia conducunt; quò aliqua parte depoſita illius ſarcinæ qua premitur, facilius reliquum vincere, coquere, expellereque poſſit. Eo enim uſque (& jure quidem) protendi cujuſcunque morbi principium priſci ſapientes voluerunt, quouſque natura, ſua pugna, vel minimum quid ſupra morbi cauſam habere inceperit. Oſtenditur autem id nobis coctionis humoris initio, etiam ſymptomatum inclinatione: verum hæc inclinatio prorſus ſuſpecta eſt, niſi præverterint coctiones. Hæ igitur, tanquam emiſſarii bonæ avitæque ſpei, expectandæ

*Coctionis principii ſigna.*

ctandæ ab artifice veniunt videndæque, quo præteritum eſſe morbi principium, & naturam ad victoriam properare, jure profari poſſit.

§. 19. At hanc coctionem nondum appuliſſe crede, interea dum, quod ſtillat, tenue eſt, vel etiam utcunque craſſum, verum pellucidum ac tranſparens, vel luteo colore perfuſum cum perſpicuitate: adde, ſi ſalſo, acido, vel amaro ſit ſociatum ſapore, quæ etiam ægrè excernuntur, niſi quæ ſponte decidunt. Quæ vero cocta è gravato cerebro excreantur vel deponuntur, tenuia non ſunt, non perſpicua, non ſalſa, vel acida, vel amara, immò dulcia, opaca, compacta, alba, ſubpurpureo, vel ſubviridi, vel ſubluteo quaſi colore delibuta. Cum igitur talia apparuerint, fœlicem tunc nobis exitum pollicentur: at ubi nondum ad integram coctionem pervenerunt, ſed incœpta tantum eſt, adhuc ſuſpectus eſt futurus morbi exitus: nam variis in latebris plerunque hic humor occulitur, qui inde conſurgens, denuo pugnam reſtaurat.

*Crudi humoris ſigna.*

*Cocti humoris indicia.*

§. 20. Sed neque etiam, quod coctum multis apparet, & id verè coctum eſt: quandoque enim in hoc affectu contingere vidi (præcipue ubi ex thorace aliquid abigitur) atque in vulneribus ipſis, vel ſinibus anfractuoſis, vel alte inſidentibus putidiſque, ex quibus emanat quædam materia alba, non multum à laudabili pure abſimilis, ex qua fallacem conflat ſpem, qui probe non fuerit in iis diſtinguendis exercitatus. Quare ubi hac in re animi

*Quando, quæ cocta apparent, pernitioſa ſint, nec ne.*

anceps

*In praxi uſitis obſervatio.* anceps fueris, ad mores morbi te converte: qui ſi leniores facti ſint, in meliuſque procedant, judica eſſe humoris coctionem; ſi verò æque gravis eſt morbus, vel fortè moleſtior quam dum manifeſtam cruditatem præ ſe ferret, judica hominem tendere ad perniciem, & eam non eſſe coctionem, ſed humorum uſtionem, ac partium ſolidarum liquationem. Noſcitur etiam colore, conſiſtentia & copia: color enim, etſi albus ſit opacuſque, utcunque tamen ſplendens eſt, & conſiſtentia nimis compacta, adeo ut ferè ſemper rotunda expuatur, copiaque ſupra modum abundans, adeò ut facilè de iis judicare poſſis, vel mortem proximam vel empyema futurum. Febre etiam ii nondum vacant cum pulſuum inæqualitate non levi. Aſt inſtitutos limites egredior.

*Errhinorum materia,* §. 21. Dum igitur eorum, quæ è capite fluunt, celebrari concoctio cœpta eſt, tutius *naſipurgiis*, & aliis præſidiis localibus uti poteris, ut in nares hauſta *aqua cum ſucci betæ pari menſura, addito momento mellis roſacei*: *vel aqua, in qua aliquid cyclaminis radicis, vel pyretri fuerit maceratum, puta* ʒ j. *in* ℥ x. *aquæ*: vel *pulvis* inſufflatus, vel per nares hauſtus ex *pyretro, vel cyclamine, commixto agarico.* Sed parciſſime pedetentimque cum iis agendum eſt, *Et quantitas.* ita ut prima vice non plus trahat, quam grana hordei tria quatuorve ponderant, & ſic plus minuſve addentes vel minuentes, ut uſus indicabit. nam plerique ſunt, qui quacunque re leviſſima ſternutamentis multis agitabuntur,

alii ex ſolo roſæ odoratu; ſic ſatius tutiuſque erit, lento gradu in hæc incedere, quam temere præcipitare. Facilius augere medicamenti vim poteris ſi minor juſto ſit, quam demere ſi auctior. Tempus autem ad horum uſum aptum, erit paulo ante prandium, vel paulo ante cœnam, ſemel in die vel alterno quoque die. *Tempus utendi.*

§. 22. *Frictiones* univerſæ cutis proderunt non leviter, nam vice exercitii humores cutaneos abſumunt: neque lenes multum, neque plus juſto eſſe aſperas par eſt; nam lenes nihil vel paululum removent, aſperæ verò ſtatim cutem lancinant, nec diuturnæ eſſe poſſunt, Mediocres igitur, diuturnoque tempore adminiſtratas, conferre, & uſus & ratio comprobant: inchoandæ à cervice ſunt, mox ordine deſcendendum eſt ad talos uſque, una aut altera hora ante paſtum. *Frictiones.*

§. 23. Frictionibus *Balnea* utilitate præferuntur. Fiunt autem *ex aqua* pura fontis, vel fluvii, vel putei, nulla miſcella adjecta: vel, ſi lubet, *immiſſo momento origani, hyſopi &* (o) *ſampſuchi:* revocant enim valentius balnea humores in alto latentes ad extremam uſque cutem, & coctioni diſſolutionique eorum, evidentiſſimo ſunt auxilio. Caloris modus eſto, quantum nulla moleſtia ferre poſſit patiens: ſolium capax, quo immergi libere in id totum corpus poſſit ad jugulum uſque: inſiſtat *Balnea.*

(o) Sampſuchum quid ſit vide apud *Dodon. l. 9. c. 1. & 2.* noſtra enim majorana creditur ſampſuchum eſſe Veterum.

ſiſtat unius horæ ſpatio, plus minuſve pro patientis viribus vel arbitrio. Aſt non hæc omnia ſimul confuſe temereque miſcenda veniunt: Sed quo die balneum fuerit ingreſſus, non perfricandus eſt niſi in balneo, manu vel ſavano ad cutem tergendam; vel dum exit, ad aquam, tum ſudores reſiccandos. Commodiſſimum erit tempus pro iis excipiendis, ſub horam primam, poſt potum juſculum pulli ſuperius dictum. Interea *curas animi* abigat patiens pro virili ſua: nam hæ ventris jecoriſque munia evidentiſſime proterunt.

*Animi cura.*

*Alimentorum rectus uſus in hoc affectu.*

§. 24. Cæterum non exigui eſt momenti ad morbos ritè curandos ea indicatio, quæ ex *alimentorum uſu* probè elicitur. Studioſe igitur penes hæc attendere oportet, ne qualitate ſua noxia ſint, ut ea, quæ ſupra notavimus, ex quibus pituita (hujus affectus materia) facile gignitur, neque quantitate excedente ventriculi vires ſuperet: neque has defectu langueſcere ſinant. Quod ſi horum ſumendorum modum etiam nihili feceris, morbo nonnihil ſecundabis; puta ſi frequentius, vel rarius capias, illud inceptam prægreſſi cibi coctionem pervertet, hoc verò corpus macerabit, ſqualidum reddet, & contumaces humores, morbum nutrientes, faciet pejores. Quid etiam, ſi dum exercere conſueveras corpus, nutrimentum capias? vel ſecus ubi, dum epulari licebat, exercitio alteres? vel, dum morbo non premeris, aridum corpus linquas; &, dum ægrius habeas, cibo refarcias? univer-

univerſum ſanè coctionis ordinem perverteret. Navanda igitur erit opera, ut in hac parte (in qua facile labuntur) non peccent ægri. Sunto igitur alimenta qualitate ea, quæ ſenſibus patet, quam actualem nominant; tum altera inſita atque oculis recondita, quam potentialem appellant, ad humidum calidumque inclinantia.

§. 25. Adverſa ſanè eſt ea victus ratio, in hoc potiſſime morbo, poſt febres ipſas, quæ corpora ſiccat. rationes dicere cunctabimur, poſt abſolutum ſermonem de curatione. *Elixæ* igitur *epulæ* aſſis præferendæ, quanquam & aſſæ non prorſus interdicendæ: verum cum iis edendus panis infuſus in jure elixatarum carnium, vel potandum prima menſa jus erit, vel ſimul edendæ epulæ ex *oleribus*, *carduis* ſcilicet, *borragine*, *betis*, & cæteris, quæ uſui & conſuetudini humanæ ſunt accommodata, adjectis *origano* vel *hyſſopo*, vel *thymo*, vel *ſampſucho*, vel ſimilibus aliis: nam hæc coctioni atque diſſolutioni craſſorum pituitoſorumque humorum conducere ſunt nota. Liquamina etiam ſeu *embammata* cum carnibus, non ſunt deneganda, ut ex (p) *garo* vel *oxygaro*, vel aliis, quæ *aceti muriave* mixtu-

*Victus ratio ſiccans mala.*

*Vid. infra. cap. 9.*

*Paradoxon autoris.*

*Salita & alia incidentia utilia.*

(p) Quid *garum* & *oxygarum* ſit, in ambiguo eſt, *Plinius l. 31. c. 7. liquoris exquiſiti genus, ex inteſtinis piſcium, ſale maceratis. ut ſit illarum veluti putreſcentium ſanies,* eſſe dicit: *hoc*, addit, *olim conficiebatur ex piſce quem Græci garum vocabant. Iul: Alexandrinus l. 15 Salubr. c. 9.* ſpeciem ejus eſſe dicit, quod hodie apud nos in uſu eſt, ſalſamenti, ex conditis & putreſcentibus *Anchioeciis* parati:

mixtura, vel *aurantiorum ſucco ac cortice*, vel melliti juris, & ſimilibus conficiuntur: adde *piperata*, & quæ hujus ſunt generis. Conducent & *offellæ ex ſalitis carnibus*, immò quicquid *muria*, *melle*, vel *aceto*, *piperive* conditur, moderate ſumptum juvat.

§. 26. Aſt hæc inſulſus invidusque cenſor non præteribit, niſi noxiæ verterit, nec junior medicus, quin vitio reputet. Sed qui rationi obtemperant patientes, & qui primotibus animi conceptibus ſtatim non aſſentantur Medici, non noxiæ neque vitio dabunt, ſed jure inter præſidia collocabunt: intelligentes non iis eſſe corpora reſarcienda, neque tanquam nutrimenta ingerenda; ſed ad appetitum (qui in hac ægritudine facilè collabitur) excitandum, adque craſſas ac viſcidas pituitas detergendas reſecandaſque. Nam hæc ciborum genera non parum commendata ſunt à Galeno *in lib. de attenuante victus ratione*, *c.* XI. quæ hoc in affectu non eſt parvi facienda. Cavenda tamen hæc veniunt, ſi febris adſit, vel inflammatio, vel acris, acida, vel ſalſa ſtillatio.

*Potus.* §. 27. *Potus* ſit *aqua ſacchara, aniſis, cinnamomo* confractis diu agitata, ut libræ ſingulæ aquæ, binæ ſacchari reſpondeant unciæ, & cinnamomi aniſorumque cujuſque unica vel duplex

rati: aut ſuſpicatur, Veterum *Garum* eſſe noſtrum *Caviarum*, aut proximam certè ei materiam, quæ accepto humore aliquo, paulo liquidior ac mollior evaſerit: cum potuerit temporis uſu ex voce Garum primo Gavarum, tum Gaviarum, deinde etiam Caviarum formatum fuiſſe. Huic liquamini, ſi acetum addatur, fit *oxygarum*.

(q) De

plex drachma. Duplici autem vaſe agitetur, & ex uno in alterum refundatur, donec ſaccharum craſſe confractum, diſſolutum prorſus evadat. Aqua autem ſit ex optimo fonte, vel puteo non minus bono: Quod ſi aqua haberi non poteſt exquiſita, melior quæ in promptu erit, primo paululum bulliat, mox more dicto accommodetur: ex qua potet in menſa, vel etiam aliis horis, ſi ſitis invitet, vel ex alia ſupra ſcripta. Si aquæ potum averſetur patiens, vel exiguarum ſit virium, vel gravis alioquin non ſit morbus, *vinum album* probè dilutum erit ex uſu, vel *rubrum tenue* & conſiſtentia, & colore, & viribus.

§. 28. Ab iis, ſi prius ſcriptum ſorbendum gallinacei pulli juſculum æger faſtidiet, mutari ex patientis arbitrio poterit, ut ejus loco ſumat *jus carnis vitulinæ* vel *vervecinæ*, cum quibus ſi quicquam *ſuillæ* vel *bubulæ* ſale conditæ fuerit elixum, ad rem conferet; modo ſalitum jus plus juſto non ſit. Juvabit & jus *caulium viridum* vel *rubrorum*, cum carnibus dictis elixatorum, vel *butyro recenti*, vel *oleo olearum*, vel *amygdalarum dulcium* recenter expreſſarum. *Iuris ſumendi variatio.*

§. 29. Purgationis etiam præſcriptæ vice, *rheum manſum* utile eſt *ad* ʒ j. *vel* ℈ ij. *cum pinguibus uvis paſſis corinthiis vel damaſcenis*. Abundantius educit manſum, quam duplum devoratum potu vel bolis; meliuſque manſum pituitam ducit: juvabit & *decoctum* ʒ iij. *vel* iiij. *foliorum ſenæ, cum prunis damaſcenis*, vel cum jure pulli. Poſſunt & dari ad ʒ viij. *vel* x. *Purgationis varietas.* NOTA. *Rhabarbarum manſum valentius purgat.*

verum ſatius eſt parcius ac frequentius ducere, quam plenius & longioribus intervallis: quod non humorem, (ut antea dictum eſt) qui facit morbum, purgante medicamento ducere intendimus, ſed alium, qui niſi educeretur, ad morbum faciendum, vel ſuſtinendum properaret: hunc verò levi purgamento deturbamus. Datur & *agaricus ſimplex*, à ʒ j. ad ij. *ſyrupo roſaceo, vel oxymellite ſimplici* exceptus, *cinnamomi momento addito, & in bolis* nebula obductis, julepoque aliquo ex præſcriptis reſperſis, devoratur, cui ſuperpotandum vel juſculum carnium ſimplex, vel præſcriptum, vel aqua pectoralis cum julepo vel ſaccharo. Etiam *in potu agaricus* dari poteſt, ſi patienti gratus ſit: Verum perpaucos videas, qui ejus guſtum prorſum non ſtomachentur, ſi potu devoretur: hanc ob rem in bolis magis commendo, ubi vomitum ciere non ſtudeo. Des & ſi lubeat, *ex diaphænicone ab* ℥ ß. *ad* ʒ vj. vel *pillulas cocchias*, vel *aggregativas dictas*, à ʒ j. ad ʒ i ß. Poſſunt autem & medicamentorum formæ mutari, pro patientis animi inclinatione, quum aliqui ſint qui potiones, aliqui bolos, aliqui pillulas averſentur, quantitate tamen ad amuſſim obſervata, pro cujuſcunque virium, conſuetudinis ambientiſque ratione.

*Agaricus non dandus in potu, niſi vomitum elicere ſtudeamus.*

CAP.

# Cap. VIII.

## *Curatio Antiadum, cæterarumque inflammationum in faucibus: & ulcerum in naribus.*

Si aliqua inflammatio urgeat, ut ea quam ſupra *cap. 2.* diximus fuiſſe appellatam *antiades*, ſive *pariſthmia*, ſive *uvam*, ſive quæ pharyngam totam occupat, huic, purgato corpore, ſive infuſo clyſteri paululum acri, *vena ſecetur cephalica brachii* reſpicientis partem magis affectam, deducendo de ſanguine pro virium ratione, venarum amplitudine vel tenſione, ſanguinis vitio, & morbi magnitudine: nam ingens inflammatio copioſiorem phlebotomiam efflagitat, longè magis, ſi ſanguinis vitium adſit cum venarum magnitudine earumque tenſione. Quid ſi virtus ac ætas conſentient? ℥ xij. ubi hæc omnia concurrerint, erit minima eductio: ſuprema verò xviij. quanquam ad majorem copiam educi poteſt unico hauſtu citra vitæ diſcrimen: Verum ſatius fortè erit repetita eductione, quam unica, id efficere. *Si inflammatio fauces divexet.* *Sanguinis miſſio inſtituenda,* *Et qua quantitate.*

§. 2. Eſto *Enematis* talis compoſitio: *Rec. decoctionis malvarum, pariet. violarum, foliorum caulium rub.* ℔ 1. *mellis roſati* ℥ iij. *hiera pic. diaphanici an.* ʒ vj. *olei communis* ℥ ij. compone, & inde ante ſectam venam; vel ſtatim poſt. *Clyſter.*

§. 3. Quòd ſi huic præſidio non cedat inflammatio, ad ſequentem diem medicamentum infra purgans bibendum dato: exigitur *Qualis eſſe debeat purgatio in inflammatione gutturis.*

[illegible] est partic[illegible]
[illegible] plenus & [illegible]
[illegible] humorem, [illegible]
qui [illegible] morbum, [illegible]
[illegible], [illegible]
[illegible] ad morbum
[illegible] properant. [illegible]
[illegible] D[illegible]
à ʒj. ad ʒj. ſyrup[illegible]
[illegible]
[illegible], julep[illegible]
[illegible], devor[illegible]
vel [illegible] carn[illegible]
[illegible], vel aqua po[illegible]
[illegible] [illegible]
ſi patienti gratus [illegible]
[illegible], qui ejus gu[illegible]
[illegible], ſi potu d[illegible]
bolis [illegible] comm[illegible]
non [illegible]. De[illegible]
à ℥ ß. ad ʒ vj. [illegible]
[illegible], à ʒj. [illegible]
medicam[illegible]
tis anim[illegible]
potio[illegible]
[illegible]
[illegible]

*[illegible marginal note]*

iſſolutioni humoris fixi, ſunt adju-

Verum interea in alienas partes revo- *Revellentia auxilia.*
mores deſiſtendum non eſt: diebus
entibus à ſanguinis miſſione vel
e, cutis univerſa frictionibus medio-
s eſt ſolicitanda, modo artus vin- *Frictio. Vincula. Pectendum caput.*
s arcte: hocque tempore pectere
eſt timendum; nam ligaturæ ad ar-
eo humoris impetum revocant:
pectinatio cutis poros aperit, nec
hic atque longa frictio linteis fa-
d has omnes partes attrectatas re-
mor, ea relicta quam adire erat

ibus præſidiis niſi ſubſiderit mor- *Phlebotomia ſub lingua.*
gradu occurrendum erit *ſanguinis*
*linguæ ſuppoſitis venis*, niſi (quod plæ-
cidit in antiadibus, tonſillarum ſci-
mmationibus) videris tumorem jam
um, & rupturæ proximum. *Tumoris ſuppuratio.*
At hoc tantum noſcunt, qui circa hæc
ercitati, quoniam digitis tractari ne-
inundatio percipiatur, ex qua certa
ontenti nota col ur, etiam & ab
verum in to otiſſime viſu di-
oportet, & matum more *Puris contenti nota ex viſu.*
itur veluti rominet ubi pus
tum eſt, & ontrectata mollis
itur: dura ns incenſaque,
ſuppurata : & hîc tundere
gua ven nquam & ſi ſecue-
re jam f ſeris. Symptoma-

5 tum

enim celeris operationis, & non levioris, neque calentis qualitatis: nam tarda & levia humores diutius in ventriculo agitando, fluxum ad fauces potiſſimè, vel etiam alias partes affectas potius parant, quam extra ducant. *Purgans medicamentum.* Sit igitur ex ℥iij. *ſyr. roſ. lax. cum* ʒiij. *elect. roſ. meſ. addita* ℥j *vel* ij. *aqua ex endivia*, quo dilutior fiat potio. vel *diſſolve elect. roſ. meſ.* ʒiv. *cum* ℥i ß. *ſyrupi roſ. lax. & tantundem aqua ex cichorio.* educet enim alterutrum horum non juſto liberalius, neque prænimia mora, nec ſuo calore fluxum augebit.

*Gargariſma.* §. 4. *Gargariſmate* hujus generis fauces colluat, *foliorum plantaginis, vitium, rubi & ulmi ſing. m. j. bulliant in* ℔ iv. *aqua fontis: de qua colata capiantur* ℥ x. *aqua roſ. ſucci omphacii, agreſta dicti, ſing.* ℥ iij. & ex hac miſcella egelida crebro gargarizet. Quandoque ex decuplo aquæ fontis, & ſimplo aceti acerrimi, quandoque ex pari portione aquæ & agreſtæ, aliquando frigida, ſed non extreme, aliquando verò tepida.

*Diamoron parandum ſacchaᴙo, non melle.* §. 5. In ore *lambendo* contineat, paulatim degluticndo, *medicamentum ex moris* factum: verum præſtaret eſſe paratum ex ſaccharo, non, ut fit, ex melle. *Dianucum ſaccharo parandum non melle.* Conducet & quod *dianucum* appellatur; & hoc ſaccharo potius quam melle parandum venit. Præterea *ſyrupus de pomis*, vel *ſyrupus de agreſta*. Partim hæc refrigerando pugnant adverſus partis calorem, & fluentis humoris impetum remorantur reſtrictione; partim ſua viſciditate ac leni calore coctioni, & per conſequens

quens diſſolutioni humoris fixi, ſunt adjumento.

§. 6. Verum interea in alienas partes revocare humores deſiſtendum non eſt: diebus igitur ſequentibus à ſanguinis miſſione vel purgatione, cutis univerſa frictionibus mediocriter aſperis eſt ſolicitanda, modo artus vinciendi ſatis arcte: hocque tempore pectere caput non eſt timendum; nam ligaturæ ad artus factæ, eo humoris impetum revocant: præterea, pectinatio cutis poros aperit, nec tantum trahit atque longa frictio linteis facta; Sic ad has omnes partes attrectatas recurrit humor, ea relicta quam adire erat præſto. *Revellentia auxilia.* *Frictio.* *Vincula.* *Pectendum caput.*

§. 7. Quibus præſidiis niſi ſubſiderit morbus, celeri gradu occurrendum erit *ſanguinis miſſione ex lingua ſuppoſitis venis*, niſi (quod plærunque accidit in antiadibus, tonſillarum ſcilicet inflammationibus) videris tumorem jam ſuppuratum, & rupturæ proximum. *Phlebotomia ſub lingua.* *Tumoris ſuppuratio.*

§. 8. At hoc tantum noſcunt, qui circa hæc ſunt exercitati, quoniam digitis tractari nequeunt ut inundatio percipiatur, ex qua certa puris contenti nota colligitur, etiam & ab idiotis: verum in tonſillis potiſſime viſu diſcernere oportet, & ſymptomatum more. Pars igitur veluti faſtigiata prominet ubi pus contentum eſt, & ſpecillo contrectata mollis offenditur: dura verò, rubens incenſaque, dum ſuppurata nondum eſt: & hîc tundere ſub lingua venas licet; quanquam & ſi ſecueris pure jam facto, non læſeris. Symptoma- *Puris contenti nota ex viſu.*

 tum

*Ex ſymptomatibus.* tum mores, ut senſionis, percuſſionis, ardoris, aurium ſibilationis, impotentiæ deglutionis, & ſimilium nulla eſt remiſſio; ſi proxima ſit puri inflammatio. Si verò pus collectum eſt, hæc omnia paululum remittuntur, ad quam remiſſionem, vel puris collectionem ſpontanea ſinus ruptura ſequitur. *Aph. 47. l. 2.*

§. 9. Quandoque phlebotomo, vel tutius candenti ferro arte parato, aperitur, ſed nulla eſt neceſſitas, quæ ad id urgeat; faciliimè enim per ſe dividuntur, nulla manuali ope adjutæ: nam pure jam collecto, evaſum eſt vitæ periculum, niſi alia in parte proxima ſit tumor alius, tendens & ipſe ad augmentum. quod non rarò contingit, ut tonſillis inflammatis, etiam flammeæ ſint partes adjacentes, in quibus alia collectio ſit ab ea quæ eſt tonſillarum, quarum vel altera duntaxat pus colliget, & altera diſſolvetur, vel una citò ſuppurat, & diutius coquitur altera. Quod facilè comprehendi poteſt ſimilitudine in inguinibus, vel aliis glandulоſis partibus, ubi plærunque tres quatuorque ſimul continui tumores excitabuntur, qui non omnes uno tempore ſuppurant, ſed unus cum pure erit, alio in augmentum tendente. Niſi igitur alius tumor ſit crudus circa fauces, ex eo qui ad uvam vel tonſillas eſt, dum pus habet, nullum pendet vitæ periculum. Sed redeamus unde divertimus. Si, inquam, pus eſſe pateat, non urget neceſſitas ſecandæ venæ ſub lingua, nec alia ex parte, niſi ante collectum pus; vel, ſi rupto ſinu, perſeveret inflammatio, vel ulcus vitioſum fiat.

*Tonſilla ſuppurata facilè per ſe aperiuntur.*

*Interdum una glandula citius ſuppuratur quam vicina.*

§. 10.

§. 10. Nihil æque tam repente phlegmonas ulcerum, vel quæ ſinibus apertis adjacent, vel etiam qualeſcunque velis, mitigat vel extinguit, quàm ſanguinis miſſio à parte maximè inflammationi proxima, vel ab ipſamet. *Sanguinis miſſio à propria parte maximum eſt frenum phlegmonum.* Verùm hîc rarò deveniendum ad partem inflammatam ſcarificandam, quod ægre corrigere poſſemus. ſi præterea humoris fluxus impetum faceret, vel ſi vena aliqua eo diviſa abundantius flueret: ſed ſub lingua ſine metu tunditur. Accidit tamen, ut iis omnibus probè peractis, adhuc ultro pergat affectus, ſi corpus fuerit viriatis humoribus refertum, ut in iis quos lues venerea male habet, quorum cura perveſtiganda erit in eo tractatu, quem de lue venerea ſcripſimus.

§. 11. Cæterum qui humorum vitio non ſcatent, facile, aperto ſinu, in priſtinum ſtatum redduntur, ſola ope naturæ, vel ea utcunque adjuta *gargariſmis*, leviter detergentibus reſiccantibuſque, & mediis inprimis ipſis qualitatibus: ſcilicet, ne calida ſint poteſtate, nec frigida, ſed temperata potius, qualis erit *ruborum vitiumque foliorum decoctio, ex aqua fontis*, addito *ſali ſextuplo medicamenti ex corticibus nucum confecti ex ſacchare*: vel etiam hujus vice *diamoron ex ſaccharo* optimè conducet. *Tonſillis aperta quid agendum.* Si in promptu non ſit ex ſaccharo, utere ex mellie: verum mel ſua acrimonia, dum in ſinibus recipitur, plus mordicat quam deterget, ex quo inflammationes malè habent. Loco horum etiam *ſyrupus de agreſta* magnopere conducet: Tepida autem hæc admini-

miniſtrari debent, dummodo nimius non ſit æſtus.

*Lavacrum ulceris.* §. 12. Quòd ſi ulcus potiorem *deterſionem* poſtulare videatur, parandum erit lavacrum *ex aqua roſ. & plantagin. utriuſque* ℥ ij. *virid. æris* ʒ ß. *calcanth.* ℈ j. *aluminis rocha* ʒ j. *tutia præparata.* ʒ ij. omnibus ſimul modicè fervefactis, paretur penicillus ex goſſipio, ſtilo ligneo, vel cujuſcunque materiæ, accommodatus, in hacque aqua immerſus. Ulcus ipſum tantum abluatur ter quaterque in die: non enim ex hoc gargareandum eſt, quoniam ſanas partes, quæ ſenſu ſunt exquiſitiore, & quæ tenui ſunt cute, facilè aſperitate inutili moleſtaque obducet. nec ſemel in die tantum eluere multo eſt præſidio, facile enim medicamentum ea parte decidit.

§. 13. Adeo ut hîc poſt eas, quæ à morbi natura, vel ab urgente, vel à cauſa, vel ab eo ſine quo non, indicationes conflantur, oblivioni dandæ non ſint, *Admonitio,* quæ à partis natura, figura, ſitu, ſenſuque eliciuntur: neque præter has poſtponenda ea venit, quæ ex remediorum conſequio adipiſcitur, ne artifici ſimul atque ægro idem contingat, quod illi de quo Galenus meminit III. *Methodi, c.* 6. qui dum plus detergere ſordidum ulcus nitebatur, tantò id ſordidius efficiebat; nam plus æquo exiccans non detergit, ſed adjacentes partes liquat, & imbecillius etiam non ulceris vitium extinguit, ſed irritat magis.

§. 14. Eſto igitur hoc tibi infallibile ſignum noſcendi progredientis corruptelæ cauſam à medica

medicamentis eblanditam, vel fultam, vel excitatam, vel auctam. Obſerva, quale ulcus inveneris ante detergentis medicamenti appoſitionem: nam ſi ſequente die rubentiora ulceris ora, vel pallidiora, vel calloſiora, vel prominentiora fiant, hæc indicant medicamentum plus irritaſſe quam vitium contriviſſe; ob id deſiſtendum erit ab hujus uſu, & mitius aliud efficere. Simile accidit, ſi detergens ſit mitius, quam ulceris vitium poſcat: tantum hoc intereſt, quòd ab vehementius ſiccante, ſtatim eodem die ſupradicta ſigna manifeſtam auctionem capiunt perſeverantque: in mitiore verò ſenſim, paulatimque. Quandoque in iis uſurpatur *aqua fortis*, qua aurum ab argento dividitur, vel alia paulò mitior: Verùm ubi partis habitum vitiatum, & corpus ipſum cachochymum offenderit, brevi momento, non citra diſcrimen, ad immenſum ducit affectum; è converſo, ſi opportune arteque fuerit poſita, repente ulceris malitiam funditus extinguit. Verùm hujus uſus cavendus eſt in amplis gutturis ulceribus. Sed hæc obiter dicta ſint, cum non perpetuo, ſed in aliquibus tantum, hæc ob ſolam gravedinem fiant: præcipuè ſi ab initio ritè patienti fuerit proſpectum.

*Modus noſcendi an ulcus ſordidius fiat ob medicamenta appoſita.*

*Aqua fortis uſus.*

§. 15. Si vero ſit gurgulio, ad quem valentius, quam in proximas alias partes, humor ingruat, hic ſtatim & tumidior, & utcunque laxior, & calidior fit: huic ex uſu erunt *gargariſmata* valenter reſtringentia, nec præter modum refrigerantia, qualia ſuperius deſcripta,

*Gurgulionis inflammatio curanda gargariſmatis.*

ſcripta, quibus ſint addita *balauſtium*, *vel galla*. Præterea, ſi laxior ſit, attollenda erit ſpatha reſperſa ex tantillo hujus pulveris. *Rec. roſarum rubrarum*, *balauſt. gallæ immaturæ an.* ℥ j. *aluminis rocha* ℈ j. *piperis gr*. x. omnia in tenuiſſimum pulverem reddantur ad antedictum uſum. elevandus erit matutino præcipuè tempore, ac etiam aliis horis: ſat erit ſemel aut bis in die. Eadem præſidia proderunt, ſi ad lori formam inveneris, quod tamen rarò contingit. Vidi tamen unum, ut ſuperius dixi, cui fœliciſſimè res ceſſit: qui ſi in Empiricorum manus incidiſſet, vix effugiſſet citra ſectionem.

*Laxatio elevatione & pulveris aſperſione.*

*Idem obtinet ſi gurgulio ad formam lori.*

§. 16. Quòd ſi ad formam acini degeneret, tunc periculoſior res eſt: ſed ſi bene tractetur, amputationem, quam Hippocrates jubet, cavebis, niſi jam emortua fuerit uva. Propterea ubi ſic gurgulionem anguſtari ad ſupernas partes videris, quæ pars craſſior eſt dum naturaliter habet, tunc amplius refrigerantibus nec reſtringentibus eſt utendum, ſed diſſolventibus mediocriter eſt pugnandum, ut gargariſmate *ex ſola aqua calida*, *vel in qua ſit coctum aliquid fœnugræci ac fœnic*. & cum ſpatha reſperſa *pipere*, *cumino*, *& fœniculo tenuiſſimis* eſt contrectandus. Nec piper hoc in loco eſt metuendum: nam plærunque uſurpatur ſolum fœliciſſimo ſucceſſu, ubi gurgulio flammeus eſt: unde plebæi, & qui parum exercitati ſunt in rationibus medicis, audent dicere hoc argumento fulti, piper frigidæ potentiæ eſſe, putantes calida tantum expelli à frigidis, igno-

*Si vero inſtar acini uvæ ſe habeat, tum 2. De morb. num. 29.*

*Diſſolventibus eſt pugnandum.*

ignorantes præcipuam inflammationum curationem abſolvi à calidis, reſolventibus id quod parti hæret. *Phlegmonum abſoluta curatio fit à calidis.*

§. 17. Quod ſi nec hæc contulerint, immò tenuior fiat adhuc pediculus, palleſcereque incipiat, nec ſtatim etiam eſt præſcindendus: ſed alia tentare præſidia, quæ iis atque cæteris canceratis partibus, vel propemodum emortuis, extemporaneam ferre opem conſueverunt, nempe *ſcarificationes*: nunquam enimvero gangræna membrum ſuffocabit, ſi hæ tempore ſint adminiſtratæ: at uva ſic conſtituta, in gangrænam labitur, vel jam lapſa eſt. Præterea, cur id ſcarificare formidabis, ubi ſpes adhuc eſt reſtitutionis, quod amputare ſtatueris? nam plerunque & crura & brachia, jam amputationi deputata, liberavimus ſcarificatione convenienti, & in tempore facta. Licebit igitur primum ſcarificare, duplici vel unica ſcalpellatione, ex phlebotomi mucrone facta, omiſſo mucrone tantum detecto, reliquo phlebotomi linteo tecto ac pervoluto; vel exiguo mucrone in ſummitate paxilli inſito, ne reliquis partibus, ſi æger moveatur, injuriam feras. Quod ſi neque iis profeceris, tunc ſectioni locus eſt: forficibus enim ad pediculum ſecanda eſt, mox curandus locus ut ſimplex ulcus. Nondum occurrit mihi aliquem ſecare, nonnunquam tamen vidi quales Hippocrates dicit, *loc. cit.* quos ordine præſcripto ſanitati reſtitui. *Priuſquam gurgulio ſcindatur, Scarificationes inſtituendæ ut in omni gangrena.* *Gurgulio quando & quomodo præcindendus.*

§. 18. Si verò ad nares ſtillans feratur humor, eaſque exulceraverit, medicamentum erit *Si ad nares humor fertur.*

erit parandum quod tum inflammationem factam mitiget, & partem vice loricæ muniat tegatque, & ulcus jam factum ſine morſu ſiccet. Hæc omnia præſtabit medicamentum confectum ex pari portione *unguenti de lithargyro, & pomata, puta utriuſque* ℥ ß. *cui ſint addita plumbi uſti, tutiæ tenuiſſime trita, calcis pluries lota ſingulorum* ℈ j. *aluminis uſti* ℈. ß. omnibus ſimul belle mixtis cum penna leniſſima in nares mittatur, mox digitis premantur narium alæ extrinſecus, quo unguentum intus maneat: vel, in pomatæ recentioris ℥ ß. *aluminis rocha* tenuiſſime triti ℈ j. adjice, & utitor ex penna, prout dictum eſt. Interea non oblitus in omnibus iis, quæ mox dicta ſunt, eorum quæ ad præcautionem ſpectant, nam alioquin operam luſeris. Reliquum nunc eſt, ut in medium ducamus rationes eas, quas ſuperius polliciti ſumus.

---

## C A P. IX.

### *Victum humidum in hoc affectu utilem eſſe, ſiccantem verò adverſum.*

DIverſorum generum contradicendi argumenta hoc meum opuſculum ſuppeditaturum multis non dubito, pro cenſorum varietatis ratione, quæ ſanè omnia ſuſque deque ferre mihi licebit, uno excepto quod inter artis limites eſt, & diſcuſſione quidem dignum. Eſt autem hoc, quod victus ratio à me

me mox inſtituta, quæ humentior eſt, rationi adverſari videatur, famigeratorumque quorundam ſcriptorum inſuper ſententiam oppugnans.

§. 2. Verùm noſtrum erit in præſens oſtendere, non modo nos rationi non refragari, ſed cum ea omni nixu tendere. Quod ſi interea aliorum ſententiæ repugnemus, non id ex inſtituto noſtro eſſe, ſed ex incidenti: nam pauca, vel forte nulla, in medica facultate reperientur, quæ olim utcunque non fuerint à medicinæ parentibus memorata: de quibus, ſi bene exacteque exaratum eſt, quid amplius ſcriptis recenſere juvat? tantum par eſt ea obiter comprobare, non de eiſdem longo ſermone inanique ſcriptura lectores terrere: Ex adverſo, ſi aliqua ex parte defecit quiſquam, quod retegat alius, cur id ſine nota prætereundum, ſi humano generi vel minimo uſui eſſe intelligatur? Non tamen convitiis laceſſendus, neque negligentiæ inſimulandus qui non exacte rem peragit: is tamen majore dignus eſt laude, qui ad ſcopum verius attingit arte, quanquam non adeo omnes ſcriptores continentiæ frænum domarit, ut tantum de iis, in quibus ſunt exercitati, & quæ belle norunt, ea vera eſſe fateri ſint contenti: ſed nonnulli & incognita ſibi ipſis, aliis tanquam certa proponunt, quo plura, vel omnia ſe ſcire ſimulent. Hinc tam fallax præſidiorum aggregatio, abſurdis ridiculiſque pollicitationibus efficta: hinc vana ſimul atque perniciosa juvenum & rudis-plebis confidentia: hinc

*Licet aliquando diſſentire ab aliis ſcriptoribus.*

*Sed convitia ſunt vitanda.*

*Pleriſque ſcriptoribus commune vitium.*

crebri rerum ſucceſſus homines eludentes. Sed revertamur ad incœpta. Etſi, inquam, veritati tantum ipſius rei innitentes, nulli contradicere ſtudeamus, cavere tamen non poſſumus, quin hæc noſtra ſcripta nonnullorum ſententiam redarguant. Quare navandum erit, ut evidentioribus rationibus ſermonis noſtri veritatem ſtatuamus, quam & uſus (ſpero) comprobabit poſtea, ſi cum dexteritate rectaque ratione fuerit accommodatus.

*Argumenta contrariam ſententiam ſuſtinentium.*

§. 3. Examinemus igitur adverſæ ſententiæ argumenta. Contraria, dicent, contrariis ſunt remedia. Lubens hoc confirmo: nam & hoc eodem argumento & meam ſuſtinebo: Ergo ſiccantior hîc victus commendandus, abſit. Abundat hîc pituitoſus humor; non inficior; cæterum ſequela nulla eſt: texe igitur argumenta. Contraria contrariis curantur: Humori ſiccitas contraria: ergo humorale vitium ſiccitas curabit. Aſt coryzam vel catarrhum abundans facit humor, ergo ſiccans victus, quem nemo excludet à grege ſiccantium præſidiorum, catarrho erit præſidio.

*Argumentorum fallacia.*

§. 4. Ne nimium in iis te morer, en conclusionis hujus inconſtantiam, & per conſequens totius argumenti fallaciam. Quamnam dicimus cauſam materialem catarrhi? multitudinem nempe humoris pituitoſi, craſſi, tenacis, ac frigidi. Expende nunc, num ſiccans victus ex uſu futurus ſit, vel iis ſit contrarius: nam multitudini debetur evacuatio, craſſitudini attenuatio, lentori deterſio ſeu inciſio, frigiditati calfactio.

§. 5. Sed

§. 5. Sed neque adhuc in hæc acquieſcet is, quem victoriæ potius quam veritatis indagandæ ſtudium inceſſit: immò hæc omnia poſſe præſtare ſiccum victum, contendere non deſinet, cujus diſceptationis media, cum potius ſcholaſticæ contentionis imaginem, quam rationes ſincerè veritatem percunctantis, ſapiant, facile propterea ſilentio committemus, eorum tamen dubia retegentes, & obices ſimul refigentes.

§. 6. Multitudini ſanè debetur evacuatio, ſed non ea quam victus ſiccans facit: quoniam in hac tantum humores ſeroſi ac tenues evaporantur, craſſi verò tenaciores fiunt, craſſiores, ac magis contumaces. *Multitudini non propriè ſiccans victus opponitur.*

§. 7. Sed num & ſiccans victus, cum craſſos hos humores non evacuet, ſaltem attenuabit abſtergetve? Neque hæc præſtabit ullo modo: nam calor internus nativus, juxta & extraneus, humores in corpore depaſcuntur conſumuntque jugiter, quod humido nutriantur. Eum propterea humorem primum abſumi par eſt, qui in halitum tranſmutari facilius poteſt, & poſtremo loco ſervari, qui craſſior lentiorque eſt. Aſt hic primum deturbandus abſumenduſque venit, qui & morbum facit, & fovet, & auget pro ratione ſuæ multitudinis ac lentoris, non qui tenuior: cujus etiam beneficio natura, quod craſſum eſt, expellit. Hacmet ratione nec calor hic utilis, qui exiccante victu comparatur: nam calor omnis, ubi non habet in quod agat, in humidum, ut Galenus ait, radicale agat ne- *Siccans victus craſſos humores non attenuat.* *Craſſus humor prius evacuandus non tenuis, qui illum fluxilem reddit.*

ceſſum eſt. Hæc autem ſenſu qui non caret, aperte ſine ſyllogiſmo novit.

*Duplici ratione ſiccans victus nocuus.*

§. 8. Duplici igitur ratione ſiccans victus inutilem atque etiam perniciofum hîc ſe prodet; & quod corpus convenienti nutrimento non foveat, & quod craſſas pituitas contumaciores reddat acrioreſque, & corporibus magis moleſtas. Exquirendæ igitur potiores illis rationes ſunt, non ad verboſæ diſceptationis victoriam comparandam, ſed ad finem ipſum conſequendum: nam ad hunc collimandæ rationes veniunt, cum propter hunc illas, non vice verſa, exquiramus.

*Axioma veriſſimum*

§. 9. Porrò quantum in ſe continet veritatis hoc *axioma* (quod & rationum noſtrarum erit aſylum) videlicet, *contraria contrariis expelli*, quantumque magis ſine ulla controverſia ab omnibus uno concentu approbatur, in omnemque rem medicam conſtruendam vel deſtruendam à cunctis proponitur; tanto, inquam, minus à multis in opere peragundo ſervatur, præcipue in affectibus qui exitio non vacant: nam ii numeroſas, varias, etiam & plærunque contrarias ſuppeditant indicationes, quas tantum artis peritus ac diligens (nec quidem citra magnum laborem) poteſt percunctari, noſcere, diſtinguere, ac operi accommodare. Quod ſi iis addas cauſarum indagandarum vel potius inveniendarum difficultatem, & locorum affectorum ſuſpectam notitiam, morborumque ipſorum difficilem cognitionem, maximè ubi in alto corporis deliteſcat affectus, hæc omnia certè, & alia

*Qua ſuſpectum faciant.*

inſuper

inſuper non pauca, veriſſimum hoc noſtrum axioma fallaciæ inſimulabunt: audi, ſi probè non fuerint præviſa atque perſpecta, vel fuerint utcunque neglecta. Hinc illorum errata, qui vulnera, vel ulcera, vel fracturas, vel viſcerum vitia, vel ſymptomaticas febres, vel alios denique morbos omnes citra delectum perperam curant, minimi interdum pendentes quod maximum, & maximi quod minimum: quæ tamen errata bellè cavere ſtudent, qui artis ſunt prudentes, infallibilis (q) axiomatis veritatem omni induſtria ſuſtinentes. *Errata multa ob contrarium non bene cognitum.*

§. 10. Dicamus propterea, quum contrariis bene accommodatis pugnare adverſus omnes morbos liceat, nobis eſſe conandum adverſum propoſitum catarrhum, eiſdem contrariis. Obſtructionem igitur, quam frigidus, craſſus, lentus, ac multus parit humor, liberabunt præſidia quæ calfaciunt, attenuant, extergunt, lubricant, vacuant. Sed hæc ſcire etiam multi momenti non eſt, cum ex iis tantum ſint, quæ à primis ipſis indicationibus comparantur, niſi ſimul & intelligas qua induſtria, qua methodo, quibus & præſidiis hæc efficias: more prudentis bellorum ducis, qui non temerè aciem hoſtibus opponit, ſed locum atque occaſionem nanciſcitur, non equitibus pedites, immò, ſi locus cæteraque concedant, cataphractos obvios dat, reliquaque omnia ſic conſtruere ſtudet, ut omnia omni- *Cum diverſa occurrunt contrarietatum genera, uni prius quam alteri erit prius ſatisfaciendum Vid. Gal. 3. M.M.c.1.* *Ducis bellorum & medici induſtria ſimilis.*

(q) De hoc axiomate aliquid dictum à nobis eſt libello de medici & ægri munere, p. 13.

 (r) Multæ

omnibus pro belli ratione reſpondeant. Simillimo modo medica ars conari contra morbos corporis debet, quò ſingula tempore, loco, facultate, ac numero, ſingulis objiciantur: non quidem ut multitudini omni protinus evacuatio ſit ex uſu, vel deterſio lentis humoribus opponenda, vel frigidis calefacientia, vel crudis coquentia. Sed aliqua cruda ſunt & frigida & glutinoſa, quæ tuto omni in tempore evacuari poſſunt, ut pituita, quæ in viſceribus luxuriat: At quæ in anguſtis meatibus eſt fixa, movenda non eſt, neque medicamento, neque aliter irritando, ſed ſinere, ut Hippocrates dixit, quoad coctionem fuerit conſequuta: quæ obſervatio non modo in exuperante pituita colenda eſt, ſed in quovis alio humore.

*Aph. 20. l. 1*

*Cui contrarietati primò reſiſtendum.*

§. 11. Æquum erit propterea, nos auſpicari ab ipſius *multitudinis evacuatione*, non illius quæ jam facit morbum, ſed quæ ad affectum ſuſtinendum eſt parata. Id efficimus non ſiccante victu, ſed infra vel ſurſum purgante medicamento. Verum interpellabit hîc qui victum præfert ſiccum, quod nec ipſe abhorreat à purgationibus: Aſt has infeſtas magis dicimus, cum ſiccans victus ſubinde ſequatur, unde contumaciores humorum reliquiæ fiunt.

*Secundum genus contrarii, & qua ratione eidem occurrere debeamus.*

§. 12. Ab hac ad aliud genus contrarii, quod etiam in evacuatione conſiſtit, propegandum eſt: & non quidem temerè, ſed ad id quod ordo præſcribit. Vena igitur cava nunc repurganda venit, ſimul & ejus propagines:

gines: quod potiſſimum per renes fiet, per univerſam cutem poſt, nec non item per inteſtina: cum nihil prohibeat, quò minus aliquid quod ad gibbum jecoris fuerit, (r) in concavum iterum feratur per communes utrique parti tubulos. *Alvus* igitur *lubrica ſervanda* eſt, & *urinæ provocandæ* medicamentis ad id deſtinatis: prædita autem horum plurima ſunt calore, & attenuante vi ſimul ac detergente, quæ quo lubricam faciant pituitam craſſam, eorum vis tantum in juribus vel apozematis eſt devoranda.

§. 13 Sed & hîc obloquendi aliis eſt anſa, quod & hæc medicamenta inſtituant. Hoc fateor: veruntamen patientibus eorum conſiliis obſequentibus ſimile accidit atque iis, qui avaro domino inſerviebant: hic autem perexiguo cibo, cantu verò, fabulis ac ſaltationibus multis, ſervorum famem extinguere ſatagebat; ſed non alunt hæc corpora; ſic nec exiguum apozema ad ℥iij. puta vel iv. ut moris eſt, ſemel aut bis in die propinatum cum victu ſiccante, ſufficiet ad diluendos in toto corpore humores, immò vix ipſum œſophagum eluere. *Objectio.* *Solutio.*

§. 14.

(r) Multæ ſunt cauſæ propter quas licet contendere, non dari, nec dari poſſe ejuſmodi regreſſum humorum ex gibba Iecoris parte in concavam; nam & valvulæ obſtant, & continuus ſanguinis ab inferiore ſeu concava parte aſcenſus in gibbæ ramos, quæ in Truncum majorem coëuntes, ſuum ſanguinem in cavæ caudicem deponunt, ad cor deinceps transferendum. Sic igitur, qui in gibba jecoris parte fuit humor, per alvum & veſicam excerni poteſt, mediante Corde & arteriis in inteſtina & renes deſinentibus,

 (s) *Meri*

§. 14. Sed hujus diſputationis victoriæ plus æquo cupidus, in contrarium hic concidet vitium. Replendi ſunt igitur, inquiet, pro libidine, & etiam ultra, potu, patientes. Non enim hoc dico, cum omne nimium naturæ inimicum eſſe quiſque intelligat: quanquam error à nimia multitudine tum potus, tum ciborum liquidiorum, non æquè obſit atque à parcitate: nam huic occurrere nullo modo natura poteſt, immò dum ſiccitate ſuccumbit, vix ſaneſcit; repletionem verò, humidam præcipuè, variis modis deponere abſumereve natura poteſt vomitu, alvi, urinarum vel ſudorum, profluvio, tranſpiratione cutanea, ſanguinis fluxu è naribus, utero, vel hæmorrhoidibus. Sed ciborum defectui, famive quomodo ſuccurret? atrophia, ſiccitateque. Magis igitur attentum eſſe medicum decet circa ea, quæ majus periculum minantur, quam ſecus: quamvis non negligenda cætera. idcirco ea quantitate qualitateque juſcula, apozemata, potiones & alimenta dari debent, quò non onere graventur viſcera, nec defectu ſiccentur, & facultate craſſos humores attenuent, lentos diſſecent, dividant, & fluidos eluibileſque ſuo conſortio reddant: quibus cum muneribus ſimul deterguntur perviique fiunt ductus, per quos ii ferri deturbarique conſueverunt, ut meſaraicæ venæ, ureteres, renum tubuli, cutaneæ venulæ porique.

*Inſtantia.* *Reſponſio.* *Aph. 51. l. 2* *Ciborum abundantia non aquè nocua atque defectus, Et quare.* *Quanta debeat eſſe alimentorum tum potionum copia.*

§. 15. Accedit ad hæc tertium contrariorum genus, quod & ipſum evacuantium eſt: verum

verum duo prima ac cætera, quæ ſine nota præterimus, quæ videlicet deterſione, attenuatione, calefactione, & cæteris ſimilibus qualitatibus pugnant, proviſionis tantum cauſa, & hujus gratia fiunt: hoc autem, ut finem ſine medio alio conſequamur. Jure igitur ſanitas ſequitur in iis affectibus (modo nulla corporis pars putredine, vel extrema imbecillitate conciderit) ad cauſæ morbum facientis ablationem: hæc autem eſt pituita ad ventriculos cerebri, ad ethmoides os, in cæteriſque cerebri partibus contenta. *Tertio contraria quomodo ſatisfaciendum ſit.*

§. 16. Cæterum hæc tertia vacuatio ſicuti proximè ſalutaris eſt, ſi naviter fuerit præſtita: ita retroverſum ocyus perniciem adfert, ſi utcunque impropriè fuerit tentata. dico improprie, ſi extra conveniens tempus, ſi plus, impetuoſiuſve juſto, ſi non per vias conferentes, ſi alienum à peccante humorem educere labores. *Evacuatio humoris morbum facientis quomodo nocua eſſe poſſit.*

§. 17. Quapropter pituitam evacuare navandum eſt, non prorſus dum cruda, non plus æquo, non cum impetu. Huic expurgandæ nares & fauces ſunt accommodatæ, apta & cutis, ut ſupra declaravimus. Quid ad hæc ſiccans victus? quid temperate humidus, attenuante vi præditus? reparat hic omnibus numeris corporis vires: reficit ille morbum. Si igitur rationibus fidem adhibere par eſt, ſiccans victus hîc cavendus venit. *Victus exſiccans cauſam morbificam tollere nequit.*

§. 18. Idem forte fortuna proferet de humido qui contrariam ſuſtinet ſententiam. Producendus igitur hic lapis lydius, unde hujus

 litis

litis examen fiat, cum rationes, quas quiſque ſibi finxit, has defendere omnibus nervis ſtudeat: alius, quia nemini, immò nec veritati ipſi evidenti cedere didicit, ſed jure vel injuria victor vult ſemper haberi. Alius, quia iis phantaſmatibus fidit, quæ ſemel ſibi perſuaſit eſſe vera, ulterioris inquiſitionis fugitantior. Alius, quia omni induſtria propriarum rationum veritatem novit.

*Vnde diſputantium pertinacia procedat.*

§. 19. Conſtituamus ergo hîc Galenum judicem, cætera uſus approbabit. Cedò, quem victum Galenus pituitoſis corporibus commendavit? attenuantem. *Vidimus* inquit, *corpora omnia, in quibus humores frigidi, craſſi ac lenti abundant, ciborum tenuantium uſu majorem in modum levari.* Sed hîc tu: quid obſtat quominus ſiccus attenuans ſit? res ipſa. Perpende quid attenuare intelligas, & propter quid: non obeſum, non œdematoſum corpus; extra enim propoſitum noſtrum hæc ſunt. Humores autem craſſi ac viſcidi ſunt, quos attenuare operæpretium eſt, quo exigantur è vaſis partibuſve in quibus ſunt recepti, ut ab inteſtinis ipſis, inſuper à venis tum amplis, tum exiguis: præterea à cerebri ventriculis, & aliis partibus illi adhærentibus. Attenua nunc dictis in locis humores viſcidos ſiccis attenuantibuſque præſidiis: inter quæ enumeravit Galenus *piper, pyrethrum, ſiſymbrium, ſinapi, allium, capam, origanum, ſatureiam, pulegium*, & alia multa ſimilia: nam hæc ſicca (puto) non dabis, ſed ſorbitionibus elixationibuſque incocta, quo liquori huic detergenti incidentique

*L. de atten. vict. rat. c. 1.*

*Attenuantia non ſemper debent eſſe ſicca.*

que pituita mixta deturbari poſſit. Non diverſa ſanè ratione fluxiles fiunt tenaces humores in corpore, quam artificum gluten: fit autem liquidum hoc, non rebus aridis, ſed liquidis, & iis magis quæ tenuante vi ſunt prædita, ut aceto vel lixivio, quod hæc ocyſſimè glutinis lentorem dirimant, per omneſque ejus partes permeent facilius, quam vinum vel aqua ipſa ſimplex. Cæterum aqua (etſi minus tardiuſque gluten liquefaciat, quam dum lixivium eſt effecta, ob attenuantem vim acquiſitam) gluten liquabit, quod non præſtabunt cineres. Poſſet tamen quiſpiam hæc dialectico ſyllogiſmo ſubvertere, nam propter quod unumquodque tale; & illud magis. Sed pergamus ultra. *Sed & humida, quatenus diluunt & liquefaciunt.*

§. 20. Num abhorret uvas Galenus, pruna & ficus, in attenuante victu? num malvam, blitum, attriplicem, betam, cucurbitam, citrullos, melones, melopepones ſi elixa data fuerint? Aſt quæſo, conveniuntne hæc in victu ſiccante? non incommodant tamen in attenuante: immò & utilitatem ferunt. Amplius Galenus *lib. cit. c.* 12. *Non enim incidenda tantum ſunt aut calefacienda, quæ belle ſputis ſunt expectoranda, ſed moderate etiam humectanda, ne tandem ſiccata ſputa ac lenta reddita, tuſſes excitent exituſque violentiam, unde vas aliquod in ruptionis diſcrimen adducatur.* Quid plura in *commentario* III. *de victu in acutis*, §. 2. *Ergo quæ ad eductionem earum, quæ in pulmone continentur, craſſorum humorum, futura ſunt idonea medicamenta, moderatam humiditatem habere debent, quod ſi viſcoſi humores* *Nam & humida à Galeno fuere præſcripta.*

*humores fuerint, non humiditate ſolum eſt opus, verum quoque & ea, quæ ab acidis fiat, deterſione: ob eam rem melicratum quidem ad craſſorum humorum expuitionem eſt convenientiſſimum, oxymeli verò ad viſcoſorum.*

*Inſt.* §. 21. Dicat hic item, qui contentionem colit, Galenum de humoribus loqui pulmonem vexantibus, nos verò de iis qui caput torquent: Præterea, Galenum hic dicere talia debere eſſe medicamenta, non memorat tamen alimenta. *Reſp.* Huic reſpondebimus, non aliter attenuandos eſſe humores qui ad caput feruntur, quam qui ad pulmones: iis tantum indicationibus exceptis, quæ à partium natura, munere, ſitu, vel etiam figura ſumuntur, quæ tamen curationis ſpeciem nihil prorſus evariant. præterea, Galenum non hoc tantum de medicamentis, ſed & de alimentis etiam protuliſſe, ſi bene ejus ſcripta explorentur.

§. 22. Sed etiamnum nobis percontari ab hoc licebit, num in attenuandis obeſis corporibus humidus victus futurus ſit obnoxius? dubitat nemo, dicet hic. Perperam igitur Galenus cum obeſis egit, quos dum graciles reddere incumberet, talem victum inſtituebat: inquiens 6. *Sanit. tuenda, c.* 8. *Poſt frictionem ad balneum produxi, à quo non protinus cibum dedi, ſed quieſcere interim juſſum, aut etiam conſuetum aliquod munus obire, rurſum ad balneum ſecundo egi: poſtea ciborum multitudinem, qui parum nutrirent, appoſui, eo conſilio ut ſaturarent illi quidem, cæterum exiguum nutrimenti in corpus ſubmitterent.* Sed quæ ſunt hæc alimenta quæ corporibus

parum

parum nutrimenti ſubminiſtrant? olera namque & ſorbitiones, & inter has minus, quæ aquoſiores fuerint: Quod ſi hoc ratiocinatione vel uſu nondum tibi notum ſit, ultroque adhuc hæſites, audi quæ Galenus: *lib. 2. de Alimentor. fac. c. 3. Cucurbita exiguum corpori exhibet nutrimentum. c. 62. Rapa nullum plantarum congenerum minus nutrit. c. 43. A beta, ut ab aliis oleribus, paucum alimentum accedit, c. 45. Attriplex manifeſtum eſt, quod alimentum corpori præbet exiguum, c. 48. Oxylapaton perſpicuum eſt eſſe ex eorum genere, quæ non nutriunt.* Cum autem Galenus ferè de ſingulis oleribus talia pronunciarit, tandem dicit, *c. 50. Quod autem olera nutrimentum habeant pauciſſimum, & ipſum quidem tenue & aquoſum, dictum ſupra à nobis fuit.* Et *comm.* v. *in* 6. *Epid.* §. 21. *cibum imbecillum alium nullum intelligere poſſumus, niſi qui levem paucamque corpori præbeat alimoniam, cujuſmodi ſunt olera.* Quomodo hæc paranda putet, & communis uſus edocet, & ipſemet elixanda eſſe dicit. Quod etiam ſorbilia, ut carnium juſcula, ptiſana tenuis, melicratum & ſimilium generum alia ex iis ſint, quæ parum nutriant, clarum eſt & iis qui medicinam callent, & iis qui philoſophiam: ii, intelligentes nutrita cum nutrientibus congenea utcunque eſſe, hac ratione olera omnia cum brevi tempore ex aqua potiſſimè inſurgant, paucum & aquoſum idcirco corporibus impertiri nutrimentum, quod & facilè excernitur: Illi verò, ſcientes quæ liquida aqueaque ſunt, nullo momento ferri in meſaraicas,

*Cibi omnes attenuant, quæ parum nutrimenti ſubminiſtrant.*

mox

mox in alias corporis partes; quæ facilis digeſtio ſeu diſtributio, arguit & facilem aſſimilationem, ex cônſequenti brevem excretionem.

§. 23. Poſſemus hercle, præter dictas rationes, hanc noſtram ſententiam multis experimentis jam factis fovere ſi liceret, cum multos tum adultos, tum pueros, quos ſiccans victus una cum morbo jam dudum conficiebat, ſolis humentibus præſidiis levaverimus. Sed cum nullum morbi genus, præcipuè ſponte natum, virus ſit, æquo ob id animo non fortè quivis feret, talem de ſe memoriam in publicum prodire: quaré ſatius eſſe putavi hæc in calamo coërcere, quam alicui hac in re me præbere moleſtum.

§. 24. Haud me latet, & alios eſſe qui ſiccante victu uſi etiam liberantur, non ſecus atque etiam vulnera multa ſaneſcunt appoſitu olei, vel aliorum ſimilium, vel tibiarum ulcera in viatore. At hoc tantum ſequitur in maximè robuſtis corporibus, quæ & morbi injuriam, & medicamentorum contrariorum vires, ad certum quendam terminum evincunt: verum ab iis curativa indicatio petenda non eſt. Sed hæc ſuperſint.

CAP.

## Cap. X.

### *Quod fluxiones, quæ partem aliquam infra cervicem torquent, à cerebro non demittantur, ut plerique cenſent.*

Reliquum nunc eſt dicere, num fluxiones quæ cæteras corporis partes premunt, citra capitis offenſam, quas nonnulli etiam catarrhos vel rheumata appellant, à capite fluant, ut patientes, imò & plerique medicorum putant. Nam ſi tuſſis adſit aliqua, vel dolor, vel gravitas thoracem, vel humerum, vel genu, vel aliam quamvis corporis partem diutius vexent, vel per intervalla repetant, illico à capite fluxum fieri aſſerunt.

§. 2. Sed non modo hoc non neceſſe eſt, ſed nunquam quidem verum. Excipe quandoque ad pulmones per fauces ab ethmoide, ob deſcenſus humoris à capite aptitudinem, quæ proprio nomine catarrhus dicitur, de quo ſuperius egimus. Forte fortuna & eademmet ratione aliquid in œſophagum elabi poterit, ſed non ita commodè, eo quod trachæa perpetuo pateat (niſi dum aliquid deglutimus) (s) meri verò clauſum ſemper maneat, ut ſupra oſtenſum eſt, in quod pauca poſſunt ferri citra actum (ut ſic dicam) deglutiendi: inſuper & in pulmones ferri auxilio eſt inſpiratio, nec prorſus obeſt expiratio, propter

(s) *Meri* vocant Arabes, quod Latini *Gulam* ait *Curtius comment. in cap.* 2. *Anat. Mundini.*

(t) Autor

pter inclinationem loci, & humoris gravitatem.

§. 3. Cæterum abſurdum eſt putare, & adſcribere capiti originem aliquam defluxionum, quum nulla ſit libera via, per quam ſic humor educi debeat: niſi falſo nobis perſuadere velimus hunc humorem, quum jam eſt per jugulares in intimas cerebri partes delatus, per eaſdem retromitti, & ad iſchion ferri, ſi hoc ſit affectum, vel ad alias partes. Sed hoc quidem imaginarium eſt. Scimuſne variis modis interceptas eſſe vias, quo minus hic refluxus fiat tam facilis? prohibet nempe hunc aſſiduus à jecore in omnes externas partes ſanguinis curſus: nam hic per ſe primo & jugis fit, unde noxiorum humorum recurſus, qui per accidens & omnibus numeris præter naturam fit, prohibetur.

*Cur non poſſit humor per venas ad caput delatus, refluere per eaſdem ad partes.*

§. 4. Nec obſtat, quod in venis (t) meſaraicis fluxus hic ſanguinis ab hepate ad inteſtina

*Cur in Meſaraicis*

(t) Autor noſter hoc loco demonſtrare nititur, in venis meſaraicis naturaliter fieri duplicem motum, aſcendere nempe chylum ad jecur, & ab hoc ſanguinem pergere ad inteſtina. Celeberrimus *Riolanus libro adverſus novas venas lacteas p.* 107. poſſibilitatem hujus motus in uno vaſe, eodemque tempore, probat exemplo vaſculi vitrei colatorii vini & aquæ, gallis *Montevin* dicti, quale deſcribitur libello *Recreationum Mathematicarum part. 2. probl.* 38. addit inſuper, modo ſint diverſa trahentia in corpore noſtro, duplicem motum duplicis liquoris in uno vaſe, uno eodemque tempore, fieri poſſe. Sed hæc omnia imaginaria eſſe, rationeſque inanes quæ ad probandum afferuntur tum ab autore noſtro, tum ab aliis, docet ſanguinis Circulatio, & oſtendit ligatura vaſis venoſi & arterioſi in meſenterio inſtituta; nam hac adhibita videmus

ſtina fiat, ex adverſo chili ab inteſtinis ad jecur: nam id concedit harum venarum figura, motus, & facultas; harum namque extrema ob id inteſtinis ſunt inſita, quo ab iis chilum ſugant, & in venas ipſas reponant, ubi reductus, non amplius, unde tractus eſt, remeare poteſt, ſed in adverſam partem, ad jecur ſcilicet, fertur. Hoc autem triplici ratione perfacile fit, nimirum attractrice vi concavi jecoris; nam hâc donatum eſt à natura, quò ſanguinem efficiat, propterea delectatur novo alimento ſi gratum ſit: quod facile mente percipimus, dum poſt paſſam inediam cibum & potum ſumimus, ſtatim ſentientes ad jecur eſſe voluptatem, ob novum chilum, vel alium ſuccum, ad ſe tractum. Neque parum conducit ad hanc tractionem accelerandam dictarum venarum formatio: nam brevi tractu à magno caudice in acutum deſinunt, amplæ ſunt juxta jecoris concavum, à vena porta productæ, anguſtæ ad inteſtina, adeo ut nullam evidentem venam, præter has, tam cito in anguſtum deſinere videas. Adde ventris & viſcerum motum, tum neceſſarium ob reſpirationem, tum voluntarium, cum moveantur ad omnem totius corporis motum una cum *Ratio cur non obtineat.*

mus ſanguinem per arterias ad inteſtina deorſum tendere, per venas autem aſcendere verſus Hepar. Sed quid fiet, inquies, de chylo, in cujus gratiam omnes hæ ratiunculæ ſunt excogitatæ? Reſpondeo, illum vehunt Lacteæ venæ Aſellianæ, aut ſimul cum illis partem chyli rapient venæ meſaraicæ, ut eundem unà cum refluo ſanguine ad portam, & ſic porrò ad Hepar deducant.

cum viſceribus ipſis, quæ vix unquam quieſcunt: motu igitur quod facile liquida locum mutent, omnibus conſtat. Horum autem trium prædictorum nullum cæteris venis ineſt, imò quaſi circumquaque fixæ in locis ſolidis videntur, quæ non tam cito in acutum deſinunt, nec tam frequentibus ac variis motibus agitantur ut meſaraicæ ipſæ. Adde, quod neque affectæ parti, iſchio puta, genibus, brachiis, vel etiam, ſi vis, humeris, facultas eſt trahendi humoris noxii à capite, atque jecori trahendi chili ab inteſtinis. Præter hæc prohibet hunc regreſſum excretrix cerebri vis: nam ſicuti eo nutritur ſanguine qui ad ſe delatus eſt, ita ab eo ſeligit deponitque quod eſt inutile, & non hercle ad venas ipſas, ſed ad ethmoidem, (u) oculos, aures, vel cutem. Quod ſi hoc multo æquitatem ſuperet, non etiam retro fertur, ſed caput ipſum premit quoad

(u) Supra à nobis dictum eſt pag. 363. non poſſe cerebrum ad os ethmoides ſua excrementa deponere; tum quia è ventriculis cerebri, qui humorem copioſum continent, non pateat via; tum etiam quod foramina oſſis cribriformis ad longè alium uſum ſint effecta: adde, quod videre non poſſim, qualis vis expultrix in cerebri ſubſtantia molli ſit. Nunc autor vult, cum aliis, etiam ad oculos derivari & excerni humorem à cerebro, quem *Lacrymarum* nomine indigitant: at vero hactenus nobis deſunt viæ commodæ à cerebro, quod volunt in triſtitia contrahi & exprimere per oculos humores hos: ſed dicant mihi, cur æquè præ nimia lætitia illacryment homines? quare per arteriarum tubulos ſtatuendum potius lacrymas excerni, tam veras quam ſpurias. *Vid. Aquap. tract. de oculo. lib. 1. cap. 13.* Idem dicendum eſt de aurium excrementis, *Ceruminibus* videlicet, in quibus nulla cum cerebro

quoad conſumptum fuerit: abſumitur autem ab initio parvo negotio, ſi videlicet auxiliarem humorem alio revocaveris, purgatione puta, ſi per copiam liceat.

§. 5. Sed hic jure poſtulabit quiſpiam, unde hæc fluxio diuturna, vel quæ ſtatis, vel etiam incertis temporibus, reſurgit? adde etiam, quæ ab eo ſtatim tempore, vel paulo poſt emergere cœpit quo in catarrhum inciderit, & eo uſque perſeveraverit, imò diutius, ſi libet, quam catarrhus ipſe? adde adhuc, & quæ protinus irrumpit ſingulo catarrhi acceſſu, cum eo ſimul diſcedens, quandoque & ſola ingruens? Porro hæc invaſionis atque perſeverantiæ conjunctio aliquam de re opinionem facere poteſt: verum hoc tantum alienis ab arte, vel junioribus ipſis medicis, qui nondum longo uſu maturoque diſcurſu, partium corporis motus horumque fines ſunt conſequuti: At exercitatos in arte, quorum mentem jam multis velaminibus ſedulus uſus liberavit, has fluxiones fieri poſſe non latet citra defluxum à capite; immò non tantum poſſe, ſed & etiam fieri: quod facilè exemplo accommodatiſſimo declarabo. Fingamus nos incolere aliquam telluris *Dubium* *Solvitur.* *Similitudo*

cerebro reperitur ſimilitudo, ſapor enim illis amarus, color flavus eſt. Et hæc probabile eſt per arterias deferri, donec manifeſtior via nobis demonſtretur, colligique in aurium alveari, uſque dum auriſcalpio extrahamus. Ad cutem quo modo cerebrum excrementa deponat, fateor me videre non poſſe, niſi fortè intelligat fuliginoſa ea quæ per ſuturas evacuantur, ex quarum retentione notum eſt varia ſequi ſymptomata.

telluris partem, ſub qua lateat fluvius nemini cognitus, qui quandoque turgeat, quandoque detumeat: circum hunc putei ſint effoſſi, in quibus & aqua tumeat, turbidaque fiat, pro ratione turgentis deturgentiſve fluminis. Aſt in uno horum, prius quam in cæteris aqua inſurgat turbulentiorque fiat, propter poros terræ quos rariores & magis liberos habet, in hoc etiam primum minuetur aqua decreſcente flumine: quibus omnibus obſervatis, jure videbitur inculpandus puteus hic, tanquam cæterorum turbulentiæ autor, adeo ut putent incolæ aliis puteis commotionem interdici non poſſe, niſi hujus primum cohibeatur, ignorantes præcipuam cauſam: Verum aquatori exercitato non facile hoc perſuadebis. Eſt igitur in humano corpore inſtar occulti fluminis vena cava, propaginibus innumeris diſſecta, quibus alimenta cuique corporis parti miniſtrantur. Ferunt autem hæ qualemcunque quantumque receperint humorem, aquæductuum more, ad ſibi deputatas inſitaſque partes: verum alicui vaſtiora pluraque vaſa natura ſuggeſſit, alicui pauciora vel anguſtiora. Aſt ampla pluraque capiti impertivit; hinc crebrius celeriuſque in hoc pituita fertur, à qua cerebrum ocyus tardiuſve ſe expedit, pro ejuſdem multitudinis vel lentoris modo, vel ratione imbecillitatis partis: quanquam crebro præ cæteris ab hac etiam liberetur, ob emiſſarium jure ſibi conceſſum ad ethmoides os, per quod craſſa ipſa pituita haud ægrè deponitur. Cæterum, ut paucis abſol-

*Applicatur caſui propoſito.*

abſolvam; in alias corporis partes per venas illis delegatas ſimilis humor defertur, qualem caput recepit: non enim jecur alium ſanguinem parat pro capite, alium pro artubus, huncque ad hos, alium vero ad illud tranſmittit: (x) fruſtra autem donatum eſſe ſpongoide caput. Hanc ob rem eodem tempore ſimul cum capite vel pauxillo poſt, vel ante, vel etiam ſola aliqua pars corporis urgeri poteſt: hinc cerebrum, præter jus omne, criminis accuſatur, tanquam aliorum affectuum fluxionumve autor.

§. 6. Sed nonnullus jamjam dicet, num cenſes venam cavam medico alicui eſſe incognitam? num vendicare tibi putas hujus proceſſus [illegible] cognitionem primam? Abſit: immò nec pueros hoc latere cogito, verum inſuper ſcio illum graviter aberrare, qui hic cerebrum noxiæ accuſat, vel opinatur aliter [illegible] dicto modo fluxiones fieri: [illegible] varias [illegible] quibus [illegible] quæſtio. quod ſi aliter fieri poteſt, oſtendat aliquis.

§. 7. Non deerunt fabulæ, dicet aliquis, detruditur à cerebro humor per venas ad ſe miſſas: alius per nervos, qui à cerebro ducunt originem: alius per alia ſpatia vacua: fortè alius per arterias, quod magis eſſet conſonum [illegible] quam Humor pervenit ad partes.

(x) In quem finem caput ſpongoide eſſe donatum ſit, diſcere licet ex elegantiſſimo *Conradi Victoris Schneideri* libello de *oſſe cribriformi*.

*Non per venas,* *Nec per nervos.* quam per nervos. Sed nil horum verum: nam per venas ipſas abſurdum eſt, ob rationes prius dictas: per (y) nervos etiam ridiculum eſt putare, graviores enim excitarent in capite morbos, antequam ad alia loca ferrentur; nam ſcimus exiguis vel quamvis minimis obſtructionibus vel læſionibus alterius generis, acceptis in nervoſis partibus intra cranium, exitium eſſe proximum. Qui igitur fieri poſſet ut longius per nervos ferretur? Interea quomodo per hos transmitteretur, cum cavitate nulla ſint donati, nutrimentum ſugentes à partibus ſibi proximis, & facultatem à cerebro recipientes, ut à radice partes arborum in quibus nulla medulla evidens eſt. Quod *Non per arterias,* nec per arterias, ratio ac ſenſus indicat: nam in has ſpiritus tantum fertur, & (z) ſanguis quidam tenuis, ſeroſus & exiguus, tum ad nutritionem earum, tum ad eas irrorandas, ne habitu motuque ſuo aſſiduo inflammeſcant ſicceſcantque, ex quo humore vel habitu non diuturnæ fluxiones fieri poſſunt, neque in profundo corporis, ſed exiguo tempore primorem tantum cuticulam quandoque reſpergit. Præterea, quod humores ii per alia à di- [illegible] ctis [illegible]

(y) Per nervos partes, præcipuè ſpermaticas dictas, nutriri humore à cerebro ad illas delato, probarunt Clariſſimi Viri, *D. Gliſſonius lib. de Anatom. Hepatis cap. 45.* ubi etiam difficultates hoc loco ab autore noſtro motas, ſolvit. & *VVhartonus* toto libro *Adenographiæ.*

(z) Tenuis eſt ſanguis arterioſus, comparatione facta ad venoſum, quia fuſus à calore, ſero inſuper multo præditus, & ſpiritibus refertus eſt.

(a) Va-

ctis ſpatia à cerebro non exigantur in aliena membra, res ipſa anatomica demonſtrat, non homini certè cuivis, ſed prudenti artifici, ea omni induſtria examinanti. *Nec per alia ſpatia.*

§. 8. Verumenimvero hæc cum animo pervolvo, non poſſum non mirari hac in re quorundam hominum curioſitatem, immò fortè incuriam, quum vias habeant evidentiſſimas, per quas dictæ fluxiones fiant, alias injuria effingere malint incertas, vanas, & prorſus à ſcopo declinantes: quod genus fallaciæ non citra patientis noxam interdum evadit, dum cerebrum ii (quod omni culpa vacare conſtat) agitant laceſſuntque, & quò ab hoc humorem reſiccent, totum corpus inedia affligunt inutili. Sed hæc dixiſſe ſufficiat juvenum monimenti gratia: nam artis peritis non opus eſt conſilio. *Sed per vias evidentes.*

FINIS.

# INDEX CAPITUM.

Cap. I. *Quotuplex Catarrhi acceptio. Unde derivetur, quid Catarrhus ſit, & quot ejus ſint ſpecies.* Pag. 347
Cap. 2. *Quid Raucedo, Antiades, Pariſthmia.* P. 353
Cap. 3. *Quid ſit Tuſſis & ſternutatio: quæ amborum cauſa.* P. 359
Cap. 4. *A qua cauſa contingat Oſſis Ethmoidis obſtructio.* P. 368
Cap. 5. *Quomodo ad caput perveniat Pituita; & num ibi, an verò in alia parte, generetur.* P. 370
Cap. 6. *A quibus cauſis facilè pituita generetur.* P. 388
Cap. 7. *Quomodo curandus veniat hic affectus; quibuſque auxiliis utendum ſit.* P. 391
Cap. 8. *Curatio Antiadum, cæterarumque inflammationum in faucibus: & ulcerum in naribus.* P. 407
Cap. 9. *Victum humidum in hoc affectu utilem eſſe, ſiccantem verò adverſum.* P. 416
Cap. 10. *Quod fluxiones, quæ partem aliquam infra cervicem torquent, à cerebro non demittantur, ut plerique cenſent.* P. 431

FINIS.

LEONARDI

# BOTALLI

*DE*

# LUE VENEREA

EJUSQUE

# Curandæ Ratione,

*LIBER.*

Additus eſt ſub finem Index Capitum.

*Probiſſimo Doctiſſimoque Viro,*

# D. JO. CAPELLÆ,

Archiatro Regio meritiſſimo,

## LEONARDUS BOTALLUS,

*S. precatur.*

TAmetſi omnium artium non modò præſtantiſſima, verum etiam periculoſiſſima difficillimaque ſit ea, quæ morbos arcere edocet, quam raro (quod te non latet Archiatre digniſſime) ſine languentium damno, vel eorundem vitæ diſcrimine factitare quiſquam novit, niſi qui ſummo ingenio, longo temporis ductu, varios ac multiplices artis effectus conſpiciens, ſingula in iis ad amuſſim examinaverit obſervaritque: Nulla tamen formidine vel pudore concuſſus, imo temerè quiſque in hanc itruit, perinde atque ſcurræ in publicis ſolutiſque commeſſationibus, in quibus tumultuarie ſplendidus juxtà ac ſordidus, ſolers ac ſtupidus, nobilis atque ignobilis diſcumbere ſolet. Hinc fit, ut plerique mortalium, quos ſævè Venus oppetit, audentium nebulonum vel mulierculárum fucatis pollicitationibus freti,

freti, in graviores affectus ſenſim labantur, quos in proprium habitum reſtituere, vel in meliorem ſtatum aliquem reducere, non vulgaribus tantum medicis, verum quidem & optimis, oppido quàm laborioſum eſſe, res ipſa indicat. Quorum nunc pietate motus, hæc paucula (licet in hoc genere ſcriptores innumeri multa conſcripſerint) exarare non dubitavi, junioribus ſaltem medicinæ ſtudioſis Chirurgiſque frugi eſſe ſperans: quæ ſi tibi ac cæteris, qui ſe jure veritatis amatores profitentur, accepta eſſe cognovero, nonnulla alia exponere intendam, quorum lectione medicæ diſciplinæ cupidi non ſine fœnore fruentur. Lubens hæc nomini tuo addicta eſſe volui; non me herculè ut ea tuo patrocinio debere tutari eò uſque intelligam, quominus dentur noxæ, quæ ſub pumice, lima, vel ſecula ponenda eſſe ratio decreverit, imo quo id fieret audentius, teque aſſiduè conſulerent, & meæ in te obſervantiæ perpetuo imaginem repræſentarent. Æqui igitur bonique conſulas, licet. Faxint Dii ut diu fœliciterque vivas. 14. Kalendas Majas.

A D

HOc abſoluto Commentariolo (Lector benevole) vagus incertuſque animi agitabar, præſtaretne idipſum, quantulumcunque eſt, ante hominum ora emittere, an hac mea de hujus luis ſeminario non inutili diſputatione mutilarem, quòd ea nonnihil urgeri videantur, qui ante noſtrum ævum de hac materia ex inſtituto diſſerere ſuſceperunt. Perſuadebat ſane mihi hanc reticere philoſophorum principis authoritas, cum maximam mortalium partem uſque adeò fervide conſueta amplexari dixit, ut quovis poſthabito diſcrimine, ea cæteris omnibus præficiat. Quam hæſitatiunculam maturius excogitans, potioribus argumentis concitatus, facilè animo diſcuſſi: nimirum, quòd & ſi, dum in lucem prodire geſtit veritas, crebrioribus interdum conflictata procellis, aliquandiu naufraga deliteſcat; mox tamen emergens præſtat, micat, & indies fulgentior exoleſcit, graviore deinceps jactura fallacem noxiam, in ſubitarium acerbumque cenſorem retorquens, quam unquam adferre laudis juſtâ accuſatione valuiſſet. Quamobrem, qui veritatis indagandæ ſtudio flagrat, ſuprema cura niti decet, ne doloſa ſpecie recti illuſus, culpam ſub-

*ſubinde præſtare jure optimo teneatur, quam temerè alteri adſcribendam eſſe putabat: Immemor nunquam integerrimi documenti Averrois adverſus Algazelem, videlicet, compotis mente hominis eſſe efficium: in re dubia maturo diſcurſu ſolertique artificio univerſa atque ſingula ad amuſſim examinare, deque iis proximè ſententiam, veris rationibus innixam, in medium producere: ſic enim legitimè jura veritatis ſuſtinens, nec blandè redarguendos contumelia laceſſet iniqua, nec ipſe corruet imprudens, nec tacitus errore retecto obductam poſteritatem patietur. Valete.*

# LUIS VENEREÆ CURANDÆ RATIO,

*Authore*

# LEONARDO BOTALLO.

## CAP. I.

### *De ſubjecto hujus operis.*

*Affectus nomina.* AFfectus, de quo futurus eſt ſermo, *Lues Venerea* dicitur, cum quod ex venereis congreſſibus originem duxiſſe rumor ſit, tum quod iis præcipue adhuc foveri conſtet. Quam ſive (a) Parthenope, vel Heſperia, ſeu potius Favonius vel Auſter nobis imper-

(a) Varia huic morbo indita ſunt nomina, partim à *regione* in qua primò viſus eſt graſſari, hinc *Neapolitanus*; partim ab iis *nationibus* à quibus propagatus vel advectus eſt, & hinc Hiſpanicus, Gallicus; partim à *ſymptomatibus*, quæ ipſum comitabantur, hincMentagra, Pudendagra, &c. dicitur, ut videre eſt in Tractatu *Thomæ Philologi.* quidam *Sancti Iobi* morbum vocant; ſed cum ob Venerem talis emanaverit morbus, indignum videtur tribuere ſanctis, quod probatiſſimæ vitæ hominibus adſcribere nollemus, ait *Iac. Abethencourt.* prudenter itaque Autor noſter *Luem Veneream* vocavit, ob hominum enim importunam ſalacitatem hoc veluti flagellum à ſupremo Numine fuit immiſſum, circa annum 1494 unde etiam inter novos & antea incognitos morbos recenſetur à *VViero:* Hic nunc continuò gignitur, ob corruptorum excrementorum redundantiam, ac ſcorti menſium virulentiam, & ſemel excitatus, contactu alios inficere ſolet; uti docet autor cap. ſeq.

(b) Io:

impertiverit, cum id ſcire infrugiferum ſit ad optatum finem aſſequendum; tempus propterea circa has vel alias vanas inquiſitiones conterere æquum eſſe minime exiſtimavi, ſed (quoad potero) gnaviter quæ ad rem ſpectant perſtringere, præſtantiora tantum proponens, quæ plerunq; ac benignis laribus comprobavi, cætera ſine laude vel culpa præteriens, genio, diligenti uſu, atque animi ſinceritate ducibus.

*Hujus affectus ſoboles.*

§. 2. Hæc Lues ſemper fœta, uberrimam diramque ptolem indies producit, cutaneos videlicet morbos & intimos, ut pilorum effluvium, impetiginem, ſcabiem, herpetes, eryſipelata, exanthemata varia, verrucas, ulcera, vomicas, & id genus innumera: Intimos, ut dolores in penitioribus muſculis, in articulis, in oſſium medullis, in cerebro ejuſque involucris, quos oſſis caries inteſtinæque aliæ roſiones, collectiones, ac putrilagines ſequuntur. Aſt hæc moroſus cenſor in infinitum per genera dividet, ſed nos has vanas odioſaſque diviſiones omittentes, de cauſa horum præcipua nunc diſſeramus.

---

## CAP. II.

### *De cauſis gignentibus hunc morbum, & nunquid Hepar hujus ſit fomes, ut plerique Medicorum opinantur.*

NEmo penes ſe eſt, qui humanum intellectum plerunque errare non approbet,

bet, quum is per gradus univerſas extremaſque rerum naturalium cauſas aſſignare nititur. Hanc igitur ob rem operæprecium me feciſſe putabo, ſi præſentis affectus cauſæ tantum imaginem expreſſero, quæ ſeſe Medicis tanquam totius curæ ducem præbeat. Fretus igitur ſapientum modeſtia, curioſam plus nimio, quam ſit æquum, diſputationem omittens, ad utiliora calamum convertam.

*Cauſa huius morbi.* §. 2. Cauſa igitur præſentis affectus, ſanguinis quædam eſt infectio ex vitiato ſucco, per contagium, ex Venereis præcipuè congreſſibus, contracta: quæ tam nefanda luxuria, (quod nefariorum atque execrabilium hominum eſt opus) quam muliebri libidine *Origo unde.* comparatur, inſuper lactis ſuctione, oſculis, longo vel frequenti corporum affectorum contactu, veſtium & poculorum communi uſu, eandem partem ſtatim inficiens quam primum invadit, vel proximiores ad corruptelam magis pronas.

*Quibus in partibus potiſſimè inſeratur.* §. 3. Si igitur ad ſcortationem vel nefandam luxuriam ſequatur, virgæ glans, præputium, coles, cunnus, anus, primos aggreſſus patiuntur: Si lactis ſuctione, oſculis vel poculis comparetur, tunc labia, vel lingua, internæ maxillæ, gingivæ, guttur, vel palatum primo ſuccumbunt: Si diuturno corporis contactu, vel veſtium communi aſſiduoque uſu, tunc fauces, labia, gingivæ, à primordiis afficiuntur, non dorſi vel artuum cutis, quod hæc dura ſit, nec niſi longo temporis tractu vincatur. Cæterum ſi pueruli ſint, anus, ſcrotum,

tum, labia vel fauces, germina prima indicant. Verum non ſtatim hæc à contactu apparent, perinde atque in iis qui ſcortatione captantur, vel lactis ſuctione, vel oſculis; eo quod virus facilius in partibus tenellis, ac tenui cute munitis, vires ſuas imprimat, quàm in iis, quas dura (ut dictum eſt) cutis obtegit. At ubi impreſſum eſt ſeminium, furtim hoc, tanquam occulta flamma, per univerſum corpus ſerpit.

§. 4. Sciſcitabitur forte fortuna quiſpiam, (nec temere quidem) an deſcribi indicatio ulla poſſit; qua intellecta, forma hujus affectus ad unguem pateat? Non eſt (arbitror) ad hunc uſque diem, qui hujus tantum ſimulamen exactè producere valeat, non illam ex amuſſim patentem reddere, licet circa hanc multis verbis ultro citroque ferantur ſcriptores varii, ut mox notabimus. Qui igitur fieri poteſt (inquies) hac non exquiſite explicita, ut ratione ulla affectum oppugnare queas? Nil obſtat equidem: Age obſecro, ventorum formas, vel (ſi potius vis) cauſas, ignorans navium gubernator, quomodo vela ſecundis dat ventis, vel in adverſis colligit, horumque motus varios multis prævidens horis? Vel, etiamſi flammam videris, quam extinguere fas ſit, ſcitene te prius oportet, quid ea ſit, vel etiam unde originem primam duxerit, antequam intelligas qua induſtria illam obtundas, vel perdas? Sat gitur erit protinus noſſe, quod jam frequenter ſenſus edocuit, flammam, ſcilicet, ſua natura, perpetuo agere pro viribus in

*Forma hujus affectus propria incognita eſt.*

*Forma propria obſcuritas, vel potius ignoratio, curandi rationem non excludit.*

materiam ſibi ſubditam, & in proximiorem aptioremque primum, mox in reliquam: quam extinguere, variis ingeniis, tempus & uſus ad monuerunt, aqua præcipuè, vel liquore quovis alio abundanti, vel ſtipatu, vel materiam ſibi ſubditam diſgregando, vel aliis pleriſque modis; quæ omnia non pauci agere noverunt, nondum intellecta flammæ origine, vel hanc ſpiritum, vel fumum eſſe ardentem. Pari modo Medicum noſſe expedit, hanc luem in humanum corpus agere, inprimis humores vitians, & conſequio ſolidiores partes, quod vitium cavere, vel imminuere, vel prorſus corradere, diligens ac rationalis exercitatio, variis præſidiis, inſinuavit, abſtruſa tamen ſpeciali ſua forma.

*Seminarium hujus luis non eſt pituita,* *Nec bilis flava,* *Nec atra.* *Alii variam eſſe dicunt materiam.*

§. 5. Sed videamus, quid de hac, vel de hujus affectus loco, Medici opinentur. Plerique ſanè, nil de forma ſoliciti, ſubjectum tantum, in quo hæc labes foveri videtur, oſtendere conantur: quorum pituitam dicit alius, hoc motus argumento, quod illos copioſe per alvum pituitam dejicere, vel per os excernere obſervaverit, qui vel hydrargyri munere, vel medicamentorum purgantium ope morbum ſuperarunt: Ponit alius flavam bilem, quum liventia depaſcentiaque ulcera, eryſipelata, & alia ejus generis, hos patientes divexare notaverit: Atram verò alius, ob ſcirrhoſos tumores, calloſa depaſcentiaque ulcera, oſſium tubera carieſque. Quidam Prothei vultus huic effingunt vel ſcurræ, qui perpetuo victoribus plaudit, vincentem ſcilicet in affecto corpore humo-

humorem, eo quod varia Symptomata, ac quidem fermè contraria, nec in corporibus tantum diverſis manifeſtentur, ſed in eodem patiente, eodemque membro, ac tempore uno, œdema nimirum, vel ſimile quippiam aliquid huic proximæ, vel alia in parte eryſipelas, vel exedens herpes. Alii feſtinantes, taciti hæc omnia prætereuntes, ex littore ignotum ſibi ipſis atque horridum pelagus cæteris pervadere oſtentant, de curatione tantum (& jejune forte) exponentes. *Alii de cura tantum ſoliciti ſunt.*

§. 6. (b) Montanus iis omnibus præponere pedem auſus, formam finxit illi intellectualem potius, quam in re: hanc dixit caliditatem cum ſiccitate, materiæ expertem, quæ in hepate impreſſa, temporis proceſſu materiam ſibi comparat. Sed (quod omnium pace dictum eſſe velim) ſuperficie tenus tantum iſthæc plerique ſunt contemplati, ejuſdem generis curam iis attexentes. Aſt intemperiem ex contagio ſine materia poſſe contrahi quis perhibet? vel ſanus judicio quis concedet? quomodo etiam ad hepar, ſubjecto vacua, pervadet? & ſi, ut ait, virus eſt, in quod hæc infigitur, eſtne hoc pura qualitas? Sublunaria namque omnia vel corpora eſſe, vel corporibus annexa, neceſſum eſt. Neque etiam hujus affectus cauſam, vel fomentum dicemus caliditatem ſicca cum materia: nam affectus ſymptomataque *Forma hujus morbi ex Montano.* *Rationes adverſus Montanum.*

(b) *Io: Bapt. Montanum* intelligit autor, qui fuit ipſi coætaneus, & ſub idem ferè tempus Tractatum de morbo Gallico edidit: quem hoc loco refellere ſtudet.

que omnia unius eſſent generis, nihilo inter ſe diſcrepantia quod genere eſſet diverſum, ſed ſecundum magis vel minus tantum, eo quod agens unum non habeat naturam largiendi eſſentialiter niſi unum; Flammea igitur erunt ſymptomata omnia, ſicca aridaque fient membra, ubi hæc intemperies prævaluerit: At penè omnia putredinem præ ſe ferre videntur, refelluntque hanc opinionem crebri tumores laxi, diuturni, obtuſique dolores, qui hos patientes affligere conſueverunt, quæ ſanè non ſiccæ caliditatis, ſed ichoris, vel pituitæ prædominantis, ſunt firma argumenta.

*Proprium ſeminarium eſt ſanguinis maſſa, dein partes ſolida.*

§. 7. Neque etiam particularem quenquam humorem hujus corruptelæ peculiarem fomitem concedimus, ſed ſanguineam maſſam, intellige miſcellam in venis receptam, mox ſolidiora corpora. At cum utraque multiplicis ſint generis, non indifferenter tranſmutationibus ea eſſe obnoxia cenſendum eſt. In ſanguinis igitur maſſa ichores pituitaque feruntur, ut ſenſus ipſe indicat, necnon utraque bilis; verum hæc non tam clare ſenſibus patent ut alia duo, quod aliis pauciora ſint multo: Hi igitur humores tanto magis recedunt à caloris naturalis commodo, quanto minus aptitudinis habent ut in alimentum tranſmutentur. At non modo alere non poſſunt acres, ſed exiguo tempore plus æquo remorati, cæteram mixturam exurunt; reliqui verò duo, ichor ſcilicet & pituita quod nutriant vel non, hic diſputandi locus non eſt: cæterum etſi non nutriant, corpus tamen diutius (modo putria

non

non ſint) ſine alimento ſervare poſſunt, eo quod neque alimoniam abſumant, neque eam facilè tranſmutent; aquæ potabilis inſtar, in qua animalia longiore tempore, (modo prohibita non ſit reſpiratio) ſine nutrimento agere poterunt, quam ſi in ſalſa, vel in calido ſiccoque aëre, vivere cogantur. Sed totius venoſæ miſturæ pars, quæ animali maxime eſt commoda, ea eſt ex qua potiſſime alitur, hæc autem ſanguis eſt: hunc igitur ſupra modum natura conſervare nititur, niſi plenitudine gravata, per nares vel uterum (ut in pueris ac mulieribus patet) aliquid rejiciat, cæteros verò, per varias corporis partes, ejicere intendit: quos itaque juſtum eſt credere primum tranſmutari, tanquam à natura utcunque alienos; mox & ſanguinem; inde & carnoſas, etiam & nervoſas partes; poſtremo & oſſa ipſa.

§. 8. Hinc elicere poterimus, humanum corpus (nam de alio quopiam nondum conſtitit) eſſe hujus luis, non ſecus atque cæterorum morborum, ſubjectum; Fomitem vero humores, & eos primum, qui minus utiles eſſe poſſunt, perinde ut uſtile corpus ignis eſt ſubjectum: Verum quum hoc heterogeneum ſit, non æque cito agit in unum atque in aliud, ſed in tædam (niſi quid impediat) vel pinum, priuſquam in buxum vel quercum, & in arida magis quam in virentia, & in terebinthinam antequam in tædam ipſam vel pinum, & in proximam, priuſquam in abjectam: Hoc penitus modo hæc pernicioſa labes (ut experientia

*Subjectum luis eſt corpus.*

*Fomites ſunt humores, & primo quidem minus utiles.*

 ipſa

ipſa indicat ) in humanum corpus agit. Quamobrem, ſi unum tantum humorem hujus luis & fomitem & ſubjectum dicas in quod agat, hæc ſanè corruet ſententia, ubi objecta fuerint & corpora ſolidiora exeſa, & aliorum humorum corruptela, & adverſa contrariaque ſymptomata, quæ in iis corporibus frequenter obſervantur. Quare neque tota ſanguinis maſſa ( ſi jure de ægri ſalute, vel morbi imminutione aliquid ſpei ſuperſit ) corrupta eſt. Neque hepar eſt focus, in quo hujus morbi ſeminium infigitur ſervaturque, ut Montanus, & cæteri fortè omnes, arbitrantur, opinantes, nihil poſſe fieri in animalium corporibus calidius vel frigidius, vel alia intemperie immoderatius, niſi id ab aliquo membro principali, tanquam agente in quo talis exceſſus vigeat, fuerit impertitum, perinde atque *individua* producuntur à forma : aliter tamen ſe rem habere intelligemus, ſi ſingula legitimè explorabimus.

*Hepar non eſt focus hujus luis.*

§. 9. Sed forſan ſupervacaneum non erit, hic & alibi, ubi opportunum fuerit, Montani ſententiam & rationes in medium ferre, quum ejus opinioni plurium medicorum conſenſus aſtipuletur: quæ omnia quantum veritatis vel perſuaſionis præ ſe ferant, brevi examinabimus diſcurſu. Nam ſi rationibus, quarum ſatellitio opiniones ſtipantur, probe refragabimur, exiguo ſanè negotio nudam opinionem victam dabimus. Inquit igitur, Natura hujus „ morbi eſſentiave, mala intemperies eſt, cali„ da & ſicca, in hepate per contagium impreſſa „ ſine

*Montani ſententia & argumenta.*

ſine materia prius, & procedente tempore fit cum materia, ac ſolvit continuum, & iſta acquiritur per contagium hoc pacto: cum quis commercium cum infecta habuerit, ab illa emanat aliquod virus, in quo exiſtit illa mala qualitas, quæ figitur vel in ore vel in præputio, quæ membra ſunt laxiora, quæ ibi impreſſa, paulatim repit ad venas parvas, deinde ad majores, donec hepar pertingat, quæ cum eo pervenerit, ipſum occupat, immutatque ſuam naturalem temperiem, quod hepar ſic alteratum, primò immutat omnes humores in eo exiſtentes, qui tranſmittuntur ad omnes corporis partes pro nutrimento: ſed quum mali ſint, tunc renuunt membra ipſos, nec nutriunt, & illico corpus illud redundat quamplurimis excrementis, quare, &c. *Subjungit paulo poſt*, quod quidem virus, quum ſit calidum & ſiccum, facilè penetrat, & exurit, & corrodit: & evenit, quod, qui mollis ſunt carnis, facilius recipiunt hunc morbum, quam qui ſolidioris ſunt, &c. *Subinde ait*, quod quidem ulcus (intellige à contagio acquiſitum) venis primo parvis, paulatim deinde majoribus, tranſmittunt ſuam malam qualitatem, donec hepar pertingat, & ipſum occupet; quod ita ulceratum, talem ſanguinem taleſque humores, qualis eſt intemperies ſibi acquiſita, generat. *& paulo inferius ſubjungit*. Extat una propoſitio univerſalis in medicina, quod quando aliquis affectus æqualiter in toto corpore eſt impreſſus, tunc principium naturale eſt vitiatum: exinde ſiquidem inficitur hepar, quod

„ eſt principale membrum toti deſerviens, „ quod cum fuerit ita infectum, neceſſarium „ eſt omnia in deterius labi, &c. *Mox addit*, „ quod autem ita ſit, quod ſcilicet hepar inficiatur, apparet; nam omnes tales lividi ferè „ & ſubnigri apparent, floridumque tum faciei, tum cutis, amittunt colorem, & triſtantur ſine cauſa, cum prius hilares eſſent, ut „ dicebat Galenus, quod talis eſt cutis in ſuperficie, quales ſunt humores in corpore dominantes, niſi ad profundum decubuerint: iſti „ igitur triſtantur, quia non amplius ſanguinem bonum habent: hæc Montanus.

*4. de Sanit. tuenda c. 4. Artis parva. c. 50.*

*Rationes adverſus Montanum.*

§. 10. Age, quæſo, (à poſtremis inchoantes) ſi, quia ſanguine bono vacant, ii triſtes ſunt, eſtne triſtitia hæc ſine cauſa? & ſi, qui venereo affectu torquentur, (qui ſanè & diuturnus & gravis eſſe ſolet) ab re triſtitia macerantur, quos dicemus juſtam ob cauſam mœrore confici? Aſt pergamus ad alia: colorem ſimilem efflore ſcere humoribus, juſtum eſt: luteus vel ater eſt; ergo hæc vel altera bilis: & hoc verum: ergo hepar affectum, abſit. Nam poteſt in aliquam, vel multas corporis partes, vel in cutem univerſam bilis ferri ac recipi, immò fortè etiam & gigni, non affecta univerſa ſanguinis maſſa; ut in inflammationibus, vel ſcirrhis particularibus, vel regio aliquo morbo, vel quartanariis, vel melancholia afflictis, vel aliis multis fit, in quibus omnibus temerarium eſſet conari hepatis intemperiem, vel totius ſanguinis corruptelam, oſtendere.

§. 11. At producet hîc aliquis Galeni verba

hæc,

hæc. *Tria in hepate fiunt, ex quibus regius morbus advenire ſolet, nimirum ſcirrhus, inflammatio, & obſtructio:* inſuper & hæc alia, ejuſdem ferè tenoris: *quum enim regio morbo ſanguis purgetur, bile tranſlata ex venis ad canales bilem recipientes, ſive obſtructio fuerit in locis, per quæ transfertur, ſive inflammatio aliqua, vel ſcirrhus, neceſſarium eſt omnino non expurgari ſanguinem, & una cum ipſo bilem per totum corpus ferri.* Age, quid ex iſtis extorquebis? Propoſitionem (dices) hanc convertam, & firmabo affectum jecoris, cum icterus ſit. Sed quemnam affectum? non obſtructionem, eo quod ex hac non probabis intentum: præter id etiam, quod de hac nec Montanus, neque alius, (arbitror) ullum verbum fecit; ſed eſſe hepar tranſmutatum ab extranea cauſa calida ſiccaque, unde exulceratum, talem ſanguinem, taleſque humores, qualis eſt intemperies ſibi acquiſita, generat.

*Comment. in Aph. 62. lib. 4.*

*Comm. in Aph. 64.*

*Hepar in lue hac non eſt obſtructum,*

§. 12. Dic igitur, defloruit color, vel icterus eſt, ergo ſanguinis tota moles infecta: ergo jecur calida ſiccaque intemperie afficitur, vel ſcirrho vel phlegmone. Demus hoc juſtum eſſe conſequium, quod tamen erroneum eſt: affirmárene auſis tu ex iis, vel aliis potioribus mediis, in hoc genere morbi, hæc ex neceſſitate fieri, vel ut plurimum, vel æquo numero, vel aliquando? Cur non? penſemus igitur hæc omnia æqua trutina, non de victoria, ſed de veritate ac juſtitia ſoliciti. Si calidam ſiccamque intemperiem obduxerit hepar, exareſcet, perinde atque membra quæ tabeſcunt: quod ſi fiat, non modo ſalutis, ſed

*Nec intemperie calida & ſicca affectum,*

morbi remiſſionis penitus in iis ægris exempta ſpes erit: oſtendunt autem id aliorum membrorum, quæ tabe exercentur, ſanatio; hæc autem raro, nec ſine multo labore, contingit: At lue hac confectos, non modo in meliorem ſtatum, ſed in ſanitatem plerunque, reſtituimus. Inſuper, ſi tale in iis ægris ſit jecur dum vivunt, migrata anima, in naturalemne habitum reſtituitur? quandoque hercle horum cadavera ſecui, nec tale quippiam novi, nec quiſquam eſt adhuc, (arbitror) qui tale jecur in iis, qui hac lue intereunt, vidiſſe fateatur.

*Nec ſcirrho tentatum.* §. 13. De hepatis igitur ſiccitate quum non conſtet, contendas tamen ex ejus affectu alia fieri, quæ in corporibus iis frequenter apparent, ſcirrhone dices hoc tentari? Verum quis hunc ſine febre vidit, tenſione, pondere, duritie, dolore aliquo ad dextrum hypochondrium, ſine etiam gravi reſpiratione, & aliis quæ ad hunc ſequi ſolent? at hæc hos ægros non torquent.

*Nec inflammatum,* §. 14. Supereſt igitur nunc, quum de obſtructione, ſiccitate, vel ſcirrho nulla ſit fides, ut inflammatione prematur horum hepar: Nam poſuit jam Montanus hoc ulcere affectum: reliquum eſt etiam, ut inflammationem patiatur; nam ſine hac, in nulla corporis parte, excitantur ulcera: Inflammatur igitur hepar, unde tales (ut ait) humores, per univerſum corpus tranſmittuntur. Sed hoc iis tantum perſuaderi poterit, qui ignem calore, vel fulgorem luminis vacuum videri poſſe credunt. Cedò,

quæ

quæ corporis pars, ſenſu prædita, inflammatione divexatur, quam non acriter, vel modo aliquo, urgeant & tumor, & tenſio, & uſtio, & alia infeſta ſymptomata? Quis etiam hepar hac obductum, vel aliqua, quantumvis minima, parte affectum obſervaverit, quin etiam ægrum hæc omnia pati noverit? inſuper & aſſiduam febrem, inexhauſtam ſitim, ſpirandi difficultatem, ardentem urinam, linguæ ariditatem, & alia horrenda multa? perinde atque in iis patet, qui ex vulnerum putredine intereunt quibus hepar afficitur, horum tamen nullum videmus in iis patientibus.

§. 15. Sed adhuc vulnus in hepate recens factum, in corpore boni habitus, quum videas rarò, vel nunquam, curationem admittere, quomodo curari poſſe credis ulcus ex vitiato ſucco, vitiataque parte, excitatum? Naturæ non eſt quod fidas, ſeu omittas: nam ſi, quum ea vegeta erat, ab exiguo morbo dejecta eſt, quomodo nunc oppreſſa majorem morbum ſuperabit? In præſidiis ſimiliter non eſt ſperandum: nam intemperata exulcerataque omnis pars ſi corrigi debeat, oportet, ut ſimul ac exhauſtus ab ea vitiatus humor fuerit, habeat unde ſibi benignus ſuccus præparetur, miniſtreturque: At corrupto ſanguine univerſo, quæ corporis pars hepati, nunc infirmo, benigni quicquam ſuppeditabit? Elicere verò hinc corruptelam purgantibus, vel vena ſecta, ſi credas ſenſim, erit atque in aquam ſimulacra ſculpere, eo quod reſiduum novum ſemper vincet, interea virtus magis atque magis

*Nec exulceratum.*

*Totius ſanguinis maſſa corruptela non corrigitur, nec purgatione nec venæſectione.*

gis labaſcit, vitium verò, proportione multiplicata, adoleſcit: Si unico exhauſtu eximas, quid facies, præterquam patienti extremum diem opponere? Conſtat tamen, (dices) in hoc morbi genere nihil æque conferre, ac multiplices purgationes, ſanguiniſque eductiones variæ: Hoc quippe non modo verum, ſed & neceſſarium, ſi ratione ſint hæc adhibita; Cæterum non, etſi hæc juvent præſidia, vel morbum corrigant, vel penitus corradant, corruptelam hanc univerſo corpori, vel ſanguineæ maſſæ univerſæ communem eſſe, aſſerere licet. Objicies igitur, non purgare corpora hæc ſatius erit? imò, non purgare, dico extreme noxium, ſed de hoc mox.

*An liceat purgare in hac lue?*

§. 16. Veram ne credam, ſciſcitaberis, propoſitionem illam univerſalem, nempe, ubi æqualiter affectus aliquis in toto corpore eſt impreſſus, oporteat & principium naturale eſſe vitiatum? Haud temerè ſine ſenſu crederer, hanc ſi non ratam neceſſariamque faterer: Ergo vera Montani conſequentia? imo vana, eo quod hanc deducat à ſpuria (quam ſubticet) minore ſui ſyllogiſmi propoſitione: Nemo enim non videt, æqualiter ſi affectus aliquis in toto corpore fuerit impreſſus, eundem & principi debere ineſſe, nam & hæc in toto continetur: quod verò univerſum corpus patientium, de quibus tractatur, tale ſit, nondum conſtitit, neque conſtabit.

*Conſequentia Montani ex axiomate deducta univerſali, non valet.*

§. 17. Dices forſan, argumento eſſe ſanguinem, ab horum corporibus diductum, qui prorſus vitiatus elicitur; ulcera, dolores, pilorum

*Cur à ſymptomatibus quibuſdam decepti me-*

lorum caſus, & alia quæ paſſim in iis ægris fieri videntur, quæ aliunde provenire non poſſe credendum eſt, niſi à totius ſanguinis corruptela? En hîc decipula, hicque error eſt, quod totum pro parte ſumas, vel, ſi malis, partem pro toto, quod nunc oſtendere pergo: Nam plerunque optimo fœliciſſimoque ſucceſſu id re ipſa mihi innoteſcit, ubi ad biſdenas ſanguinis uncias, vel circiter, pro patientis viribus vel habitu, exemero, poſtremo minimè vitiatus offertur: Aſt hoc non me docuit ratio, ſed experientia cum ratione facta, jam pridem à teneriore uſque ætate incepta, manuductore tamen fratre meo, qui (ſi fratris, duodecim jam annis me ſenioris, meritas laudes dicere injurium non eſt) & judicio, & experientia, in chirurgia non minus pollet, quam ei fortuna, vel potius numina, faveant opere, at favent quippe maxime.

*dici, crediderint in hac lue totâ ſanguinis maſſâ affici. Et cauſa erroris unde fluxerit.*

*Vid. p. 135. lin. 31.*

*Secundus Botallus peritus chirurgus, de quo vide quæ auctor dicit ſupra p. 90. p. 131. p. 190.*

§. 18. Si itaque, quo plus elicis, minus vitio tentatum offendis, unde ſuggeres univerſum eſſe infectum? nam poſtremum corruptum magis, ac maxime, eſſe liceret, quod corruptelæ foco proximior eſſet. Præterea, num ventriculus hac ſorde intinctus eſt? renes? pulmones? reliquaque inteſtina alia? nam hæc in toto continentur. Sed nunc tantum cutis partes aliquas, vel artuum, vel thoracis, vel capitis, affectas eſſe conſpicimus. Verum non plus probant hæc totius corporis affectum, quam ſi quadrilatera omnia rectangula eſſe aſſeras, quum quadrata, & altera parte longiora, talia eſſe produxeris: vel, ſi loripedes

*Argumentum probans ſanguinem univerſum infectum non eſſe.*

pedes aliquot inducens, humanum genus omne claudum eſſe hominibus perſuadere contendas: ſed ad univerſalis conſtructionem oportet omnia ineſſe.

*Objectio, cur, ſi lues à pene ad caput vadat, interea hepar non inficiat?*

§. 19. Dices fortè, (nec temere quidem) ſi lues hæc, in pene inſita, ad caput uſque pervadit, vel ab ore ad inferiores partes per anguſtiores venas vel ſpatia, an non patentior erit ductus, vel etiam brevior loci intercapedo, ab iis ad jecur, quam ab alterutro illorum ad alia extrema; quum utrique parti venæ ſint proximæ & amplæ, per quas facilis ad jecur videtur aditus?

*Reſponſio.*

Non ſat eſt patentius breviuſque eſſe ſpatium, quo agentis potentia reducatur in actum, ſed impedimento vacet, & virium proportione reſpondeant inter ſe, fas eſt: Nam eodem temporis ductu, ut jam dictum eſt, eadem flamma virides quercus, vel populi truncos non flagrabit, quo arida virgulta, ſarmenta, vel paleas; utriuſque nanque horum vires ſunt impares, quod unitæ, compactæ, contrariæque magis in uno, ſejunctæ verò & flammæ proximiores in altero, ſint.

*Reſponſionis Confirmatio quintuplex.*

§. 20. Ægrè igitur hepar, & venæ majores, quod infectum eſt, recipiunt, imò illud arcent, non ſecus atque tumidum mare flumina: propulſat enim hæc illud, in eorumque alveos, ad multum ſpatium regurgitans, profluit, ſalſaque facit, non autem dulce vel
1. inſipidum illud hæc. Confirmant hoc pueri, ex infecta matre editi, inculpatam ætatem agentes longævam, modo à ſana nutrice alti
2. fuerint: inſuper & alii, qui polluta ubera

fellant,

fellant, quos par eſſet brevi animam ſuperis reddere, quum lac, quod ſanguis erat infectus, ii ſuxerint: Illi vero, & ex corrupto ſemine concepti, & ſanguine corrupto, dum utero geſtabantur, educati: Præterea, hanc ſanguinis univerſi labem Galenus averſatur, cui & ratio & ſenſus aſtipulantur, inquiens, *magnam hujus corruptionem corrigi nunquam poſſe*; ſi igitur magna non corrigitur, quomodo univerſa emendabitur? Denique, ſi lues hæc, per proximiores minoreſque venas, jecur occuparet, ecce quæ ſequi neceſſario oportet, nimirum, quod octavo, vel decimo ad ſummum die, à contracto morbo, eadem ſymptomata in affectis corporibus manifeſta fierent, quæ tantum circiter menſem tertium pullulare occipiunt. Nam diebus ſingulis, vel horis potius atque momentis, aſſidua novaque fit ab hepate alimentorum attractio, concoctio, ſanguificatio, diſtributioque per univerſas corporis partes: at hæ eodemmet ordine trahunt, concoquunt, adjiciunt, ſibique aſſimilant, ſi proprium offenderint ſuccum; cæterum gravantur, labuntur, tabeſcunt, uruntur, & alia ſimilia patiuntur, ſi alienum, vel pernicioſum, attraxerint, vel vi ſuſceperint. At ſymptomata hæc, hoc parvo tempore non oſtentantur; ſic ut germen hujus peſtis non aliter in corporibus agere videatur, quam facinoroſus homo in tranquillo oppido receptus, qui cæteros, ſibi & loco proximos, & moribus ſimiles civitatis homines, ſubducere nititur, quo ſubinde foro potiatur: Hoc penitus fermè modo

3.

4. *Magnum ſanguinis vitium non corrigitur.*

5.

*Proceſſus hujus affectus.*

modo pernitioſa hæc labes, ac ſi prudenti duce ageretur, facere ſolet; ab initio nimirum vix apparens, mox ſenſim furtimque, per anguſtiores venas, in univerſas extremas corporis partes diffuſa, humores ſibi proximiores inficit, donec & majores forte venas, & forte fortuna hepar (niſi opportunis præſidiis propugnetur) ſuperaverit.

*Quæ ſit differentia inter ſententiam Auterii & Montani?*

§. 21. Sed interpellandi hîc locus eſt, quòd & ego tandem cenſere videar, quod antea rationibus ſubvertere ſatagebam? Verùm, me hercule, ſic videtur: at plerunque, quæ videntur, diverſa ſunt (ne dicam contraria) à rei ipſius eſſentia. Dicit uterque, temporis proceſſu hanc luem jecur oppetere. Cæterum ego, forſan, & poſt exactos annos aliquot, negligenter: alter, ſemper, & à primis diebus vel hebdomadibus. Nullum (inquies) determinat Montanus diem vel tempus? Fateor: ſed ex ejus dictis licebit hoc præſcribere, quum ulcera, & alopeciam, & dolores, fieri ex humoribus vitiatis dicat, ob corruptam hepatis intemperiem, quæ raro ſecundum vel tertium menſem non præveniunt: vult præterea, poſtquam affectum eſt hepar, hunc morbum poſſe propelli. Ego verò, (ſi id accidat hujus morbi ratione) prorſus abolitam eſſe ſpem. Examina nunc utriuſque ſenſus differentiam. Interea ad ea nos conferre operæ precium erit, quæ negotium hoc noſtrum, magis liquidum atque clarum reddant.

*Ex ſenſu demonſtratur hujus Luis ſedes & origo.*

§. 22. Verùm enimverò, nil magis, vel æque, rem ipſam explicitam dabit atque ſenſus:

ſus: quum itaque hunc curam producere liceat, ad refellendam, vel firmandam opinionem, vel ſyllogiſmorum, vel demonſtrationum, fidem; examinare propterea ad unguem nunc par erit, quæ in hoc affectu ſenſibus objiciuntur, ultra ea quæ jam dicta ſunt, quo, ancipiti animo, de iis ultra non hæſitemus. Agedum, ad principia redeuntes, unde hæc lues excitatur? à fœdo ſcorto, vel aliis ſupra enumeratis, virulentus humor elicitur, in contactaque parte imprimitur, hancque, vel proximam, magis huic affectui propenſam, exulcerat primo vel altero die. Qualia hæc ulcera ſunt? exigua, lurida, quæ callo mox circunducuntur, non ſecus ac ulcera, quæ in mali habitus corporibus adnaſci conſueverunt, putredinem indies majorem contrahentia, niſi probè ab exordio adverſus ea fuerit pugnatum. Quo tempore hæc talia oſtentantur? biduum poſt contagium, vel triduum, talia apparere occipiunt, & ſub ſextum, vel octavum diem, hæc omnia clarè patent. Taliane etiam contingunt iis, qui bono corporis habitu ſunt conſtituti? imò, quippe & iis qui optimo. Unde, (obſecro) horum ulcerum tam repentinus livor, callus, ac pervicacia? à malo ſucco contracto, atque ab alio, vitio hujus, tranſmutato: Nec pervicacia initio ſunt, ſi rectè tractentur, eo quod nondum, hoc modico tempore, diffuſerit hic putor vim ſuam: cæterum, ſi parum ſtudioſe animum advertamus, negligamuſque, tanquam pauci momenti, affectum, clanculum ſerpit, & diffuſus, ægre

 evel-

*Videlicet, partis & humoris vitium Lui dans originem.*

evellitur. Foventurne primitiæ hæ ab ipſa jecoris intemperie? non quidem, ſed à partis, humoriſque affecti vitio Dic igitur (quæſo) omni animi affectione ſolutus: Si hæc ſordes deliteſcens, per anguſta vaſa vel ſpatia, pubetenus vel ultra, ferri poteſt; & primaria ulcera, colore naturali exuta, callo obſepta pertinaciaque ſint, nondum polluto hepate, quid obſtat, quo minus, eodem ordine, hæc per alia corporis extrema non diffundatur, foveatur, & affectus ſui generis commoveat, in partibus infirmioribus, jecore non immutato? Nil quidem obſtat, quominus hæc fieri poſſint.

*An, & qualis purgatio in hac lue conveniat?*

§. 23. Verùm, ſi hoc modo ſe res habeat, (dices) licebit fateri, quod antea objeceram, videlicet, purgantia medicamenta nón eſſe porrigenda, imò averſanda, tanquam omnibus numeris inimica, eo quod humorem non vitiatum educant, & infectum introducant: ex quibus duo incommoda gravia ſequi fas eſſet, & quod corpora maceres inutili evacuatione, & principes partes inficias, infectorum introductione.

*Moderata purgatio intro non ducit cutaneos humores.*

§. 24. Nunc hæc adducta conſequia nulla eſſe oſtendere feſtino: & primum, quod purgatione ratione inſtituta, non introvocentur extrinſecus diffuſi, ac corrupti humores, ipſe rei exitus probat. Nemo enim, fœlici ſucceſſu, hujus affectus curationem aggreditur ſine purgatione, neque proſpere ſine iis abſolvit, neque ab iis quicquam noxiæ viſcera indicant: non igitur introducuntur noxia; neque

que: non corruptorum humorum evacuatio ſemper nocua, vel ſinè utilitate eſt. Qua ratione (obſecro) vulneratorum corpora purgamus, qui habitu ſunt ſalubri, illicet ab inflicto vulnere? an, quia vitiatis humoribus hæc referta eſſe cenſeamus? Minimè ſanè, ſed quo humores, qui intrinſecus ſunt, ad partem vulneratam, per venas vel arterias, non ferantur: nam horum multitudine gravata affecta pars, viribuſque ob id deſtituta, hos tranſmittere, neque conficere, poteſt; reliquum eſt ergo, ut eò loci fixi putreant, & alia, à putredine, ſymptomata excitentur. Quo igitur infirma pars nullo prematur onere, ſed quieſcat, & periculo putredinis vacet, humores nondum corruptos, ad corruptelam tamen paratiores, per alvum, vel vomitum, vel venam ſectam, evocare intendimus, in adverſa parte. Licebit itaque, non aliena ratione, in hac lue, corpora purgare, quo videlicet, qui nil dum putruit humor, propenſus tamen ut brevi putreat, à partibus affectis avocetur divertaturne, quo & major corruptio prohibeatur, & facta corrigatur. Cæterum raro ſanguinem hic mittere fas eſt, ut divertas, ſed ut vitiatum ab exagitatis partibus, (ut infra dicetur) imminuas.

*Sed & hic, & in vulneribus, purgatio, & ſanguinis miſſio, adhibentur, ad humores, à parte affecta, revellendos.*

*An in hac lue vena ſect: revulſoria conveniat?*

§. 25. Aſt quæſtione adhuc indignum non eſt, quamobrem crebrius in iis, quos vita ob vulnerum putorem deſerit, hepar inflammationem & vomicas contrahat, (quod in multis hoc anno vidi, à viris doctiſſimis D. Joanne Capella Archiatro noſtro, & Honorato Ca-

*Quare ex vulnerum corruptela, & non ex hoc affectu, hepar crebro afficiatur?*

ſtellano Medico Regio, de hoc negotio primum monitus, mox viſu certior factus, ex diviſo cadavere per magiſtrum Ambroſium, merito primarium Regis Chirurgum, & Magiſtrum Richardum, Illuſtriſſimi Domini de Omalla chirurgum exercitatiſſimum, quod in aliis deinceps multis obſervavi) in Venerea verò lue affectis, nihil vitii in illo repreſentetur? prompta certè ratio eſt. Nam in venereo affectu, ulcera ut plurimum cutanea ſunt patentiaque, unde vix putorem intus cohibere poſſis; quod ſi fiant vomicæ, quæ paulò altius imprimantur, hæ amplo etiam emiſſario patefiunt, unde putidus halitus expirat: in vulneribus verò, in quibus præcipue caro intus aliqua contuſa eſt, ut in iis quæ impetu ſclopetorum infliguntur, niſi hæc primis diebus à ſana, artis auxilio, ſeparetur, & putris fit, & talem ſibi aliam adjunctam efficit. Utrinque inſuper oſcula liciniis ſtipantur, quod & majorem auget putredinem, & fuliginoſos, acreſque vapores, intus cogit, qui ſubinde paulatim in venis aucti, ad heparque delati, illud inficere affectant; hoc verò (hepar) viribus adhuc valens, à ſe hos viriliter explodit cute tenus, ubi horrores fiunt, mox, ob duellum, aucto calore, per ſudores halitumque diſperduntur: at, quum horum ſeminarium adhuc hæreat, unde novi excitentur, reliquum eſt, ut denuo refrigerationes, horrores, poſtremo & rigores, per vices repetant, tandem aſſidua hac pugna hepar confectum, morbo cedit, inflammatur, turget, putret.

Talia

Talia autem non apparent ob ulcera venerea, quod facilius ſpirent, ut dictum eſt, nec tam putria ſint, ut exitus probat, & utriuſque affectus putor. Sed de iis alias (ſi fata conceſſerint) fuſius diſſeretur. In præſentiarum verò, dubiæ opinionis hujus argumentorum levitatem, abundè exaraſſe atque infirmaſſe videor, licet pleraque alia, perſuaſionis plena, in noſtram ſententiam adducere poſſemus. Neque etiam deſunt, quæ adverſam nonnihil foverent, quorum quum hæc tenuia ſint, logicæ potius contentionis, quam ſuffragii veritatis, imaginem repreſentantia; illa verò non oppido neceſſaria, omnia propterea reticere, præſtantius eſſe duxi, infrugiferam prolixitatem cavere ſtudens.

§. 26. Verùm abſurdum forte non erit, hic leviuſculas adhuc quæſtiunculas duas addere, videlicet, num ab ineunte affectu lues venerea dici debeat? Montanus, non æquum eſſe ait, præcipuè, ſi puſtulas, nuper inceptas, Medicus extinxerit; licere tamen tunc hoc nomine appellari, cum tota ſanguinis maſſa corrupta eſt. At, ſi legitimè infantem, vel pumilionem, rationalitatis vel riſibilitatis nomine inſcribere poſſumus, vel pullulantia florentiaque cerealia, dudum ſata, ſingula ſuæ ſpeciei denominatione aſſignare par ſit, quum ſingularia, ob ipſorum humilitatem vel juventam, à propria ſpecie non excludantur; licebit igitur ab infixo vitio, hoc ſpeciei nomine appellare. Nec refert, quod conceptum in utero ſemen, ſtatim jure homo dici non poſſit; munus enim

*Num à principio venerea lues dici debeat?*

aliquod non obit, quod homini proprium ſit, nec humana figura (potentia excepta) participat: at hujus luis germina, qualitate, figura, potentia, immò & effectu, cum jam firmato morbo conveniunt. Alia hæſitatio eſt, an, qui conflatus ex ſcorto, vel contagio quovis vitiatus humor, intrinſecus ſerpat, cæteros inficiens, per alias corporis partes, vel conſumptus, evaneſcat? Ex hoc ſane fieri credendum eſt, perinde atque ex flamma exigua, unde vaſtiſſimum ſurgit incendium, illa quidem abſumitur, & novam nova excitat, quoad pabulum ſubeſt: hoc eodem modo hujus luis ſeminium abſumitur, & qui humor huic factus eſt ſimilis, ſenſim novum ſubvertere intendit; naturalis eſt enim hic motus, hæc tranſmutatio, hic corruptelæ proceſſus ſive ſucceſſus. Sed jam tempus monet ut ad alia veniamus.

*Num vitiatus humor contractus, evaneſcat.*

## CAP. III.

### *Quos hac lues vehementius, vel minore negotio exagitet.*

Mares juxta ac fœminas hanc luem inire conſtat, ſed non æque utrumque ſuppediat. Mulieres pleraſque, tutantur menſtruæ purgationes, imò omnes, ſi à congreſſu, octo vel decem dierum intervallo, ſupervenerint; tutius etiam, ſi ante has irrumpat. Quas ſtatim, vel paucis diebus ab exactis menſtruis, invadit,

*Mulieres minus, quã viri afficiuntur.*

invadit; has plerunque exagitat; dicet adhuc harum nonnullæ evadant, præcipue ſi menſtrua (quod in multis fit) præverterint, non integro menſe peracto: nam quod infectum erat, una cum reliquo ſanguine deturbatur, quem jam natura propellere intenderat; ſic integrum atque purum reſidet corpus. Sed ubi parcè, vel poſt longum tempus, menſes non fluunt, infixis firmatiſque interea radicibus, vix, ſine artis ope, detruditur.

§. 2. Homines, infantes, nutrices, nullos (quod pateat) natura redintegrat ſola; non enim habent, unde ſqualor acquiſitus ex parte affecta ejiciatur, ut vulva: niſi ſupervenerit dyſenteria, vel alia quævis alvi colliquatio, vel crebra hæmorrhoidarum effuſio, vel diuturnum ſeminis effluvium; vel pingues benignique, (ut ita dicam) bubones fiant, vel aſſiduus ſudor, ut in coquis heroum, fornacariis, piſtoribus, contingit, vel ſimilibus aliis, qui conſuetis laboribus nulla cauſa parcentes, jugi exercitio hos noxios humores plerunque abſumunt: eadem itaque ratione, nec tam ſævis divexantur affectibus, & mulieres & hi viri, quare etiam, leviore negotio, in priſtinum reſtituuntur habitum. *Ex hominibus ii evadunt, quibus pravus humor evacuatur ſponte.*

## CAP. IV.

### *Quibus ſignis hac lues dignoſcatur.*

QUanto ſunt hujus affectus germina curatu faciliora, tantò cognitu ſunt obſcuriora;

ſecus autem, ubi pedem firmaverint: nam tunc morbum hunc cuncta jam plebs diſcernit, quem cum ratione vincere nemo, niſi prudens medicus, novit: omni igitur ingenio navandum eſt, ut is dum pullulat dignoſcatur.

*Signa luis incipientis.* §. 2. Apparent autem, tanquam præludia, ulcuſcula ſtatim in affecta parte, deflorato circumpoſitæ cutis colore, mox duritie aliqua circumventa. In labiis videlicet, (ut diximus) vel papillis ſi ſuctu, ſi ſcortatione in glande, vel preputio, vel cole: ſcorto, ad ora matricis. Cynædus hæc eadem patitur, & criſtas inſuper, vel etiam verrucas. Hæc tamen, ſui ſceleris conſcius, tantum, dum cogit dolor, patefacere audet, quo tempore & alia cum iis ſymptomata conjunguntur, firmam de re fidem præbentia.

*Ex eodem cratere cum infecto ſi quis bibat, in luem veneream incidere poteſt.* §. 3. Qui ſolo concubitu, vel infectis veſtibus, vel oſculis, vel poculis inficiuntur, his ulcera etiam in ore fiunt. Forte fortuna alicui abſurdum videbitur, quòd hæc poculis comparari queat! at mirandum omnino non eſt. Superſtes eſt amicus, & admodum familiaris quidam meus, vir ſanè integer ac probus, hac miſeria olim male mulctatus, qui perpetuo ſupremo aſſeveravit dejurio, atque in præſens confirmat, reputare ſecum minimè poſſe, unde eam hauſerit, niſi ex poculis cujuſdam ſibi neceſſarii, qui tunc acriter hac lue divexabatur. Quod animo concipere raptim non poteram: verum cum diligentius rem examinaverim, plura mihi occurrerunt argumenta, quæ cumulata, rem ſic eſſe, perſuadebant; nimirum, quod, cum vir ſit, cui meritò, ſine ſacra atteſtatione,

ſtatione, credere deberem, nullam præterea haberet anſam, quæ id tam obnixè tegere cogeret: Inſuper, nulla ejus corporis pars, duobus primis menſibus, vel paulò minus, quicquam eſt perpeſſa, exceptâ labii inferioris ora, quæ à demiſſo infecto cratere paulo poſt pruritu quodam levi, mox ulcere, cœpit efflorescere, nulla tamen de hoc morbo ſuſpicione ſuſcepta: præter hæc, familiarem ſuum belle noſcebam, à quo ſe ſuſcepiſſe morbum aſſerebat. Hunc, ſpatio menſium ſexdecim, hæc lues ſæviſſimis doloribus torſerat, torquebatque, oſſi quoque narium non levis caries impendebat, & fauces ſemper aliqua flamma ſolicitabat, qui tandem fratris mei, atque etiam meo, præſidio ſubmiſſus, omnibus doloribus exemptus, integreque ſolutus, ex Pedemontio in Galliam advolavit, ubi temporis diuturnitate, naturæ munere, & artis auxilio ſuffragatus, infectum detruſum fuit os, & patiens in ſanitatem reſtitutus. Sed quid prohibet (obſecro) quo minus hæc poculis conciliari poſſit, quum per hæc quandoque communicentur leviores alii morbi? veſtes verò, oſcula, ſimpliceſque, ſine venere, concubitus, quod homines polluant, frequentia ſunt exempla: ſed de iis abundè dictum ſit, nunc ad præſidia deſcendamus.

## CAP. V.

### *Summa præſidiorum, huic affectui conferentium.*

DIverſis præſidiis hæc ineunda perficiendaque eſt cura, ut morbus, aëris, temperies, patientis ætas, habitus, mores, officium, reſque repræſentabunt. Hæc nanque tria poſtrema, cæteris, ex animo, tanquam in multis neceſſaria indicantia, addere viſum fuit; præcipuè, ubi affectus diuturnus, egenum, vel immorigerum patientem, ſolicitat, quos alia ratione tractare par eſt, quam temperatos ac dites, qui & ſumptibus ſuppetere, & dierum plurium, ſive menſium, diætam ferre poſſunt, & qui nulla contentione, quæ præcipiat aſſiſtens, prudenſque medicus, præſtare ſint parati. Cura, inquam, omnium ſubjectorum eſt genere una, atque cæterorum morborum qui cauſas foventes continent, quos nemo expellet unquam, illa imprimis non ſemota. Cauſa igitur hæc, multis diverſiſque ingeniis, minui evellique & poteſt & ſolet, lotionibus nimirum, fomentis, balneis, linimentis, liquantibus ſive urentibus medicamentis, aliiſque localibus auxiliis: præterea, ſanguinis detractione, purgatione, & victus regimine; quæ omnia in multiplici habentur differentia, ut ſuo loco ſingula patebunt.

*Cauſa hujus affectus quibus mediis ſit reſcindenda.*

CAP.

## CAP. VI.

### *Tutela, qua quiſque ſe conſervabit poſt coitum, ab hoc miſerabili affectu.*

SUaviſſimum eſt, immanes dolores reſcindere, & morbo confectos reficere, etiam jucundum, nuper irretitos ſolvere; ſed fortè nec minus utile, quam volupe, humano generi futurum cenſemus, ſi hanc latentem ſagenam divertere noverit, præcipue, cum nec ſumptu, nec longa diſciplina, vel labore, id conſequatur. Quum igitur ceveris, tutiſſimum te omni morbi ſuſpicione ſervabis, ſi aqua calida repente totum laveris penem, una & ſcrotum, virgamque præputio denudatam, in vaſculo quovis, potabili ac calida aqua pleno, per octavam horæ partem, foveris. Aqua autem talis ſit, qualem facilè ferre queas; quæ cum brevi frigeſcat, fortè vaſculi parvitate, licebit aliam calidam paratam habere, ut temperes pro arbitrio: præſtabis hæc mane & ſero, bidui ſpatio. Mulieres idem faciant, penicillos ex goſſipio, in calida aqua abundè madidos, vulvæ imponentes. Quod ſi hæc perpetuo (ut plerunque contingit) præſto non habeas, protinus ſaltem urina totum penem lavabis, præcipuè glandem, quod facile præſtabis, ſi mingendo ora præputii (quod non pauci facere ſolent) digitis perſtrinxeris: ſubinde in proprio hoſpitio receptus, quanto citius poteris, præſcripto more lavabis, fovebiſque eadem die, vel nocte mox ſequente. Tantum enim abeſt

*Poſt coitum lavanda pars aqua calida,*

*Aut urina,*

abeſt (id ſi feceris) ut polluaris, quin potius ut jam pollutus, & ulcere penis affectus, in priſtinum ſtatum reſtituaris, modo intra quartum diem id fuerit præſtitum. Hac etiam arte fovenda, tum labia infantium lactentium, tum nutricum papillæ, ſi ſuctione vel lactatu à paucis diebus afficiantur. Balneum etiam univerſo corpori adhibitum, idem efficiet, ſi cum infecto inſcius, vel neceſſitate coactus, cubueris: confert etiam, ſi vino id feceris, vel etiam ferè quovis liquamine, modo calidum ſit. Verumtamen aqua ſimplex cæteris omnibus præfertur, diſſolvit enim quantum ſat eſt, nec plus æquo exſiccat, vel à fotu reſtringit, ut multa quæ ſua facultate id efficiunt: nam ſcopus hic eſt, ut fotu leviter diſſolvas, nec ullam cuti qualitatem, excepta naturali, relinquas, id efficit nil aqua melius, neque æque bene.

*Quare fotus ex aqua præſtet cæteris.*

## CAP. VII.

### *Curandorum ulcerum recentium modus.*

Ulcera autem, ſi jam manifeſte appareant, biduo puta vel quatriduo, etiam ſolo aquæ fotu ſanantur, bis in die adminiſtrato: quòd ſi duritie aliqua ſint obſeſſa, *præcipitato* hæc penitus eſt abſumenda. Sat autem erit hoc uti duobus diebus, & ſemel tantum ſingulo die, mox alios duos quieſcere, ſinens naturæ opus ſuum moliri: non enim radicitus rodentia

*Quomodo rodentia ſint adminiſtranda.*

tia medicamenta durities extirpant; imò, ſi ſine intermiſſione iis utaris, ſpe illius conſumendæ illuſus, illam augebis: tum, quod rodentia, ſua ſiccitate, à parte affecta quovis modo prohibent halitus conſuetos tranſpirare, tum etiam, quod dolore aliquo, qui ad hæc jugiter ſequitur, humoris quippiam plus advocatur, unde nova fit durities. Verum hæc mali moris non eſt, & naturæ opere facile diſſipatur, tantum fotibus adjuta, quæ interea non ſunt omittenda; verum tantum ſemel in die conveniunt, ne præcipitati, quod etiam ſemel tantum ſuperſpergitur, opus pervertas. *Rodentia crebro vitium ulceris augent.*

§. 2. Fit autem fotus, mox pars molli calidoque linteo exſiccatur, & involuta, per dimidiæ horæ partem, quiete relinquitur: ſubinde ſoluta, præcipitatum ulceri offunditur, nec dimovetur uſque in ſubſequentem diem, quo iterum fovere conducit, & mox iterum præcipitato reſpergere. iis peractis, fiant *fotus ex vino nigro*, &, ut cætera ulcera ſimplicia curabis, videlicet medicamento exſiccante, abſtergenteque, hoc puta, *Recipe butyri recentis* ℥ 1. *mellis roſati* ʒ 2. *tutiæ, lithargyrii an.* ʒ 1 ß. *viridis æris uſti* ℈ 2. miſce, & ſuper leniſſimo linteo pauxillum extendatur, ulcerique admoveatur, bis in die, uſque ad cicatricem productam. Nec ambigendum eſt, quin prorſus, horum præſidiorum ope, evadant patientes, modo morbus ab aggreſſu ſextam vel octavam nondum præterierit lucem. *Quo ordine omnia ſint applicanda ulceribus.* *Levè abſterſivum.*

§. 3. Sed pauci admodum ſunt patientes, qui à principio prudentem adeant medicum, vel

*Nimia negligentia ægros in deteriorem ſtatum inducit.*

vel chirurgum, iſtius peſtis virium ignari, nil ultra pertimeſcentes in futurum, cum nec artus doleant, nec immitis quicquam in principiis appareat, præter leviuſcula ulcera; non ſecus agentes atque ignarus præfectus cohortis, qui non luſtratis, ac ſpretis, deliteſcentis adverſique exercitus exploratoribus, proximam cladem non prævidet, ſed ſtulte ſuis viribus fretus, adverſum emiſſarios contendens, undique à deliteſcentibus mox circumventus, miſereque cum tota cohorte fuſus, inſanæ confidentiæ pœnas luit: At prudentis præfecti erat, exploratis præcurſoribus, occultas inſidias antevertere, locoque cavere, dum dabatur facultas. Hoc nimirum modo homines, hac labe aggreſſi, principia contemnentes, ſemetipſos præcipites dant.

*Decipiuntur etiam ægri ab impoſtoribus, qui plerumque morbum augent, ſua ignorantia.*

§. 4. Sed etiam plerunque miſeri patientes falluntur, decepti ſpecie recti. Quiſque hercle nunc nebulo, vel plebejus, vel tyrunculus, ſe eſſe ſapientem, prudentem, exercitatum, atque optimo medico æquum, profitetur: ſecus tamen non raro res ipſa indicat. Si igitur in ſimiles artifices patiens, non benigno ſidere ductus, inciderit, confiſus illorum ſtultis pollicitationibus, fuciſque, in pernitiem ſenſim labitur. Imperiti autem medicam artem tractant non ſecus ac ſimiæ, quum humani quicquam geſtiunt; fingunt autem hæ tantum patentiſſima, atque hæc etiam inepte: ſic plures crediti à plebe, vel Medici, vel Chirurgi, quum aliquem præcipuum in arte, in iis ulceribus perceperint, vel balauſtium, vel tutiam, vel

*Quomodo nebulones artem diſcant & exerceant.*

alu-

alumen, vel præcipitatum, vel æris florem, vel ariſtolochiam, vel aquam fortem, vel horum quodpiam ſimile, felici ſucceſſu appoſuiſſe, ſtatim, uno notato, hoc in uſum ponunt, nulla ratione, nec recta obſervatione, adminiculati; ſic, ut ſtatim balauſtio, vel tutia, vel galla, à primordiis ulcera hæc aſpergant, quod perniciosſimum eſt, intra, quod ſordidum eſt, cohibentes, quod foras evocandum erat: aqua etiam forti, vel alia ſimili, ulcera jam diuturna, ac multa duritie oppreſſa, madentes, nulla de iis, quæ in medio ſunt corpore, conſideratione habita: unde vehementior brevi excitatur corruptela, quæ quandoque nulla arte corrigi poteſt, quin glans rodatur, vel etiam nonnunquam totus coles; immo quoque & virgam corroſam, & pectinem univerſum, peritoneo tenus, exeſum vidi, nulla alia ratione, quam ex incongruo medicamentorum rodentium uſu, quos à mortis periculo eripere, laborioſum fuit. Aſſidue enim de hoc nos admonet Galenus, ne rodentia ulceribus admoveamus, niſi, quod intus abundat, foras deturbetur, concurrit hoc alioquin ad partem gravatam, quod ſanum eſt, exedens. *Aſtringentia ac exſiccantia mala in ulcerum principiis.*

§. 5. At videor nunc videre, multos in has noſtras inſtitutiones inſurgere, flocci pendere, calumniari, tanquam homines, fortè ob omni tum diſciplina, tumque recta medendi ratione alieni, dicentes; & fabri coriarii præſenſerunt quandoq;, à medicis aquam adhibitã, ulceribus eſſe contrariam: at & idem ego fateor: immò & duplici ratione contrariam; tum quòd, fotibus ratione *Aqua quomodo ulcera augeat vel curet.*

ratione adminiſtratis, per hanc ulcera arceantur, & ſic proprie illis eſt contraria; alio modo dicitur contraria ulceribus, quum hæc per illam augeantur, & ſic patientibus contrariatur. quod quidem præſtabit aqua, ſi frigida frequenter ulceribus offundatur, vel ex hac fotus fiant in corpore, humorum multitudine referto, vel eorundem malitia vitiato, ſic ut major fiat attractio quam reſolutio. At non modo ad aquæ fotus hoc conſequitur, ſed ad alios cujuſque generis: ſic ut jure merito dicendum putemus, vim totius artis, in artificis prudentia conſiſtere potius, quam in dogmatibus. Nec tamen decretis vacuum artificem debere eſſe cenſemus: immò potius in iis exercitatum oppidò, ſed ingenio, & experientia, qui polleat maxime, ut dogmata ad amuſſim ſubjectis accommodet. Nam qui imprudenter hanc artem adeunt, ut vulgares plerique, atque etiam mulieres, vel qui dogmate aliquo fulti hanc profitentur, non ſecus præſidiis in humanis corporibus utuntur, quam lethiferis telis cæcus, in acie conſtitutus; vibrabit autem hæc magis in amicos, ex iis multo plures, quam ex adverſis, confodiens: ſic ut, ſi in arte aliqua liceat unumquemque artificem propriam artem callere, antequam abſolute manum operi addat, in medica ſanè una licebit maximè.

*Prudentia in artifice principatū obtinet.*

*Ineptus artifex cæco militi ſimilis.*

§. 6. Non deſunt præterea, qui in hujus morbi præludiis, ſtatim ad venæ ſectionem, vel totius corporis purgationem confugiunt, ut provideant, (inquiunt.) At hæc imperitorum

*Proviſio imperitorū ſpecioſa.*

rum eſt proviſio: univerſam igitur, immenſamque domum, aqua perfundere vis, ſi, in abjecto equilis angulo, flammam pigrè inſurgere cernas, quam exiguo, aquæ labro reſtinguere, parvo labore poſſis? Porrò prudentis artificis munus eſt, propius juſto morbis auxilia adæquare, imprudentis verò, in alterum extremorum irruere. Quod ſi multorum dierum ſit morbus, & dehiſcant ulcera, vel pertinaciter occalleant putreantve, potentioribus præſidiis huic fias obvius licet, & ſanguinis miſſione, & purgationibus, & aliis, quæ omnia, ſuo loco, diſponere putamus.

*Prudentis medici, vel chirurgi, munus.*

---

## CAP. VIII.

### *Ulcerum ægrè ſanabilium curandorum ratio.*

QUum verò jam pervicacia, & multorum dierum ulcera, occurrerint, in pene puta, (nam hîc, à tempore ſumpta indicatio, ad curam confert aliquo modo, non autem ubi jam, per varias corporis partes, hæc manifeſtetur affectio) ſciſcitandum ab ægro eſt, num talia ſponte devenerint, vel potius poſt uſum rodentis alicujus medicamenti.

*Animadverſio in curandis ulceribus penis*

§. 2. Quod ſi continuo poſt medicamentum rodens contigerit, per duos dies ceſſandum ab iis eſt, tantum parti exulceratæ medicamentum apponens, quod *mellis*, recipiat *part.* i ß. *ſucci roſarum*, & *terebinthinæ ana, part.* j. *unguenti ægyp-*

*Abſterſivum leve primò adhibendum,*

*ægyptiaci part.* ß. ad ignem omnibus bellè permixtis: Nam hoc medicamentum leviter abſtergit ac concoquit, ſic, ut ſi durities, vel putredo, ex medicamentis, antea fortè irrationabiliter adhibitis, pervenerit, tum hujus medicamenti ope, vel alterius cujuſpiam ſimilis, quod dolorem nullum excitet, tum naturæ munere, corrigi conſpicies, nullo alio auxilio egens, ab eo quod ſimplicibus ulceribus convenit.

*Dein venæſectio,* §. 2. Si verò interea nil in iis videatur remiſſi, augeanturve, vel ea etiam ex ſe ad hunc ſtatum pervenerint, illicet *baſilicam brachii dextri* tunde, pro patientis viribus; die ſequenti corpus valenter purgato: inſerere autem hîc purgationum exemplar pro junioribus, non extra rem fore credimus, Medici prudentes, hæc in mente inſita habentes, meæ opis non egent. *Tum purgatio.* Finge igitur amaræ bilis hominem eſſe, & in tempore non extremè calido: nam ætatem conſtat eſſe vel juvenilem, vel virilem; impuberes, vel ſenes, non facile coëunt. *Recipe*, igitur *cichorii*, *origani*, *acetoſæ*, *ana m.* j. *graminis*, *liquiritiæ raſæ*, *ana* ℥ ß. *radicum lapatii acuti*, & *fœniculi mundatarum*, *ana* ℥ j. *polypodii quercini* ℥ ij ß. fiat decoctio ad ℔ ij. quæ *aromatizetur ſemine petroſelini ad* ʒ i ß. *cinnamomo ad* ʒ ij. de qua ſumptis ℥ IV. adde *Syrupi roſati laxativi* ℥ iij. *electuarii roſati Meſuæ* ʒ ij. mixta, albente cœlo, potet; de reliqua decoctione capiat ſingulo mane ℥ v. addita unicuique doſi *ſyrupi roſ. laxat.* & *de fumoterra compoſiti ana* ℥ j. nam id medicamenti genus, bilio-

ſos

ſos humores & craſſos, vel etiam ſeroſos, qui reperiuntur in venis, quæ proximiores ſunt inteſtinis, revocat, id, quod in corporibus paulatim ſolet acervari, deturbans.

§. 4. Ulcus verò, cum toto pene, hoc fotu fovebis, poſt ſectam, ut præcipimus, venam. *Recipe ſerpilli, foliorum vitis & quercus ana m. j. bulliant in ſufficienti aquæ quantitate, addita ſexta parte omphacii*, & ex hac, cum ſpongia, virga foveatur, præcipuè pars affecta: ſit autem calida, quantum commodè ferri queat: inſiſtatque per octavam horæ partem, mox ſpongia, in vino nigro auſtero ac calido, madida ac expreſſa, tantillum foveatur; inde fotibus abſolutis, linteo leni circumvolvatur, & paululum quieſcat. *Fotus ulterius.*

§. 5. Subinde ulcus hoc medicamento curetur. *Recipe mellis, terebinthinæ ana* ℥ ij. *præcipitati* ʒ iij. miſce, quo ulcus tegas, nec moveas uſque in eandem, vel circa ſequentis diei horam, qua idem efficies quod nunc, & ſat erit, ſi durities vehemens non fuerit. At, ſi profundius fuerit inſerta, tutius erit adhuc repetere die tertio, mox ab uſu hujus medicaminis deſiſte: nam perpetuo, in omni ulcere, non plus ſemel vel bis, vel ad ſummum ter, rodentia medicamenta ſubſequenter ſunt apponenda, quin duos poſt, vel tres, intermittas dies, quò, quid hæc præſtiterint, obſerves. *Abſterſivum validius.* *Quandiu rodentibus medicamentis ſit utendum,*

§. 6. Si verò fortiora ſint rodentia, ut *cauſtica* varia, cum *ſublimato* compoſita, vel *aqua fortis* dicta, vel alia plura quæ arte parantur, (quæ omnino omittenda hîc cenſeo, tanquam *Et quibus.*

plus æquo ſæviora, neque etiam neceſſaria: ) hæc, inquam, ſemel tantum, ubi ſit opus, adhibentur quindecim, vel ad minimum octo, vel decem dies exigentia, ut ab iis enecta caro à ſana ſeparetur: ſed, ( ut dixi ) extremis iis omiſſis, fœlicius, quod in hoc caſu exoptatur, ex *præcipitato* comparatur, quam à quovis alio, quod uſui ſit, medicamento: huic ſuccedit, quod ex *æris* fit *flore*, ut *Ægyptiacum*. Nam interim, dum ex cauſticis uſtæ carnis caſum expectamus, iis mitioribus frequentius uti poſſumus, ad quæ & humoris inſidentis concoctio, & puris evacuatio, diutinè ſequitur, quod ſummè juvat. Ab adminiſtratione verò eorum quæ vehementer carnem ſubditam extinguunt, ulcus ſiccum permanet octo dierum ſpatio, quod tantum abeſt ut prodeſſe poſſit, ut obſit potius non leviter: nam, quantum fieri poteſt, colluvies à parte affecta eveſtigio eſt eximenda, nec, quia illud altius imprimitur, ob id plus juvat: non enim omne infectum enecat, ſic, quod reliquum eſt, occluſa per cauſticum illi via, circumſitam ulceri carnem valentius inficit, unde à cruſtæ decidentia, quo tempore ulceris meliorem ſtatum expectabamus, major nobis repræſentatur corruptela, & ulcus majus multò: nam deciſa cruſta, ora dilatantur: quare præſtantius eſſe experientia novimus, hæc penitus in hoc affectu eſſe omittenda.

*Præcipitatum cæteris rodentibus præſtat.*

*Quare maximè rodentia non ſemper juvent.*

§. 7. Plures, inquies, ſanitati reſtitutos vidimus ex unica, ac ſimplici, *aqua fortis* inſperſione. Ex iis etiam & ego vidi, & aliquot hoc

medi-

medicamento, dum junior eſſem, aliorum vestigia ſequens, curavi: mutavi tamen ſententiam, quum adverſum quandoque affectum conſpicerem, diligentius inde examinans, cum ratione, tum experientia, quid cauſæ eſſet, quod alios medicamentorum genus hoc ſanaret, alios ſupra modum afficeret, non ſecus ac alia omnia talia. Novi, illis duntaxat eſſe præſidio, qui recenter morbum contraxerant, ſic ut totum, vel penè quod infectum erat, illo extinguebatur: ſed hos etiam ſanat integrè *ſimplex aquæ fotus*, vel repetita, (ſi aliqualis ſit durities) *præcipitati* aſperſio, in nullum diſcrimen ægrum inducentia.

*Quando valentia ſunt.*

§. 8. Sed redeamus unde divertimus. Si verò durities, vel ulceris corruptela, præpoſitis præſidiis cedere non videatur, vena colis, ulceri proxima, aperienda eſt, vel ſanguiſuga affigenda: quo putridus ſanguis, ulcus nutriens, hoc ingenio educatur, & iterum ad præcipitati uſum redire, à balneo abſtinere debemus, *fotu* tantum leviore, ex *vino auſtero & aquâ*, contenti: præcipitatumque balſamo artificiali, à (c) Joan. de Vigo deſcripto, componere; nam hoc apprimè has durities evertit abſumitque, ulcus boni moris reddens. Roborandæ repetendæque, & etiam frequentandæ, purgationes: roborabis eas, ſi decoctioni præſcriptæ *ſena*

*Si malum augeatur, qu. modo eidem obviã ſit eundum.*

*Colis vena aperienda.*

*Fotus levior.*

*Durities ulcerum corrigens medicamentum.*

(c) Quale illud balſamum ſit, à *Io: de Vigo* deſcriptum, cujus meminit autor, vix certò dicere poſſumus; interim, cui otium eſt, adeat ejuſdem *Vigonis Practica* poſtem 1. *lib.* 1. *tract.* 5. *cap.* 9. Vel Antidotarii *ejuſdem c.* 13. ſub titulo *ung. de minio*, aut unguenti *craſeos.*

*ſemæ* addideris ℥ j. vel ij. Nec ab re erit, ſi multi ſanguinis homo fuerit, venam iterum ſecare, præcipuè ſaphenam pedis dextri, vel baſilicam iterum in brachio. Quòd ſi ſanguis, ab adverſis venis exhauſtus, corruptus appareat, patiens vero inculpatæ valetudinis ante hunc morbum eſſet, intellige, luem hanc per univerſas jam extremas venas eſſe diffuſam, ubi ſanguinis miſſionem ex variis diverſiſque partibus, brachiis puta & cruribus, ſummopere conferre novimus, habito perpetuo reſpectu ad vires, & eductionis frequentiam: licebit igitur ad ℥ vj. ab utroque brachio, & crure utroque, exhaurire. At hanc præſidii formam tantum, ut dixi, commendamus, ubi jam in adverſas partes infectio irrepſerit, ubi etiam & *balnea* supremè conducunt, univerſo corpori adhibita, & quæ urinas & ſudores movent: quæ omnia digeſta comperies ubi, de pilorum caſu & de ſcabie tractabitur. Quibus omnibus bellè adminiſtratis, ulceris moroſitatem iri ſedatam conſpicies, quòd ſubinde, ut ſimplex ulcus, erit tractandum.

*Signum indicans per univerſum corpus diffuſam eſſe luem.*

*Balnea.*

Sunt præterea, qui, tumido facto præputio, glandem detegere non poſſunt, quæ etiam quandoque moleſtis ulceribus premitur: ſolvitur autem belle tumor hic, fotibus præſcriptis, & melius, ſi *parietariam*, & *thymum* incoxeris: injiciendumque clyſteri exiguo *lavacrum*, confectum ex *ſucci roſarum* ℥ iij. *ſucco chelidonii* ℥ j. *aqua mulſa* ℥ iv. quod tepidum injectandum, ſine impetu. Quandoque præputium ſecare cogimur. Verum tentanda omnia

*Si tumefactum ſit præputium, adhibendus Fotus,*

*Injectio.*

*Chirurgia.*

primo

primo fiant, nec ſecandum, niſi extrema urgeat neceſſitas. Urgebit ſane raro, vel nunquam, ſi omnia ratione fiant, fotus, inquam, injectiones, ſanguinis miſſio, & totius corporis purgationes. Glande igitur detecta, ſi ulcera mali moris ſint, *præcipitatum* erit ad rem, ſin minus, medicamentum quod ſine morſu ſiccet leviterque abſtergat, ut *Recipe*, *ſucci plant. roſ. & chelid. terebinth. clara ana* ℥ j. *mellis* ℥ IV. *ariſtol. rot. aloës*, *an.* ℥ ij. *far. hordei* ℥ iij. ad ignem miſceantur, & utere. *Exſiccans ac abſtergens medicamentum.*

§. 10. Accidunt etiam verrucæ, *aqua forti* extinguendæ, ſed animadvertendum eſt, ut tantum verrucæ intingantur, ne reliquas partes aqua exulceres: quandoque tamen hæc ſola non ſufficit, vel etiam non congruit, præcipue ſi magnæ hæ ſint, quas amputare ſatius eſt, mox aqua radicem madefacere. *Verruca in glande orta.* Vidi autem Hiſpanum, dum junior eſſem, qui ad fratris mei auxilium confugerat, glandem univerſam, atque præputium, magnis verrucis obſitam habentem, ad tantam autem molem pervenerant, ut totam glandem obtegerent, præputium in ſummum extendentes cum maximo dolore, quem ſecare fuit neceſſum per longitudinem, uſque ad glandis radicem, ſic enim omnia patebant, & dolor quievit: multæ autem verrucæ erant, quæ parvi digiti magnitudinem excedebant, inter has aliæ inſidebant minores, quas omnes in multos dies abſcindere, ad extremos earum pediculos, oportuit, mox ſanguine aliquo effluxo, aqua forti intingere: aliæ autem *Cura facta in hoc caſu à fratre Botalli.*

 mini-

minimæ, quæ forficibus amputari non poterant, aqua forti penitus cum cæteris abſumptæ fuere, in ſanitatemque æger hoc more reſtitutus eſt, relicto tamen diviſo præputio, quod reuniti non poteſt. Quæ autem teneræ ſunt, facilè belleque liquantur, appoſita *aqua* quæ *ex ſale & alumine*, per vitrum ſtillatis, conficitur.

§. II. Plerunque etiam cutis eminet, inſtar carnis verrucoſæ, nempe in glande, in papilliſque nutricum, in puerorum labiis, & circa anum & ſcrotum, quam non forti aqua, vel alio vehementer urente medicamento, abolere licet, ſed mediocri aliquo, ut puta *aqua ex alumine & ſale* confecta, tantundem *aqua roſacea* admixta: vel *præcipitatum cum balſamo* Joannis de Vigo, bis die appoſitum. Horum etiam corpora purgare frequentius licet, & ſanguinem mittere, & fortè etiam *decocto ligni*, vel *linimentis* ex *hydrargyro*, ſubmittere, & omnibus tenuem præcipere *victum* pro ratione morbi viriumque; quies etiam his omnibus præcipienda eſt: quod ſi neceſſitas, ſive pauperies, quietem patienti non concedat, ſed cogat conſueta opera victum ſibi comparare, penem in cucurbitula vitrea retineat, ne veſtium confrictu malum augeat.

*Aqua extinguens verrucas minores.*

*Purgatio: ſanguinis miſſio:*

*Victus ratio.*

CAP.

## Cap. IX.

### *Seminis profluvii curatio.*

Qui solis fiſtulam ampliorem habent, ii facilè ſeminis profluvium ex fœdo ſcorto contrahunt, præcipuè, ſi mulier nuper habuerit congreſſus cum viro alio, ſimilem affectum patiente, quod plerunque contingit: vel, ſi menſtrua alba, vel ichoroſa patiatur, maximè ſi menſtruorum tempore, vel paulo ante, vel poſt, coëant. Eſt autem hæc paſſio teſtibus, ut ventriculo diarrhœa: impotens autem eſt utraque pars diutiùs, quod recipit, continere; ſic laxatis horum oſculis, contenta fluunt. Communicata igitur hac colluvie ipſis teſtibus, (nam facilis eſt in coitu ad hos tranſitus) triſtantur relaxanturque, & quod, ex venis atque arteriis iis inſertis, pro nutrimen ſeminiſque generatione defertur, crudum, aut quidem incoctum, effluit, viis iis recluſis exiſtentibus. Qui autem venerei morbi principia parvifaciunt, juvantur, mirum in modum diuturno ſeminis effluvio; nam paulatim, quod putidum erat conceptum, effluit cum cætero, quod nondum corruptum, ſed incoctum labitur, perinde ac in mulieribus, quibus menſtrua ſuperveniunt. *Seminis profluvium ſimile diarrhœa.*

§. 2. Curatur autem à principio hæc affectio mediocri negotio, ſi æger rationi obtemperet. *Lavanda* eſt primum & virga & ſcrotum, fovenduſque coles bidui vel tridui ſpatio aqua calida, ut ſupra notavimus, & bis *Cura.* *Lotio.*

ſingulo quoque die ante paſtum: poſtea fovendi ſunt teſtes per multos dies, in *vino optimo nigro, atque auſtero:* præmittitur tamen huic purgatio per alvum; talis puta: *Recipe terebint. clara, lota primo in aqua plant. mox in vino albo* ℥ ß. *rheub. elect.* ʒ j. *aloës el.* ℈ j. *cum pul. liq. & ſacchar. fiat bolus*, capiat matutino tempore, & ſuperpotet *decoctum caulium viridium*, & *parietariæ ex carnium jure* factum, vel cum butyro, ſale & aqua. Hac purgatione utatur bis, interpoſitis duobus, vel tribus diebus, ſi prima libere eduxerit: interea exiguo clyſteri in virgam injice lavacrum hoc: *Recipe, aquæ lactis, lixivii, aquæ roſ. an.* ℥ IV. *roſarum rub, ſiccarum* ʒ ij. *tutiæ præp. lithar. ana* ʒ iij. bulliant parum, colentur, & utere bis in die, blandè injectando, ne exulceres, & tepidè.

*Purgatio.* *Injectio.*

§. 3. Quod ſi ad ſextum diem moleſtus adhuc affectus ſit, venam tunde baſilicam dextram, ad eam ſanguinis eductionem quam virtus, ſanguinis multitudo, & vitium, indicabunt, mox ad ſubſequentia te conferes. *Recipe, Mercurialis, parietariæ, borraginis, malvarum, ana m.* j. *polypodii* ℥ ß. fiat decoctio pro una doſi, in qua infunde *turbit electi* ʒ i ß. *foliorum ſenæ* ʒ ij. *cinnamomi* ʒ ß. omnibus tuſis, macerentur per noctem, mox expreſſuræ adde *ſyrupi roſati laxativi* ℥ ij. & potet mane. Die ſequenti, ſi medicamentum non copioſe alvum eduxerit, capiat *jus caulium viridium & parietariæ ad* ℥ v. *cum* ℥ iij. *ſyrupi roſati ſolutivi.* At, ſi potione prima naviter dejecerit, ſecundam omittes, & per dies ſex, vel ſeptem, præſens diure-

*Venæſectio.* *Purgatio fortior.*

diureticum, matutino tempore, potet. *Recipe pariet ariæ, capillorum veneris, carduum ſylveſtrium, ana m. j. radicum apii, eringii & fœniculi mundatarum, liquiritiæ raſæ, ligni indi ana* ℥ ß. *cyperi* ʒ iij. *mellis deſpumati* ℥ iij. fiat decoctio ſecundum artem ad ℔ ij. quæ aromatizetur cum ʒ iij. *cinnamomi*, & tantundem *ſeminis petroſelini*, de quo capiat matutino tempore ℥ viij. calidè, & ſtragulis mediocriter coopertus, moderatè ſudare tentet. & perſeveret in iis dies ſex, ut diximus, aut ſeptem, renovato decocto, cum fuerit primum abſumptum: ab iis purgationem, immediate præſcriptam, iterum ſumat. Interea, ſi alvus non liberè excernat, devoret alternis diebus, per horas duas ante cœnam, vel matutino tempore, *pilulam unam aggregativam dictam, doſis* ℈ j. quod ſi nihil moveat, die ſequenti ſumat, ʒ ß. in duabus pillulis diſpoſitam, interim hanc novam injectionem in uſum pones. *Recipe, aqua roſarum, ſucci plantaginis depurati, ana* ℥ vj. *myrobalani citrin* ʒ iij. *tutiæ* ʒ ij ß. bulliant parum, mox colatis, tepidè, bis in die, in virgam infundes, ſed manu levi, ſine impetu, ne virgæ fiſtulam, quæ jam aliqua excoriatione tentatur, plus exulceres: Uteris hac tribus, vel quatuor diebus continuis. Quod ſi nihil remiſſi affectio habere videatur ab uſu diureticorum, *vena dextra ſaphena* ſecanda eſt, detrahendumque copioſe, ſi venæ refertæ ſint, & ſanguis ſit putridus: præterea, purgantia per alvum ſunt ſolicitanda, per dies puta ſex vel octo ſuccedentes, & in *fotu* ſcroti, qui ex vino fiebat, *gallam & balauſtia* incoquere,

*Apozema diureticum.* *Pilula.* *Injectio.* *Sanguinis miſſio expedit.* *Purgatio repetita.* *Fotus.*

§. 4. Hoc

*Victus ratio.* §. 4. Hoc interim ſpatio victum tenuem attenuantemque præcipere: nam hoc modo ſi feceris, non recentem tantum gonorrhœam in bonum reduces ſtatum, ſed etiam diuturnam. Cæterum in hac pertinacius etiam præſidiis eſt inſiſtendum, & valentius purgandum: non enim æquo temporis ductu habitus & diſpoſitio vitioſa languent, vel remittuntur, ſeu radicitus extirpantur: verùm non jugiter evacuandum, quo ad finem morbi conſequaris, ſed quieſcendum, quum iis multo remiſſior fuerit factus, cætera natura ipſa expediet: nam hæc vera poſtremaque eſt morborum omnium curatrix, quæ ſi tandem non perfecerit, repetenda eadem eſt cura: præterea, imperare *aquam fontanam* in potu, *cum ſaccharo*, ad libitum: plerunque etiam *cibum ex pane* tantum, *in* hac *aqua* infuſum, vel in aqua ſimplici ſine ſaccharo. Non exquiſite tenuis vel attenuans victus, ſed qui intra utrunque extremum medius erit, inſtituendus venit.

NOTA.

*Natura præcipua morborum curatrix.*

*Hipp. 6. Epid. ſect. 5. §. 1.*

---

## CAP. X.

### *De Bubonum curatione.*

QUi cum polluta meretrice coëuntes, plus æquo, vel impetuoſius, militant, vel quibus in coïtu facilè inguina dolent, iis parvo negotio hæc tumentia fiunt, in quæ, natura robuſta, quod ex congreſſu putidum fuit acquiſitum,

ſitum, & quod ſubinde fuit inquinatum, cogere affectat. Horum etiam plerique, qui hujus morbi initia flocci faciunt, vel adverſo numine in imperitorum manus incidunt, benignæ adverſus ſe naturæ plurimum debent: ſervantur enim hi nonnunquam, horum bubonum munere, nec ſæviore aliquo exercentur ſymptomate.

§. 2. Nitendum igitur eſt, ut ii ad *ſuppurationem* alliciantur, nimirum, frictionibus aſſiduis, ventoſarumque appoſitione. Nil hercle his melius, vel citius, ad ſuppurationem accelerat. *Fricantur* autem *digitis* ſimpliciter, vel *recenti butyro* illitis, ut diutius frictio ſine moleſtia ſufferri poſſit: præſtabit hoc autem patiens ipſemet, digitiſque comprimet, perſtringet, omnique arte frequenter irritabit, uſque dum tumentes, & phlegmone obſiti, tactum amplius ferre non poſſint, quo tempore *ſuppurantia emplaſtica* apponere licet. *Bubones ad ſuppurationem excitandi; & quomodo.*

§. 3. Si igitur brevi, nec multa frictione, ad ſuppurationem devenerint, humorem non admodum craſſum rebellemve eſſe oſtendunt, naturamque vegetam circumſiſtentium partium; raram imbecillemque recipientem, ubi leviore etiam præſidio ſuppurant: iis propterea ſat erit *tripharmacum ex farina, oleo, & aqua* apponere. Si verò ægrius huc humor trahitur, ſcias, hunc etiam non facile in pus converti, quare extrinſeco potiore eget auxilio, quàm primus: *idem* igitur *emplaſtrum* coquere poteris, *cum jure radicum althææ, radiceſque in pila* *Emplaſtrum* *Cataplaſma.*

contuſas

*contuſas addere, & ſemen lini & fœnugraci, & porcinam vetuſtam axungiam.*

*Si bubones perviaces ſint, quid agendum.*

§. 4. Quandoque tamen adeo pertinaces ſunt, ut ſuppurationi obnixè reſiſtere videantur, quos emplaſtris fovere calidioribus oportet: id efficiet, ſi *bryoniæ radicem cum althæa* incoxeris, cataplaſmatique mox deſcripto addideris, *ſaponemque* inſuper adjeceris. Quum omnibus iis præſidiis non cedunt, hoc cerato obteges. *Recipe bdellii* ʒ iij. *aloës* ʒ ij. *diſſolve in aceto acerrimo, & cum diachylonis majoris* ℥ j. *malaxentur, & ad ignem bellè incorporentur, addito tantillo ceræ pinguiſſimæ.* Inter hæc, ne verearis ſtatim venam aperire, ex crure ejuſdem partis, vel alterius, vel brachio, ſi ab illis non libere emanaverit, &, ſi ſanguis aliquam patiatur à naturali tranſmutationem, corpus una purgato: nam quandoque ab iis evacuationibus, qui pertinaces admodum oſtentantur, ii ad ſuppurationem, parvo leviuſculoque auxilio, ducuntur. Videtur hoc tamen rationi diſſentaneum: verum res ipſa hoc mihi quandoque ante oculos objecit, unde rationem, omni diligentia, hujus effectus, explorare non deſtiti, fretus nunc, nullam hac potiorem eſſe: nimirum, quod antea diſperſus humor, aliquo modo naturam divertebat, quæ ſubinde & purgatione allevata, & ſanguinis miſſione putrido ſanguine imminuto, reſiduum valentius adoritur, in inguinaque, quoad fieri per illam poteſt, compeſcit, concoquit, ac per ruptionem exturbat. At in iis omnibus naturæ tantum beneficio fidendum non eſt, ſive facilè ſuppu-

*Cataplaſma validius.*

*Ceratum.*

*Venæſectio.*

*Purgatio.*

*Quare quandoque pertinaces bubones, poſt totius corporis evacuationem, faciliùs ſuppurent.*

ſuppurent, ſive ægrè: nam plerunque & alia ſymptomata ſequi ſolent: ſed frequentius in iis, in quibus hic humor pervicacior apparet, quos etiam & valentioribus, & frequentioribus pharmacis, curare par eſt, & copioſiore ſanguinis miſſione, ſi is corruptus appareat. purgetur igitur corpus ex ℥ vj. *confectionis Hamech*, vel ℨ ij. *pillularum cochiarum*.

§. 5. Quum igitur ad maturitatem perveniſſe noveris, emiſſarium puri arte præbeas, ratus hoc illi præferendum eſſe, quod naturæ munere, vel potius putredine, paratur: quamvis (d) Galenus & alii ſcriptores multi, contrariam ſententiam in hominum animos inſerere laborent. At ego, quam naturalem illi dicunt aperturam, contra naturam prorſum eſſe aſſero, quare etiam patientibus admodum moleſtam: antecedit autem hanc multa, circumpoſitarum partium, putredo, ut ipſe uſus docet, cui etiam arridet evidens ratio. Si nanque, putredinis vi, cutis liquatur, quomodo reſi-

*Puris per Chirurgiam, Emiſſio.*

*Emiſſarium puris arte chirurgica factum melius eo quod ex putredine.*

*Arg. 1.*

(d) Cur Galenum hujus ſententiæ patronum eſſe ſcribat autor noſter, non poſſum aſſequi; Is enim planè contrarium docet *l.* 13. *M.M.c.* 5. imò *lib.* 2. *de arte cur. ad Glauc. c.* 7. expreſſe damnat *cutis colliquationem in ſuppurationibus, adeò ut panno lacero ſimilis efficiatur*, quod fieri neceſſe eſt, ubi ſinimus cutem à pure rumpi. Solus *Celſus l.* 7. *c.* 2. *ſatis*, ait, *eſſe, cataplaſmata efficere, ut per ſe pus aperiatur: nam ferè ſine cicatrice poteſt eſſe is locus, qui expertus ferrum non eſt.* Contrarium tamen ſuadet Chirurgorum Praxis, apud Vidium *l.* 5. *de curat. generat. c.* 12. & rationes ab Aquapendente allatæ *lib. de Tum. p.n. c.* 6. §. *quod ſi puris tanta*, &c. quibus adjunge, ſi placet, autoris argumenta, ſatis equidem momentoſa; qualia etiam ſunt à Severino allata *Effic. Chir. tit. de ſection. c.* 21.

(e) Qua

reſiſtent carnoſæ proximæ & nervoſæ partes
2. aliæ, quibus pus inſidet? Quis autem non quandoque vidit emiſſaria à putredine parata, & in bubonibus, & in aliarum partium ſinibus, ſic eſſe carne exhauſta, quam putredo, diutius inſiſtens, colliquaverat, ut multam cutem, jam labefactam, ſecare opus fuerit, cum huic deeſſent inſtrumenta unde alimen-
3. tum caperet? Sed quid diſcriminis eſt in ſectione arte facta, plus quam in illa? quod autem ferrum ſecat, vel cauſticum urit, idem ſanè multo majore menſura, ut dictum eſt,
4. colliquat abſtruſum pus. Sed nec tantus ex ſectione ſequitur dolor, qui raptim transfluit, quantus ex diuturne compreſſo pure. Ubi igitur jam collectum pus pateat, & phlegmone vomica ſit obſeſſa, ferro acuto, belleque ſecante, illam divide, ſecundumque (e) rugas ſectionem facias, ea quantitate, ut nulla vi craſſum pus, quod perpetuo in iis apparere conſuevit, exire, vel molliter exprimi queat.

*Quomodo aperiendus eſt ſinus.*

§. 6. Circumventas autem phlegmone vomicas, non modo has, ſed & cæteras, ſecante ferro perfodere conſulo, eo quod ex plaga, ſanguis ille (f) cutaneus atque etiam infectus, detru-

*Quæ apoſtemata ſecante ferro vel candenti vel cauſtico aperienda.*

(e) Qua ratione ſecundum rugas in inguinibus aperiendus ſit abſceſſus, pulchrè docet Gal. *l.* 13. *M. M.* 5. vult enim, per tranſverſum fieri ſectionem, quippe ita, cum membrum flectimus naturaliter, cutis ſibi applicatur. Sed hæc regula non eſt tam univerſalis, quin pro partium conditione exceptiones patiatur, quas omnes ad longum proponit Aquapendente *lib. Operat. Chirurg. cap.* 107. §. *Hac Chirurgica operatio, &c.*

(f) Simili conſilio Celſus l. cit. in abſceſſibus cutem incidit, & cucurbitulam accommodat,

detruditur, quod ad cauſtica minime conſequitur: præterea, in iis cauſticum quandoque auget inflammationem, cum ſummo dolore. In quibus verò nulla impendet phlegmone, (quod raró, vel nunquam, in bubonibus iis apparet) illis cauſticum apponere maximè confert, tum quod ex hoc (ſi perfectum ſit) nullus, vel exiguus, percipiatur dolor, ubi nec cutis diviſa ſit, nec inflammatio adſit; tum, quod ſectio etiam (ubi illud ſuppoſitam puri partem exuſſit,) ſine moleſtia aliqua fiat: præterea, ſanguis nullus ex tali apertura effluit, quod confert in frigidis abſceſſibus: Sed & candenti ferro aperire hos etiam licet, perinde atque cauſtico, ſi æger permittat.

§. 7. Sectionis autem tempus eſt, ſtatim ubi pus in ſinu inundat, dum digitis premitur, quo etiam tempore fervores, qui in materiei generatione fiunt, langueſcere occipiunt: non autem, ut quidam præcipiunt, (g) acerbum dividere par eſt: difficile autem tunc coquitur reliquum, quod in partibus circumpoſitis eſt infixum atque crudum, evaporatis per ſectionem

*Quando aperienda ſunt apoſtemata.*

*Aph.* 47. *l.* 2.

commodat, quæ, quicquid illic malæ corruptæque materiæ coiit, extrahat.

(g) Crudos abſceſsus quandoque eſse aperiendos, non unus docuit: Vide ſis ad Valleſii *Comment. in* VI. *Epidem. partic.* 16. *& in* 7. *ejuſd. part.* 92. ubi de parotidibus malignis. Paulum, *l.* 6. *c.* 34. & ex illo Aquapend, ut & Severinum *locis citatis.* Imò, cum autor noſter ſuadeat, bubones venereos aperiendos eſſe cauſtico, ſive actuali ſive potentiali, quid aliud indicat, quam eoſdem, ob ſuam cruditatem, igneo ejuſmodi egere præſidio? intelligendus itaque venit, de apertione crudi tumoris per ſcalpellum.

nem ſpiritibus, quorum ope recta horum expectabatur concoctio. Præterea, quis quandoque non didicit, diviſionem, fluente adhuc humore, factam, irritare magis, morbumque geminare? Vidi equidem ineptos Chirurgos, nonnunquam ſectione immatura, non citra vitæ diſcrimen, ægros in graviſſimos anxioſque dolores induxiſſe.

*Tardius facta apertura, noxia.*

§. 8. Sed etſi immatura ſectio noxia ſit, non propterea utilior erit, cæteris omnibus, prænimium matura, quod ampliorem, quam par ſit, ſibi ſedem paret, partes (ut diximus) circunſtantes corrumpens, quas ſervat in tempore, arteque, factus exitus. Nec evaporationem contenti puris hîc experiri, ſine apertura, æquum eſt, quemadmodum in phlegmonoſis collectionibus, quæ ſola ſanguinis copia nonnunquam fiunt. Aperiendus erit igitur ſinus hic, non crudus, ſed mediocris: poſt hunc, qui paulo maturior eſt; tertiò, maturum extreme, eo quod ſatius ſit ſero, quam nunquam. At horum indicia ſcriptis tradi non poſſunt, ſed viſu tactuque, ab experto artifice, tanquam manuductore, diſcere æquum eſt.

*Cum enim diſſolutione bubones non curentur,*

*Expectanda mediocris maturitas eſt.*

*Quid agendum poſt apertionem?*

*Cataplaſma*

§. 9. Aperto igitur ſinu, illum, hac prima cura, *licinio, ovi albo & bolo armena* intincto, curabis, & infraſcripto cataplaſmate ſtipabis. *Recipe farinæ hordeaceæ & fabarum, furfuris, mellis ana* ℥iv. cum *lixivii & vini albi pari portione*, ad ignem belle coquantur, & fiat *cataplaſma* non coinquinans, quod bis in die reſtauretur. Hoc uti poteris per tres quatuorque dies primos à ſectione, quo id, quod in tumida parte eſt infixum,

fixum, in pus vertatur, vel in halitus evapo-retur: lychnum vero hoc medicamento obducatur. *Recipe mellis roſat. terebinthinæ, ſucci roſarum & apii ana.* ℥ j. *farinæ hordei* ℥ ß. *ariſtolochiæ, thuris, ana* ʒ j. ad ignem omnia incorporentur. Quum id ſiccantius eſſe voles, *ariſtolochiam* auge, addens *iridis* quippiam & *aloës*, & *ſucci chelidonii*. Ab uſu cataplaſmatis, ex farinis præſcripti, *emplaſtrum diapalma* ad finem uſque ſuccurret. *Emplaſtrum*

§. 10. At, facto emiſſario, ſi nondum fuerit ſecta vena, vel etiam ſi fuerit, & ſanguinem repereris vitiatum, eodem die, vel altero, *ſanguinem detrahere* licet: etiam corpus purgare, quo ſæviora effugias ſymptomata: vena ſecanda eſt ſaphæna, vel poplitis potius, vel baſilica ejuſdem partis. Quod ſi ſanguinem vitiatum offenderis, ſtatim, vel ſub veſperum ejuſdem diei, aliam è regione venam dividere ne hæſites. Mox corpus *purgabis* mediocriter, ſi abſceſſus facilè, vel brevi à contagio, ad ſuppurationem deductus fuerit: ſi verò dudum poſt apparuerit, ſanguiniſque vitium non leve videatur, diutius in purgationibus inſiſtendum eſt, valentiuſque purgandum: purgationum formam ex ſupradictis, tum infra dicendis, ſuggerere poterit, qui paululum in arte medica fuerit exercitatus: ſi nil, ſatius erit hanc partem expertis medicis relinquere, qui id ex morbi eſſentia, aliiſque indicationibus, conſtabunt. *Victus* præterea tenuis mediocriter, ut humoris corruptela, ac patientis virtus, indicabunt, & quam minime, vel nihil, attenuans.

*Ab apertura vomica, purgatio & ſanguinis miſſio confert.*

*Victus.*

# CAP. XI.

## *Pilorum caſum curandi ratio.*

*In caſu pilorum confert*

SEnſim, ubi hæc colluvies per carnoſas, cutique proximas, partes ferè univerſas irrepſerit, in corpore tenuioris ſanguinis, ab inſito calore propulſa, cutem labefactat, unde pili decidunt. Hos etiam patientes natura aliquando à graviore morbo tutatur, ejecto per cutem putore omni; Veruntamen hoc ſæpius non abſolvit, vel ob intemperatum victum patientis, vel propter viſcidorum humorum miſcellam, qui ægrè per cutem dejiciuntur: quam & aliis ſymptomatis, etiam ſævioribus, ſubmittantur ægri, rationi conſentaneum eſt.

*Sanguinis miſsio,*

§. 2. Ineunda igitur in iis eſt cura à ſanguinis miſſione, ex cephalica brachii, partem magis affectam reſpicientis, ad ℥ viij. vel x. qui ſi vitiatus ſit, ſtatim ex adverſo brachio tantundem deme: corpuſque ſequenti die hoc

*Purgatio,*

pharmaco purgato. *Recipe origani, betonicæ, hyſſopi, mentæ ana m. j. mercurialis, parietariæ, ana m. ij. polypodii quercini* ℥ i ß. *liquiritiæ raſæ, radicum eringii ana* ℥ j. *fiat decoctio ad* ℔ ij. colentur: cui indantur, *foliorum ſenæ* ℥ i ß. *ſeminis petroſelini, aniſorum, carvi, ana* ʒ ij. *cinamomi* ʒ iij. macerentur per noctem, mox per colum liquor transfuſus & expreſſus, in vaſe vitreo reſervetur ad uſum: de quo *Recipe* ℥ IV. *ſyrupi roſati laxativi* ℥ ij. *electuarii roſati Meſuæ* ʒ iij. *miſce: fiat potio*, quam capiat die ſequenti a emiſſo ſanguine: ex reliquo decocto capiat

ſingul

ſingulo mane ℥ v. cum ℥ j. *oxymellitis ſcyllitici*, *& tantundem ſyrupi roſati laxativi*. Ab iis purgetur corpus ex ʒ ij. *pilularum cochiarum*, ſi mediocriter fuerit robuſtus patiens, vel ex ʒ i ß. quod ſi pilulas recuſet, purgetur iterum primo pharmaco.

§. 3. A ſanguinis miſſione, vel poſtridie à purgatione, capillis forficibus reſciſſis, lavetur, atque etiam foveatur totum caput hoc lavacro, quod ſtatim compeſcet pilorum caſum, diſſolvendo humorem noxium. *Recipe menthæ, corticis ulmi, vel foliorum ejuſdem*, ſi viridia ſint, *foliorum vitis, ana m.* ij. *porrorum, num.* VI. bulliant in aquæ ſitula, deinde colentur, & alternis diebus caput lavetur, cum levi frictione; mox madida, in eodem decocto, ſpongia ampla, caput foveatur, bis terve repetita ſpongia, mox leniter caput exſiccetur. Idem intellige faciendum eſſe genis, niſi ſit imberbis. Utéris hoc balneo fotuque, ter vel quater: ſubinde dies aliquot quieſce, puta ſex vel octo, mox repetas. Quod ſi cum pilorum caſu ulcuſcula per caput appareant, quæ à fotibus atque lavacris non levius habuerint, iis adde *lupinos, mel, nuces cupreſſi, gallam*, atque *omphacis* quippiam. *Ad pilorum effluvium lavacrum.*

§. 4. A ſecunda purgatione, per *ſudores*, tum per *veſicam*, corpus purgare conandum eſt: nam etiam ſi tantum caput & genæ videantur moleſtari, univerſæ tamen cutaneæ partes eodem ferè afficiuntur incommodo. *Balneum* igitur ingrediatur, die ſequenti à repurgato corpore, in quo inſideat per mediam horam: *Balneum.*

horam: ſit autem aqua potabilis tantum, & ejus caliditatis, quantum leniter ferri poſſit. Utetur autem iis, per duos mox ſequentes dies, horis duabus ante cœnam; dieſque ſubinde interponat tres ſine balneis, deinde per alios duos dies ad hæc recurrat: Quandoque etiam occipiti conducet *ventoſam* affigere, & ſecare.

*Ventoſa.*

§. 5. Hac inſuper potione utatur. *Recipe ligni indi non vetuſti, ſed benè maturi, ex medio nigriore & recenti, in ſcobem minutulamque redacti* ℥ iij. *vini optimi albi* ℔ iij. macerentur horis viginti quatuor in vaſculo terreo picato vel vitreo, mox iterum *Recipe ligni indi* ℥ xv. *aquæ fontanæ* ℔ xij. macerentur per noctem, & lento igne, in vaſe terreo picato, bulliant ad duarum partium conſumptionem: ſubinde huic ſuperadde vinum ſupra præparatum, & reſideant per horas ſex: deinceps colentur in vaſe vitreo vel terreo: Et magna utrumque ſimul mixtum, iterum in olla reponatur, cui ſuperinde *aquæ* ℔ xvi. in qua etiam perpulchrè fuerint maceratæ aliæ ℥ iij. dicti ligni per horas xij. & ſic mixta, bulliant ad quartæ evaporationem, mox quieſcere ac reſidere permitte, & colatum pro potu reſervetur ad libitum. Ex primo decocto, tantummodo bis in die ſumet, ad diluculum videlicet, vel ſub noctem, duabus horis, vel tribus, ante paſtum: doſis ſit ad ℥ x. die balnei tantum ſemel, videlicet matutino tempore, utatur: potetur autem tepidum, mox æger lodicibus, vel veſtibus, coopertus, mediocriter ſudores provocet.

*Decoctum ligni.*

*Ejus utendi modus.*

vocem. Utatur autem hoc decocto, dierum duodecim ſpatio, vel quindecim, ſi morbus levis fuerit: at ſi gravior, prorogabis in ter denos: & , ſi dolores aliqui vel capitis, vel artuum, fuerint adjuncti, cum pilorum caſu, tutum erit redire ad primas purgationes.

§. 6. Quòd ſi in uſu hujus decoctionis venter non bene fluat, (quòd tantum contingit iis, qui parciſſimè potant in paſtu, quod utile non eſt: nam præſtat paulo, imo etiam multo, plus conſueto potare: purgat autem hoc decoctum per univerſas corporis partes, per alvum videlicet, ſudores, & urinam) ſi alvus, inquam, non libere dejiciat, ſumet alternis diebus *pilularum unam cochiam doſis* ℈ j. ea hora qua ſolutus fuerit ſudoribus, ſeu matutino, ſeu veſpertino fuerit tempore: quod ſi hæc levius, vel nihil moveat, ſumat binas. Veruntamen, ſi potet liberalius ex ſecundo decocto, quod conducet, alvus ſatis fiet lubrica, imo quandoque multum: ubi licebit per cœnam unam, vel etiam per totum diem, hoc potu omiſſo, vinum optime limphatum potare, & parcius, ſi patientis (intellige) vires labaſcant: at ubi hæ conſtant, formidandum non eſt, etiam ſi quater vel ſexies alvus dejiciat. Si item alvus abunde excernat, balneis eo die non eſt utendum, quieſcat igitur venter prius, omiſſo (ut diximus) decocto per diem unum, vel parcius potet. *Larga potatio decocti, alvum reddit fluidam.*

§. 7. *Victus* tenuis mediocriter præcipiatur, nimirum, ut ſemel tantum in die, carnibus temperatè utatur, *aviculis* videlicet, vel *pullis*: *Victus.*

altero paſtu *paſſulis*, vel *amygdalis*, parcè etiam, puta ℥ iv. panis, & tantundem paſſularum, vel paulo plus, ſi homo fuerit multi cibi. At ubi alvus fluit abundantius, liberalius eſt etiam exhibendum de cibo: hæc omnia tamen prudens Medicus moderabit, ut uſus perſuadebit.

§. 8. Sed quum hic morbus fœdum hominem faciat, cæteriſque hic ludibrio habeatur, nec omnibus, vel ob negotia publica, vel privata, vel propter egeſtatem, vel aliam quamvis cauſam, inire hoc regiminis genus concedatur: operæ propterea atque labore dignum erit, ut exponamus, quomodo iis ſaltem perfunctoriè, ut ita dicam, occurrere liceat, donec melior illis oblata fuerit curationis opportunitas.

*Si patiens non poſſit integra cura attendere, conveniens ſequentia, videl.*

*Sanguinis emiſſio,*

*Secanda* igitur *vena* ſuperior in cubito eſt, è parte magis glabra; ex altero etiam brachio ſtatim, ſi vitiatum admodum ſanguinem offenderis; corpuſque, ſequenti die,

*Purgatio,*

*purgandum pilulis cochiis* ad ʒ ij. ex quibus fiant pilulæ ſex, in aurora devorandæ: quod ſi patiens exiguarum ſit virium, ſat erit ʒ i ß. Poſtea, ex infraſcripta hac maſſa pilularum, devoret ℈ j. alternis diebus, vel tertio quoque die, unius menſis ſpatio ad minimum: nec erit inutile, ſi ultra producat: ſumat autem has matutino tempore, nec deſiſtat à conſuetis muniis.

*Pilulæ uſuales.*

*Recipe pilularum cochiarum recenter confectarum* ʒ vj. *aloës electa ex veſica* ʒ ij. cum *oxymellite ſcyllitico*, fiat *maſſa*, ad uſum dictum. A ſecta vena, per horam puta, vel ſub veſperum,

ſperum, fovebis, lavabiſque caput, aqua calida, in qua *porri* fuerint cocti & *roſa ſicca*: hac lotione uteris dierum quatuor ſequentium ſpatio, ſemel in die, videlicet manè vel ſero, ante paſtum per horam. Sequentibus diebus, demptis porris, adjicies *frondes*, *ramos* vel *cortices ulmi*, una cum *roſis*: ex hoc bis terve in hebdomade, caput lavabis, ſpongiaque in hac madida fovebis, & balneo etiam univerſo quandoque uteris; hoc modo pilorum caſum prohibebis inceptum, pleroſque ad integram ſanitatem reſtituens. Tutum erit pilulis præſcriptis uti ad multos menſes, verum non tam frequenter, ſed primo menſe exacto, ſat fuerit quarto vel quinto quoque die ℈ j. ſumere, unicoque tantum lavacro, ſingulis octo diebus, caput lavare vel fovere, nec multis frictionibus illud exercere: Sed ſive laves, ſive ſicces, parcius atque levius ſuffricabis, nec exſiccabis multum, ſed medio quodam modo, linteis item minimè aſperis. *Victus* ſit parcior conſueto, acriumque ciborum immunis, ut capparum, alliorum, aromatumque & ſimilium.

*Lavacrum.*

*Caput non diutius fricandum vel ſiccandum.*

*Victus.*

---

## C A P. XII.

### *Scabiei, & aliorum cutis affectuum curandorum forma.*

IMpetigo, ſcabieſque, nonnunquam, in hac lue affectis, apparere ſolent, verum potius

*In ſcabie convenit*

tius in deſidioſis pigriſque hominibus: pigris inquam, & ad curationem, & ad corporeas exercitationes, ſic, ut, nullarum rerum ſoliciti, cutem unguibus ſcabentes, omnes vigilias conſumunt, unde, quum jam malum contraxerit cutis habitum, non facilè curatur.

*Vena ſectio.* §. 2. Iis, & à brachiis, & à cruribus utriſque, ſanguis eſt detrahendus venæ ſectione, uno ſcilicet die ex communi utriuſque brachii, ab utroque crure altero, ex ſaphena videlicet, ſi interna pars magis afficiatur, ex (h) ſciatica verò, ſi externa; &, ſi hæc occulta ſit, aperiatur ſaphena: mox corpus hoc pharmaco

*Purgatio,* purgetur. *Recipe fumiterræ, hypericonis, foliorum ebuli, mercurialis ana m.* ij. *polypodii* ℥ ij. fiat decoctio ad ℔ ij. in qua *colatura* inde *foliorum ſenæ* ℥ ij. *epithymi, thymi ana* ℥ j. *cinnamomi* ʒ iij. *aniſi* ʒ ij. macerentur per noctem; mane percolatis & expreſſis, ſervetur decoctio in vaſe vitreo, de qua *Recipe* ℥ iv. *ſyrupi de fumoterra compoſiti* ℥ j. *oxymellitis ſcyllitici* ℥ i ß. *confectionis hameck* ʒ iij. miſce, fiat potio, capiat die poſt ſectas venas: ſequentibus diebus, capiat ex reliquo infuſo, ſingulo mane ℥ v. addendo *oxymellitis ſcyllitici, ſyrupi de fumoterra compoſiti aña* ℥ j.

*Balneum.* §. 3. Circa veſperas, alternis diebus, *balneum* ex aqua dulci ingrediatur, immoreturque dimidiam horam. *Cucurbitulaque* ſectæ ap-

*Cucurbitula,*

plicen-

(h) Venam intelligit Iſchiaticam pedis: vide Veſalii *Tabulam cap.* xx. *fig.* 4. *lib.* III. & ejus ſecandæ rationem apud Petrum Magnum Placentinum *c.* 18. *de Phlebot.*

(i)

plicentur, ſemel aut bis, in varias corporis partes, quas magis affectus infeſtat. Ab uſu ſyruporum eodem utatur *decocto*, quod capite precedente deſcripſimus, vini dimidiam portionem auferens, totum autem non conſulo: nam & *vinum* vires robuſtiores ſervat, facileque per exiliores permeat venas. *Decoctum*,

§. 4. Quod ſi pruritus admodum moleſtus ſit, nec corrigatur balneis (quod raro contingit) venæ ſectio eſt reiteranda, & cucurbitulæ cum decenti ſcarificatione, vel *ſanguiſugæ*, partibus magis affectis, applicandæ, & *decoctum ſarſa pariglia* uſurpandum: dicetur enim de hoc inferius. Ab iis *ſulphur vivum cum butyro recenti* miſce, & unge; verum non univerſum corpus ſimul, ſed uno die partem unam, alio alteram, altero ſcilicet dexteram totam, altero ſiniſtram. Quod ſi huic unguento non cedat, repone unguentum in pila plumbea, & ſuperpone *aqua roſarum* ℥iij. in qua bullierit *ſublimati* ʒj. quæ per colum tranſfuſa, piſtillo diutius omnia commoveas, mox aqua optime expreſſa, unguento uteris, verum tenuiter, & non univerſum corpus, ut diximus, una hora: imò ſatius erit, matutino tempore, crus unum inungere, veſperi alterum, vel brachium quale vis; ſequenti die cæteram partem ſic illinire. Hæc autem linimenta, hoc more adhibita, tantum abeſt, ut intrinſecus humores occludant (ut quidam opinantur) ut potius diſſolvant brevi, quod cutem moleſtat, unde mox hæc quieſcens, robuſtior fit: Cogimur autẽ ad hæc confugere, quum jam in malum habitum cutis devenerit. *Unguentũ*, *Ex ſublimato an noxa ſit timenda?*

§. 5.

*Pauperum cura.* §. 5. Quod ſi paupertas vetat, quo hanc diætam patiens nequeat efficere, venas ſecet, balneetur, & alternis diebus capiat *pilularum de fumoterra* ℈ j. vel ʒ ß. die ſequenti à venarum ſectione, devoret ex eiſdem pilulis ʒ ij. vel, ſi imbecillis ſit, ʒ i ß. affectam cutem illinat medicamento præſcripto, & imperato modo.
*Victus.* *Victus* omnibus ſit moderatè tenuis, neque admodum attenuans: edant *carnes vitulinas, pullos gallinaceos, aviculas*, ſed mediocriter, parcè: elixas aſſis hîc præfero; *potus* ſit aqua, vel vinum album, triplo aquæ perfuſum; ſed etiam potionem, ex ligno indo ſupraſcriptam, admodum commendo, ex aqua ſolum, vel addita vini quarta parte, paratam, vel, hujus loco, *ſarſa pariglia decoctionem*.

## CAP. XIII.

### *Muſculoſarum partium affectus curatio.*

UBi ſanguis paulo craſſior exiſtit, non æque per cutem dejicitur quod in illo vitiatum eſt: itaque per partes paulo profundiores vagans, muſculos, tum eorum involucra, gravat, tendit, & poſtremo rodit.

§. 2. Hoc autem genus moleſtiæ, perinde atque pilorum defluvium, vel alia ſymptomata, vix ante tertium, vel quartum menſem, ab infixa lue, apparere ſolet: quo tempore ſanguinem ferè univerſum, qui in partes carnoſas recipitur, quicquam ex hoc vitio prælibaſſe neceſ-

neceſſum eſt. Secanda propterea eſt primo vena, affectæ parti maxime proxima, mox alia alterius membri dolentis, ſive crus ſive brachium fuerit; inde pars *aqua vitæ* fovenda eſt bis in die, panniſque calidis munienda, atque etiam lana ſuccida: juvat hos inſuper mirum in modum *aqua ſingularis Joan. de Vigo*, quam infra notabimus, ſi pars dolens calidè illinatur. *Venæſectio.* *Fotus.* *Cap. ult. hujus Tract.*

§. 3. Verùm hæc juvarent parum, niſi alio, humor fluens, diverteretur: Sol etenim quomodo agrum reddet aridum, quem abundè rivulus perpetuo rigat? per alvum igitur *purgandum* crebro eſt corpus hoc, quo pituita, etiam bilis, atque etiam ſerum, quæ per venas in univerſum corpus ferri ſolent, affectam partem non ſolicitent, uſque dum illa humore noxio fuerit penitus abſoluta, in propriumque ſtatum reſtituta. Purgantia medicamenta talia conferre poſſunt, *Recipe, agarici optimi non trociſcati* ℥ j. *aloës electæ* ʒ ß. *diaphœniconis* ʒ iij. miſce: fiat *bolus*, capiat *cum involucro*, & *julepo roſato*, ne amaritudo ſtomachum ſubvertat: licet hos juvet quam maximè vomitus, ut infra dicemus. Quod ſi bolum averſetur, potionis cupientior, *Recipe, foliorum ſenæ* ℥ ß. *turbit electi* ʒ i ß. *cinnamomi* ʒ j. *aquæ cichorii* ℥ iv. macerentur per noctem, mane expreſſis adde, *oxymellitis ſimplicis* ℥ iij: miſce, fiat potio, quam capiat die ſequenti à ſectis venis. *Purgatio* *Forma boli.* *Forma potionis.*

§. 4. Diebus reliquis, utatur hoc decocto infraſcripto. *Recipe, origani, hyſſopi, hyperici, pulegii, cichorii, endiviæ ana m. j. polypodii quercini* ℥ ij. *Apozema laxativum.*

*ſeminis*

*ſeminis carthami* ℥ i ß. fiat decoctio ad ℔ ij. circa finem coctionis adde, *turbit electi tuſi* ℥ ß. & iterum parum ferveant, & mox ab igne ſemotis, adde illico *cinnamomi* ʒ ij. *carvi* ℥ ß. *ſeminis fœniculi* ʒ ij. contundantur craſſo modo; & macerentur horis quatuor, inde colentur, de qua capiat omni manè, ſub diluculum, ℥ v. cum ℥ ij. *oxymellitis ſimplicis*. Decoctione hac abſoluta, reſumat iterum primam purgationem, & per dies viginti ſudoribus ſubjiciatur, infraſcripta potando. *Recipe ligni indi* ℥ v. *ſeminis petroſelini* ℥ j. *vini optimi albi* ℔ iij infunde per duos dies. Item, *Recipe ligni indi* ℥ v. *aquæ fontanæ* ℔ x. bulliant ad medietatem, & continuo ab igne remotis, immiſce infuſionem, ex vino factam; reſideant, colentur, & liquor in vaſe vitreo, vel fictili picato, reſervetur: magma vero, iterum in olla reponatur, cui ſuperadde, aquæ ℔ xij. bulliant ad tertiæ partis conſumptionem, ſtatim immiſce *vini optimi albi* ℔ v. in quo fuerint maceratæ *ligni indi* ℥ iv. per horas vigintiquatuor facta decenti reſidentia, colentur pro potu, ad libitum. Ex primo potet albente cœlo, vel tempeſtivius, ſi lubeat, ℥ viij. veſpere autem, ℥ vij. calidè, & ſtratus, pulchreque tectus, ſudare curet.

*Diaphoretica potatio.*

*Chirurgica præſidia.*

§. 5. Si patiens calidiore ſit temperie, *ſarſam parigliam* præfer: ſi dolores non mitigentur, *ſanguiſuga*, *ventoſa*, & etiam venæ ſectio, partibus affectis eſt repetenda; vel *veſicatorium*, vel *cauſticum*, infigendum.

§. 6. Si interea alvus non libere dejiciat, *pilula* ſemidrachmalis ſumenda eſt ex *agarico*, *aloë*,

&

*& turbit.* æquis portionibus; alternis diebus, mane vel ſero, per horam ante cibum: quod ſi liberius, quam vires ferant, ſoluta fuerit. (ut quandoque accidit) uno die potio hæc menſalis erit intermittenda, vinumque ſimplex, optimè lymphatum, potandum: nam hæc omnia prudens artifex, pro ratione ſubjectorum, moderabit; nulla autem regula, in curandis morbis, firma, in omnibus patientibus, deſcribi vera poteſt. Quod ſi interea, dum altera harum utitur potione, alvus ſponte, ac pro cibi ratione, ſolvatur, ſat erit, ſi ſingulis ſex diebus, corpus purgetur, ſupraſcripto pharmaco. *Victus* ſit attenuans & tenuis, iis autem *piper & aromata* alia, temperate epulis immixta, juvant: nec obſunt, quæ *muria* aut *aceto* parantur, ſi inter epulas concedantur: attenuant autem, detergunt, & ventriculo, hæc cupienti, jucunda ſunt, qui reliquum cibi in melius tranſmutat. *Victus.*

---

## CAP. XIV.

### *Articulis, ſeu etiam oſſibus, hac morbo ſolicitatis, quomodo occurrendum.*

DIros etiam dolores, ac in necem agentes, patiuntur ii, quibus articuli, vel oſſa, hac ſorde premuntur; membranas enim quibus hæc veſtiuntur, & cæteras partes, lancinant, poſtremo & oſſa ipſa: quare, quantò affectus altius pervaſerit, tanto curatu gravior eſt,

*Quare articuli diutius acriusque doloribus torqueantur?*

eſt, præcipuè, ſi articulos diu admodum divexare frequentaverit: nam partes hæ ſua natura cæteris frigidiores, ægrè, quod noxium recipiunt, repellere, vel concoquere, poſſunt. Aggredienda eſt igitur etiam curatio hæc, ab humoris peccantis, exuperantiſque, evacuatione, venæ, videlicet, ſectione, propinquius affectæ parti ſedentis: quod ſi plures, in eodem corpore, ſic torqueantur articuli, vel partes, ab harum plurimis, & maximè tortis, eximere primum humorem æquum eſt. nam ibi perpetuo, quod corruptius eſt, colligitur, vel etiam, ſi benignum adcurrerit, temporis ſpatio vitiatur.

*Quomodo à parte affecta tumor educendus,*

§. 2. Si igitur humerus, cubitus, manuſve, vel iſchion, genua, vel pedes, doloribus acrioribus excrutientur, ex cubito, manu, poplite, vel pede, affectæ parti proximioribus, vel à propria affecta parte, ſi vena haberi poteſt, ſanguinem haurire ne differas. Subinde corpus per inferiora purgato, hoc pharmaco, *Recipe, agarici optimi* ℥ j. *turbit electi* ℥ ß. *pulveris foliorum ſenæ* ℥ iij. *zingiberis* ℈ ß. *cinnamomi* ℥ ß. *aquæ meliſſæ* vel *abſynthii* ℥ iv. macerentur horis duodecim, mox optimè expreſſis, colaturæ adde *oxymellitis compoſiti* ℥ iij. vel *oxymellitis ſcyllitici* ℥ ij. miſce, potet hora matutina, die ſequenti à ſanguinis detractione: Nitatur patiens hanc non evomere per horam, ſi fieri poteſt: hora una elapſa, ſi nauſea premat, regerat liberius; nam pituitas multas, quibus ſimilium patientium viſcera ſunt referta, una evomet; ſic duplex, ex hoc medicamento ſequetur commodum,

*Venæſectione,*

*Purgatione,*

*Spontaneus vomitus, hora una poſt ſumptum pharmacum, quare non cohibendus,*

modum, utrunque ad rem conferens, nimirum, quod in inferioribus inteſtinis erat collectum, per alvum deturbabit, & , quod ventriculo inhærebat, per os rejiciet: ſi vero repente rejecerit, paululum quieſcere concedatur, mox ſtatim potet decoctum ℥ vj. *foliorum ſenæ* cum ℥ iij. *oxymellitis ſimplicis* vel ℥ ij. *oxymellitis ſcillitici*.

§. 3. Sequentibus diebus utatur infraſcripto apozemate. *Recipe pulegii, origani, ſerpilli, juæ arthritica ana m.* j. *menthæ, meliſſæ, abſynthii, an. m.* ß. *polypodii quercini* ℥ i ß. Fiat decoctio ad ℔ ij. abſoluta ferme decoctione, adde *turbit electi* ℥ ß. *ariſtolochiæ rotundæ* ʒ iij. & leviter, parvoque tempore, ſubferveant, deinde ab igne remotis, adde *foliorum ſenæ* ℥ j. *ſeminis aniſorum, carvi, cinnamomi ana* ʒ ij. macerentur per horas decem, mox colatis, & expreſſis leviter, colatura ſervetur in vitreo, vel picato vaſe, qua utatur per dies octo vel decem, ſi vires ferant, illam denuo reficiendo cum prima fuerit abſumpta; ex qua capiat, ſingulo mane ℥ v. cum ℥ ij. *oxymellitis compoſiti* vel ℥ i ß. *oxymellitis ſcillitici*. *Apozema.*

§. 4. Interea dolentes partes, *aqua vitæ* exquiſita *laventur*, & eadem foveantur ſemel, vel etiam bis in die, uſque dum dolores inſtant, lanaque ſuccida abundanti, panno inſuta, circumducantur. Quod ſi ex iis, quovis modo, levari dolor videatur, ſæpius luce noctuque lana optimè calefacienda, & reponenda: nam hæc frequens repetitio hos dolores plerunque mulcet, unde robur partes ſu- *Lotio fotuſque.*

 ſcipiunt.

ſcipiunt, requieſcentibus ſic quandoque viribus. Quod ſi nec iis remittantur, *cataplaſmata* ſunt tentanda, ut talia, *Recipe*, *farinæ fœnigraci*, *de ſemine lini & lolii*, *ana* ℔ j. *ſeminis raphani & erucæ ana* ℥ iij. *furfuris m.* j. coquantur in vino optimo dulci, circa finem coctionis adde *aceti optimi* ℥ vj. & iterum, igni expoſitum, coquatur, quantum liceat, quo minus coinquinet, & calidè, loco dolenti applicetur. At animadvertendum eſt, ne ſuper membro refrigeſcat, nam dolores recrudeſcent: quare frequentius membrum pannis calidis eſt muniendum, cataplaſmate non remoto, niſi bis terve in die: quod ſi huic *ſtercus columbinum*, non omnino recens, addere velis, non erit extra rem. Verum raro ad hæc devenire cogeris, ſi temperatus ſit æger, ſupraque deſcripta præſidia arte uſurpentur. Contingit tamen aliquando, ut patientes, impoſtorum ambagibus freti, ad hunc ducantur terminum, quos certè erigere, non niſi ſummo negotio, atque labore, poſſunt, qui artem callent; aliquando etiam non poſſunt:

*Cataplaſma*

*Cautio in adhibendo Cataplaſmate.*

§. 5. Replentur interdum juncturæ, genua præcipuè, ichore quodam, pituitæ admixto, (quem manifeſtiſſimè inundare, tactu conſtat,) pertinaci, qui nullo auxilio cedit, nec hujus ullam evacuationem ſubitariam ferre poſſunt ægri. Imo, ſi vomicam præcidas, vel ferro ignito, vel alio ingenio, emiſſarium humori dederis, ſæviſſimi, diuturni, immedicabileſque geminantur dolores. Quare, ubi talia contingunt, præſtantius nullum hoc remedium

*Collectio humorum in juncturis quomodo tractanda.*

*Humores pertinaces è genu quomodo evacuandi.*

dium inveni, nimirum, laborare, *veſicatoriis*, vel *cauteriis ſuperficialibus* plurimis, parti inundanti appoſitis, quod intus contentum eſt, ſenſim evocare: nam perpetuò per hæc plura reſudant, quæ cutis integra intus cogit.

*Sudores & urina provocanda.*

§. 6. Sed redeamus ad incœpta: quum purgantium apozematum, ut præcepimus, numerum compleveris, per dies aliquot juſtum erit, & *ſudores* provocare, & *urinas* movere: cæterum pauca admodum in uſu habemus, quæ hæc præſtent æquè ac *lignum indum*, & maximè, cum, ſubſcripta vini albi portione addita, paratur. Hîc autem lignum in paulo majore doſi exigitur, cum humores tenaciores crudioreſque ſint, egentes etiam potiore auxilio. *Recipe*, *ligni indi* ℥ IV. *vini optimi albi* ℔ iij. tepefiant, & macerentur in picato vaſe, per horas XXIV. in alio vaſe terreo pone *ligni indi* ℥ x. *aquæ fontis* ℔ xij. macerentur horis xviij. mox, lentis prunis, ſine intermiſſione bulliant, ad duarum partium evaporationem, cui ſuperindes vinum una etiam cum ligno, & ab igne remota olla, per horas viij. reſideat, mox colo ſtillatum, ſervetur ad uſum: Magma iterum in olla reponatur pro *ſecunda decoctione*, cui adjunge *aquæ* ℔ xvj. & igni lento adhibita. quarta tantum pars evaporetur, immiſceanturque *vini optimi albi* ℔ viij. in quo fuerint maceratæ ℥ viij. *ligni recentis* per horas XXIV. ſubinde, poſtquam reſederint, tranſcolentur pro menſali potu, pro arbitrio. Ex primo, manè potabit ℥ x. calidè, & in veſpere ℥ IX. & continuo optimè tectus, ſudores provocet,

*Ligni decoctum potens.*

*Utendi modus.*

 quan-

quantum ſine multa moleſtia efficere poteſt: &, ſi interim alvus ſponte non copioſe ſolvatur, ſingulis ſex diebus ſumat ℨ ij. *pilularum cochiarum* vel ʒ i ß. & inter purgationes, ſi ſicca ſit alvus, devoret ex iiſdem *pilulam* unam ſcrupularem, alternis diebus, per horam ante paſtum, manè, vel ſerò, pro patientis nutu. Sed iis non erit opus, ſi ſatis liberè ex ſecundo decocto in menſa potet, vel etiam (ſi libeat) extra menſam: Fluxibiliores autem reddit humores mediocriter larga potio, unde ad evacuationem melius multo ſunt diſpoſiti, facileque tum à natura, tum à medicamento, expelluntur. Licebit hac uti dies xv. mox ad prima purgantia medicamenta, ſi dolores penitus non fuerint ſoluti, per dies vj. refugere: deinde iterum ad decoctum ex ligno regreſſum facere, quo uteris adhuc dies xv. vel xx. poſt omnes ſolutos dolores, quo reliquiæ latentes hac apprime abſumantur.

*Purgans ecoproticum.*

*Larga potio utilis.*

*Victus.*

§. 7. *Victus* interea iis, quam cæteris, attenuans magis parciorque eſt præcipiendus, exſiccantiorque: *bis coctum* igitur panem imperabis, ad ℥ iij. vel iv. cum tantundem *paſſularum* vel *amygdalarum*, pro patientis nutu: &, ubi vires non conſtent, aliquid *aſſarum carnium* concedere, nam perpetuo iis attendendum eſt. Verùm non ſemper ægris credendum, nec his eſt in omnibus mos gerendus: at ſagax medicus ex pulſu, vultu, voce, prægreſſis, & mox apparentibus, de viribus judicans, non facile ab effœminatorum patientium fictionibus illuditur, nec prænimium,

extre-

extremæ diætæ cupidos, contabeſcere patitur: quare prudentem medicum præeſſe perpetuo conſulo, qui ſingula, pro rei ſucceſſu, regat diſponatque.

---

## CAP. XV.

### *Tubercula, ſeu gummata appellata, quomodo diſperdantur.*

SI juxta, vel ſupra os, tubercula apparere incepterent, nil æque iis auxilio eſt, atque protinus eam partem *veſicare*.

§. 2. *Fermentum* igitur linteo extende, quantum tuber integrè tegi poſſit, & penna in *aceto* madida, fermentum ipſum irrora, mox tenuiſſimo *pulvere ex cantharidibus* reſperge, & appone: vittaque leviuſculè premas. Una, aut altera hora poſt, vel, ſi vis, tertia, amove, & acu unica, vel repetita punctura, in parte decliviori, veſicam perfode, quo manu, vel digitis, preſſa aqua, ſtillatim effluat. *Tegitur* interea *folio caulium viridium*, vel *vitis*, vel etiam *beta*, quod frequenter innovandum eſt, ne ſiccum fiat: *reſpergitur* etiam *recentiore butyro*, hacque arte, bis terve in die, quum tumidam videris, inanire ac tractare poteris. At hæc demum areſcet, bidui puta vel tridui, quandoque octidui, ſpatio, quæ denuo, præſcripto modo, refricari poterit. Idem præſtat, & quidem melius, *interior cortex* *Veſicatorium ad gummata.*

 (i) *atra-*

(i) *atragena*, Clematis alteræ à Mathiolo dictæ, quam vulgus *vitem albam* appellat, eo quod, inſtar vitis, inſurgat, arboribuſque innixta ſcandat: at non eſt quam bryoniam dicimus, ſed frutex ſarmentitius, lignoſus, albo ac rimoſo cortice, flore interne muſcoſo, albo, odore non ingrato, qui tandem veluti in tenuiſſima leviſſimaque capillamenta fatiſcit: Hæc autem planta frequentiſſima eſt in Gallia, Italiaque, in ſepibus ac nemoribus naſcens. Idem præſtant & varia alia ſimplicia, & cauſtica ante parata, parciuſque appoſita.

§. 3. Verùm ſi tuber pervicacius, huic remedio non cedat, præcipue ubi id jam dudum inſederit, altius paulò urere fas eſt, *candenti ferro* ſtrenuis, *cauſtico* vero meticuloſis, cujus formas varias undique ad uſum ſuggeres. Parabis autem id *ex ſolis cineribus* acrioribus aqua coctis, vel *calce*, vel ambobus mixtis, horum alteri, vel utrique *calcanto*, vel *ſandaracha*, vel utroque addito. Tuberculo igitur, ubi parvum eſt, in editiore loco, cauſticum appone, vel, ignito ferro, altiuſcule ure, quantum videlicet lentem, vel majorem orobum, recipere poſſit; nam dempta cruſta latior locus fit: cui poſt quartum, vel ſextum diem, etiam ſi cruſta deciſa non ſit, cicerem vel majorem orobum infige. Quòd ſi tumor major, vel diffuſus, appareat, ut exiguum hoc emiſſarium ſufficere non videatur, alia in varias illius partes efficere

*Cauſticum & cauterium.*

*Quomodo adhibendū.*

(i) Vide de hac planta Dodonæum *l.* 13. *c.* 15. & Belgicas ad illum additiones.

(k) Gum-

cere poteris, vel unum oblongum, perinde atque tuberis forma dictabit. ſat enim eſt totam cutem pervadere, ſive cauſtico, ſive ferro negotium præſtiteris, quo humor ille infixus, qui os carie poſtremo obduxiſſet, ſenſim in pus converſus, iſthinc emanet, cui vel *folia caulium*, vel *vitium*, vel *hedera*, vel *diachylonem majorem*, vel emplaſtrum aliud quodvis, coquente ac diſſolvente vi præditum, ſuperpones.

§. 4. Errant quippe graviter, qui ceratis linimentis, vel aliis diſſolventibus præſidiis, his occurrere nituntur, quamvis interdum hæc juvent; verum etiam plerunque patientem atque medicum illudunt, præ humoris craſſitie ac pertinacia, quæ his medicamentis vinci nequeunt: unde, dum hac inutili ſpe ducimur, propagatur putor, oſſibuſque inſeritur, quæ tandem corradere fas eſt, quod officium ars præſtare nequit ſine ſumma difficultate, labore, patientiſque dolore, nec etiam aliquando ſine vitæ diſcrimine, maximè ſi cranio, vel articulis, vitium inſideat: adde etiam, quod crebro fruſtratur artifices hæc oſſium corraſio. Quod ſi naturæ committas, multos ſæpe annuos circuitus, in jugi hac miſeria, infœlices patientes tranſcurrunt, denique hujus injuria obeunt.

*Errores multorum.*

*Oſſiu vitium raro ſolo natura munere ſanatur.*

§. 5. Idcirco præſtantius erit, ad tutiſſimum atque propoſitum aſylum confugere, unde neque dolor gravis, nec moleſtia, nec vitæ periculum ullum imminet, tam diu recluſis emiſſariis ſervatis, quamdiu tumoris aliquod

*Quamdiu emiſſaria aperta ſervanda.* veſtigium hæret, & ultra etiam per aliquod temporis ſpatium, quo univerſus ille putor penitus ſit conſumptus: nam differre hæc ulcera cicatrice obducere, malum non eſt, præproperè enim claudere, noxiũ eſſe poteſt, eo quod, ſi reſidui quicquam occluſeris, affectum renovabis.

*Si ſinus jam ſuper eſſe inſideat, quo modo is aperiendus?* §. 6. Si vero occurrerit æger jam formata vomica, tunc novacula, vel cutellari ferro candenti, os retege, lineis duabus ductis ad decuſſis formam; (ſi locus concedat) quo cariem totam patentem reddas; Talem ſectionem feret caput, & anterior tibiæ pars, & os ſcapulæ, quod ſemel vidiſſe contigit; plerunque vero in capite, etiam & in anteriore tibiæ parte. Circa articulos omnino ſuſpecta eſt: unica igitur ſectione, in longum ducta, ſufficiet, ubi ea juvamento eſſe poſſe viſa fuerit.

*Admonitio.* §. 7. Articulorum oſſa radere cave prorſus: hæc nanque plerunque latebroſas corruptelas in ſe continent, quas penitus inveſtigare lethale eſt; eas etiam intactas relinquere à prima ſectione, cum nihil profeceris, dedecori adſcribitur, tanquam affectum non noveris, & ab re patientem torſeris. Tantum igitur his in locis vomica aperienda, ut pus contentum exeat; non, ut oſſa radas: non enim hoc inſtitutum repugnat antecedenti, dum diximus, ſinus genuum non eſſe aperiendos, eo quod illos à frigido humore, & citra oſſis cariem, factos eſſe cenſeamus; hos vero ſecus, quia, quanto plus in his differtur apertura, tanto major fit caries, in illis vero non item. ſed ſequamur incepta. In capite vero, anterioreque

cruris

cruris parte, ſæpe commode perficitur, in oſſe vero ſcapulæ (quod raro contingit) tantum tentare licet in macro corpore.

*Quid facta Tumoris diviſione faciendum.*

§. 8. Sectione igitur facta, *penicillos*, ex conceptis linteis ſolide conſtructos, in *ovi albo* cum *aloës* tantillo, & abundanti *bolo armena* infuſos, calide in apertam vomicam, ordine abundeque, immitte, quo belle everſa hiantiaque ora poſtero die comperias: quo tempore carioſum os, cycliſcis raſoriis, ad ſanum uſque corrades, vel candenti ferro ures. At (k) cranium urere forte ſuſpectum erit? Nondum ſanè id uſu tentare ſum auſus, ſed ſemper raſorio complanavi, vel aliis hoc more radere conſului, vel trepano, ſi ad intimum cranei pervaderet vitium, auferre conſului: ut mea ſuaſione, nuper, per quam egregie feliciſſimeque, chirurgus illuſtriſſimi comitis Briſſiaci, Lutius Montanus, præſtitit in patiente quinquagenario, cui cranium in bregmate foraminulentum erat. Sic, inquam, vel raſoriis cycliſcis, vel modiolo, vel vecti, vel aptiore aliquo inſtrumento, è re nata excogitato, tollere, quod corruptum eſt, laboro, abſtinens ab ignitis hac in parte, ne membranis cerebri quicquam incommodi communicetur.

*An cranium inurere conveniat?*

§. 9. Interim in vulnus hoc medicamentum imponere confert; *Recipe ſucci roſ. plantag. & verbaſci ana* ℥ j. *ſucci chelidonii & iridis ana* ℥ ß. *terebin-*

*Abſterſivum.*

(k) Gummatum è Lue Venerea curationem, cum oſſis carie luculenter proponit Fallopius *Tract. de morbo Gall. cap. 96.* ubi laudat, inter alia, *Euphorbium*, cujus hodiè frequens uſus eſt, ut & *olei vitrioli.*

*terebintina Veneta*, *mellis roſ. ana* ℥ i ß omnia in lanee ænea recipiantur, &, igni expoſita, diſſolvantur, miſceanturque, cui mox adjicies *farina orobi* ʒ iij. & ferveant parum, rudicula ſemper agitando: quæ, cum omnia ſimul belle compoſita noveris, ab igne dimoveas, & fervore remiſſo, adde *ariſtolochia rotunda*, *radicis iridis*, *myrrha ana* ʒ j. *aloës* ℥ i ß. ſemper rudicula commiſcebis, uſque dum calor integre ſit reſolutus: tundenda vero, in tenuiſſimum veluti pollinem reducantur. Hoc medicamento *pulvillos* aſperges, quoad ab oſſis ſubſtantia inſurgere carnem novam videas: nam hæc, dum extubeat, quod de oſſe reliquum eſt expellendum, paulatim ex ſano ſeparat, & tanquam inutile ſpolium vel reſegmen rejicere intendit: quod ſubinde commotum, exercitatus artifex, ſine noxa, forcipibus refigere curat.

*Oſſis deſquammatio.*

*Labiorum adductio.*

§. 10. Aſt ubi vitiatum omne detruſum fuerit, & jamjam per cunctas oſſis partes inſurgere carnem cernis, ora vulneris everſa in propriam ſedem componere fas eſt, & tanquam ſimplex vulnus, in quo forte aliquid carnis deeſt, tractare.

§. 11. Cæterum hos non minus evacuationibus, abſtinentiæque ſubjicere par eſt, & priuſquam opus obeas, & per totum fere morbi curriculum, quam eos, quos capite præcedente curandos propoſuimus, quamobrem illuc te tranferas licet. Excipe, quod hos fortè non æque juvabunt exquiſite attenuantia, neque etiam quæ viſcido craſſoque ſunt ſucco, ſed quæ media ſunt facultate.

CAP.

## CAP. XVI.

### *De affectibus capitis.*

PORrò, etſi temporis progreſſu, nullam fortè humani corporis partem hæc ſordes excipiat, caput tamen, præ cæteris principibus, expugnare conatur, perennibus, aſſiduis, atque lethiferis doloribus, mox tumoribus & ulceribus, illud exagitans. Quam ob rem, cum hæc totius humani corporis præcipua pars ſit, quod in ea integra mens ſedeat, ſi temperatè habeat; quumque hanc tantum ex præcipuis perpetuo, primo ac maximè, exerceat affectus hic; dignum ob id nos operæprecium facturos exiſtimamus, ſi ſeorſum de ejus ſymptomatum curatione expoſuerimus.

§. 2. Affligitur enim hæc pars, ea ratione atque cæteræ, nimirum, humorum vitio copiave, vel iis ambobus ſimul congeſtis: quæ eo etiam vehementius exagitatur, quod ſenſuum omnium quum ſit origo, etiam membranis & nervis eſt referta obductaque, unde ex quavis intemperie graves affectus patitur. Adde, quod etiam præ vaſorum multitudine amplitudineque, facilius ad eam humores fluant. Hæc etiam, quum ſit univerſi corporis ſummitas, cranio ſolido obducta, facile, eò fuliginoſos vapores repentes recipit, retinet, ægreque diſſolvit; hinc partium earum omnium gravitas, tenſio, æſtus, dolor, roſio.

*Quomodo caput afficiatur.*

*Vid. Gal. 9. de uſ. part. c. 1. & Hoffmanni Comment.*

§. 3. At conandum eſt omni ingenio atque opere, ut extrema hæc devitentur: quod ſanè

non

non multo negotio fiet, ſi, nacta occaſione, eam arripere non negligamus, eamque ſemper præ oculis habeamus, tanquam omnium operum noſtrorum fidam aſſiduamque manuductricem, ſcientes hanc, temporis inſtar,

*1. Aph. 1.* fluxilem eſſe, variiſque horis faciem mutare, quæ quanto liberalius acceſſum ad ſe præbet, tanto difficilius hanc artifex aſſequitur, ſi ob ſui ipſius negligentiam, vel patientis mollitiem intemperantiamve, vel aliam ob cauſam, hanc eandem vel paulum poſthabuerit: hanc igitur potiſſimum conſulere juſtum eſt. Aſt principiis obſiſtendum indicat, eo quod tunc

*Ovidius 1. de remed. amoris.* viribus modicis omnia arceantur, vel ſupprimantur: ſecus vero, ubi hæc per longas moras invaluerunt.

§. 4. Quum igitur ab exiguis profectæ initiis, miſeratione dignos, ac plerunque (ſi parum ſtudioſe animum advertamus) immedicabiles

*Affectibus capitis quomodo occurrendum.* affectus faciant fluxiones ad caput repentes, iis hercle, antequam radices firment, præſidiis æquis nos fieri obvios juſtum eſt, ut *ſectione venæ cephalicæ ex brachio* recta ad partem dolentem, demendo de ſanguine pro ratione habitus, ſanguinis vitio, & temporis ſtatu: mox *purgantibus medicamentis*, & *diureticis* ea, quæ in medio continentur, exercenda ſunt, & unico contextu dolor demulcendus eſt.

*Purgans medicamentum forma boli,* Purgantia medicamenta talia ſunto: *Recipe diaphœnici* ℥ iij. *agarici optimi* ʒ ß. *rheub. electi* ℈ ij. cum *ſacchare* & *pulvere de ſtœcade*, fiat *bolus*, devorandus hora opportuna, cum *involucro, julepo roſato* reſperſo, quo amaritudo non perci-

percipiatur, nec vomitus irritetur. Quod ſi *potionem* patiens magis, quam bolos expetat, hanc præbeas infrapoſitam, vel aliam ejuſdem generis, ex arbitrio prudentis medici, qui patienti præſit. *Recipe ſtœcad. pug.* j. *betonicæ man.* ß. *foliorum ſenæ* ʒ iij. *coriandri*, *aniſi*, *ana* ʒ j. Fiat decoctio, pro una doſi: in *colatura* infunde *rheub. electi.* ʒ i ß. *cinnamomi* ℈ j. macerentur horis octo vel decem, expreſſuræ adde, *ſyrup. roſ. lax.* ℥ j. *diaphœnici* ʒ ij ß. diſſolve, & potet hora electa. *Forma potionis.*

§. 5. Ab hoc medicamento, tuto diureticis medicamentis ſe componet; exemplar vero tale ſit: *Recipe origani*, *betonicæ*, *ſerpylli*, *ceterach*, *& acetoſæ ana m.* j. *radicum eringii*, *fœniculi*, *petroſelini*, *polypodii*, *& acetoſæ ana* ℥ j. *graminis*, *liquiritiæ*, *paſſularum ana* ℥ ß. *ſeminis carvi*, *petroſelini*, *coriandri*, *ana* ʒ i ß. fiat decoctio ℔ ij. in qua diſſolve *ſyrupi de ſtœchade comp.* ℥iij. *Syrupi de capillis veneris* ℥ ij. capiat in quatuor doſibus, ſingulo mane unam: incipiat die poſtero, ab aſſumpto pharmaco: Quod ſi æſtas vigeat, loco ſyrupi de ſtœchade, ſume *oxyſaccharum*, vel *acetoſum ſimp.* utatur iis ad dies ſex vel octo. Calidè mox lodicibus tectus, *ſudores* avocet alternis diebus: poſt ſudores exſiccatos voret *pilulam* unam *cocciam* ponderis ℈ j. Poſtridie ab aſſumpto pharmaco, caput lavet *ex lixivio* parato *ſarmentitiis cineribus*, vel *ficulneis*, in quo *ſerpillum* fuerit incoctum; repetatque quarto quoque die: Nec ſit lotio longa, nec exſiccatio abundantior, quo plus non trahas quam diſſolvas, vel nimia cutis exſiccatione *Diureticum medicamentum.* *Sudor.* *Capitis lotio.*

tione plus conſtipes, quam ſit æquum. levis igitur ſit lotio, modeſtaque ſiccatio: molliore pileo, ex abundanti lana contexto, caput non cogente, tegatur. Abſolutis ergo ſerapiis, iterum pharmacum reſume, quod vel levius, vel potentius parare poteris; ſi par ſit, augendo vel detrahendo de *ſena*, *rheo* vel *diaphœnicone* pro arbitrio exercitati medici.

*Vena frontis ſectio.* §. 6. Quod ſi iis præſidiis dolor non cedat, *tundenda* eſt *vena*, quæ patentior fiet *in fronte*, ex parte dolente: vel, ſecetur media, ſi indifferenter utraque pars confligetur, ſanguinis ad ℥ vj. educendo, vel plus, ſi libere fluat: radendumque caput, & acida poſca ac calida

*Fotus capitis.* affatim offundendum, vel ſpongia in hac infuſa & preſſa fovendum, dimidiæ horæ intervallo, matutino videlicet tempore, & ſub veſperum ante cibum, vel aliis etiam horis, ſi

*Bolus.* dolor urgeat. A ſecta vena, eodem die, compone *agarici* ʒ j. *rhei* ʒ ß. *diaphœnici* ʒ iij, & in bolis diſpoſitum, voret; vel, in *cichorei ſtillatitio* diſſolutum, potet, vel *coccias pilulas* ſumat ad ʒ i ß. vel ad binas integras, ſi virtus ferat: & hoc ſtatim à ſecta vena, ſi dolor vehemens inſtet, vel horis tribus à prandio, vel die ſequenti, ſi dolor inducias præbeat: quanquam, ſi nihil vetet, eodem die melius eſt.

*Apozema propinandum à vena ſectione.* §. 7. Diebus ſequentibus hoc decocto utatur, *Recipe origani*, *betoniæ*, *ſerpilli*, *acetoſæ & endiviæ ana m.* j. *radicis lapatii acuti*, *eringii*, *bugloſſæ*, *ana* ʒ ß. *polypodii* ℥ i ß. *ſeminis cartami* ℥ j. bulliant in aquæ fontanæ ℔ iij. ad tertiæ

partis

partis diſſolutionem: ſub finem coctionis adde, *foliorum ſena* ℥ j. *carvi* ʒ iij. & tantillum ferveant, mox ab igne diductis, frigefactis, ac per colum liquore transfuſis, adjunges, *ſyrupi roſati laxativi* ℥ iv. *oxymellitis ſcillitici* ℥ ij. miſce, in vitreoque vaſe reconde, pro quatuor doſibus, quas capiat diebus continuis, ſingulo die unam: incipiat primo die poſt ſumptam pharmaciam, vel ſecundo, ſi liberrimè alvus, ob medicamentum, dejecerit: Utatur iis ſyrupis ad dies octo vel decem. Quod ſi vires collabi videantur ex horum aſſiduitate, tertios vel quartos dies interpone, medicamentoque omnis generis exemptos relinque, quo vires inſtaurentur. Interim *lavet* caput, ex ſupraſcripto *lixivio*, admixtis *agarico & ſena*, & eo præcipuè die, quem quieti dicaveris: quandoque etiam *perfundes* aqua, ex vino ſtillata aeriore, quam *aquam vitæ* dicunt, caputque calidius ſervetur, ſi conferre videris: Fortaſſe juvabit *pileus* conſtructus *ex pellibus luporum parvorum. Victus* mediocriter ſit parcus, attenuans; carnibus tamen veſcatur, quo vires purgationem longiorem majoremque ferant. *Aviculæ* igitur iis erunt ex uſu, vel *gallinacei pulli, capi, vitulina atque hœdina caro.* ſit *potus aqua cum ſacchare, & cinnamomo & confracto coriandro* agitata: quandoque, ſi vires exigant, *album vinum multa aqua* profuſum.

*Utendi hujus decoctionis modus.*

*Capitis lotio.*

*Pileus ex luporum pellibus.*

*Victus.*

§. 8. Diebus iis peractis, quos purgationibus inſtitui, *ligni indi decocto*, uti hoc more licebit: *Recipe partis internæ ligni indi* ℥ viij. *corticis ejuſdem* ℥ iij. *aquæ fontis* ℔ xvj. macerentur horis

*Ligni indi decoctio, ejuſque utendi ratio.*

horis xij. deinde bulliant ad duarum partium evaporationem: ſub finem integræ coctionis, adde, *ſacchari optimi* ℥ iv. coctione abſoluta, ab igneque remota olla, adde, *cinnamomi* ℥ ß. omnibus reſiſis ac refrigeratis, colentur, de qua capiat ſingulo mane ℥ x. ſub veſperum ℥ viij. calidè mox pannis obtectus, ſudores invitet non graviter: *magmate* in olla repoſito, una cum ℥ ij. *ligni recentis*, ſuperinfunde *aqua fontana* ℔ xviij. bulliant ad conſumptionem quartæ partis, ſub finem injice *ſacchari optimi* ℥ x. *cinnamomi* ℥ ß. ſubinde refrigerato, coloque transfuſo, ſervetur in vitreo, vel fictili picatoque vaſe pro potu, ut patienti collibuerit.

*Potus parandi ratio.*

§. 9. Interea, ſi pervicax morbus nullo modo cedat, huic decocto, tam menſali, quam alteri, quod ad ſudores provocandos exhibetur, addi poterit tertia *vini albi* pars, in quo, ſpatio xx. horarum, fuerit macerata ℥ j. *ligni indi* pro ſingula vini libra. Nec obſtat, quod à veteribus, vinum in capitis doloribus habitum ſit ſuſpectum; nam experientia compertum eſt, plerunque etiam juvare, eo quod coctionem quum adjuvet, paratiores humores reddit ad expulſionem.

*Vinum non tam noxium capitis doloribus, ut multi autumant.*

§. 10. *Errhina* etiam adhibe, ut *aqua mulſa ex hyſſopo, ſampſucco & ſerpillo* cocta, addita tertia parte *ſucci beta*, per nareſque hauſta; vel *ſimplex aqua*, in qua tantillum *radicis cyclaminis* fuerit maceratum. vel *pulvis* hic naribus inſufflatus, vel ſponte hauſtus, *Recipe hyſſopi, agarici, ellebori albi ana* ℈ ß. tundantur ſimul omnia tenui-

*Errhinum caput purgans.*

tenuiſſime, & utatur matutino tempore, vel ſerò ante cibum: inditur autem in nares ex hoc pulvere, quantum grana tria vel quatuor frumenti ponderant: trahunt autem hæc, mirum in modum, aquoſos atque pituitoſos humores à cerebro. *Maſticatoria*, vel alia, quæ in os accepta, tales humores eliciunt, etiam aliquo modo conferunt, ut *cubeba*, *ſinapi*, *zinziber*, *pyrethrum*, *aqua ardens acerrima*, quam *aquam vitæ* dicunt.

*Maſticatorium.*

§. 11. Verumenimverò, animum perpetuo ſtudioſe medicum, atque etiam ægrotum ipſum adhibere convenit, ne vel fotus, vel lotiones, vel tegmenta, vel errhina, vel aliorum quippiam, modum excedat. Diſcernes autem hoc, dum premit dolor, ſi quandoque partem levius tectam omiſeris; modo paulo plus pannis munieris, & modo plus foveris, nunc vero minus, vel prorſus nihil: vel, ſi nunc valentius purgaveris, vel ſudores moveris; dein verò parcius, vel naturam penitus per vices omni medicamentorum uſu, vel agitatione exemptam, quieſcere reliqueris.

*Animadvertendum in remediis adhibendis.*

§. 12. Iis verò omnibus attente ad amuſſimque obſervatis, ſi in eodem ſtatu morbum perſeverare videas, vel invaleſcat, variis partibus *cauſtico*, vel *candenti ferro*, caput exulcera, quo humor valentius hinc tranſmitti valeat. Sint *ulcera*, quæ parvi nummi latitudinem non excedant, nec os attingant; & recta ad commiſſuras, parti dolenti proximas, etiam ſupra partem immet dolentem: conſerventurque hæc diutius aperta, carnem *præcipitato* abſumendo;

*Morbo permanente aut invaleſcente, quid agendum.*

 vel,

vel, ſi & hoc moleſtiam ferat, proximè his factis ulceribus, nova alia ulcera cauſtico ſunt excitanda, & prima, ut cute obducantur, beneficio naturæ relinquenda. Sic enim minore noxa cutem ſervabis apertam, quam ſi ulcera *præcipitato*, vel *gentiana*, vel *orobis*, vel alio ingenio refricare pergas. Nam hoc præſidii genere pleroſque levatos vidi, quibus reliqua omnia auxilia nil commodi afferre poterant. Deſiſtere tamen interim à purgationibus fas non eſt, fretus, localia ſubſidia modicè conferre poſſe in corporibus iis, niſi eorum, quæ in medio ſunt corpore, etiam curam habeas aſſiduam.

§. 13. Quod ſi ab iis ſenſim non miteſcat morbus, vel adhuc ingraveſcat, dubium non eſt quin ſub cranio collectus ſit humor aliquis, ad putredinem tendens, præcipuè, ſi veluti culices, vel araneorum telæ, oculis patientis præ ſtare videantur, quibus occurrere tentandum eſt, portionem cranii aliquam demendo, quo humor, ſub illo coactus, vel vapores, libere exire queant. Perficitur autem hoc, vel cycliſcis raſoriis, vel modiolo, vel terebra: omnia autem laudo, ſi loco & ratione fiant. At opus modioli tutum admodum non eſt, quovis artifice operante, quanquam inter ea, quæ hactenus uſui fuere, tutiſſimum ſit noſtrum, quod in *libello de vulneribus ſclopetorum* inſeruimus. Præfero tamen hîc, terebro meo vel cycliſcis raſoriis, emiſſarium parare uſque ad duram meningem, ſive os ſanum, ſive aliquo modo carie infectum offenderis: &, ubi carioſum ſit, nec corruptela ad vitream uſque tendat,

*Humori, ſub cranio putreſcenti, quomodo occurrendum.*

*Trepanum quodnam tutiſſimum.*

tendat, ſat erit cariem totam eximere, & biduum obſervare: ubi vero levius habeat, nil amplius tentandum eſt, niſi vulnus apertum conſervare, donec undique per os pullulet nova caro, quo tempore & vulneris ora ſunt relaxanda, locoque ſuo paulatim reponenda.

§. 14. Cutem igitur, ubi hoc facto ſit opus, novacula exſcindere potius conſulo, quàm cauſtico medicamine (ut aliqui perperam & inepte faciunt) exurere: tum, quod minore ac breviore dolore patiens extorqueatur, tum etiam, quod ſanguinis effuſione moderata per vulnus facta, patiens quandoque degravatur. Fieri autem debet *ſectio*, perinde ac ſolet in vulneribus capitis cum oſſis læſione, *cruciatim* puta; mox labiis revulſis, plagaque penicillis duris, ovi albumine, aloë, & bolo armena aſperſis oppleta, ſic ſervanda plaga eſt, donec affectus indicabit. Penicilli vero interea, medicamento ex ſuccis confecto, *in capite de oſſiū tuberculis* deſcripto, vel ſimili alio, irrorari poterunt. *Qualis ſectio eſſe debeat.* *Pag. 521.*

§. 15. Si autem dolor ad biduum non ceſſet, vel quovis modo mitior non fiat, tunc *os perfode*. Si ichor exeat putidus, qui apparere interdum in iis ſolet, impone tantillum ex hac miſcella, *aquæ vitæ, balſami artificialis Joannis de Vigo, ſingulorum partem unam, mellis roſati partes tres*: Si turgeat cerebrum, nec videatur flammeum, intromitte ex hoc, in quo *pares ſunt partes aquæ vitæ, mellis roſati & balſami*; nam egregie hoc concoquit & diſſolvit: penicillos (ne citius, quàm par ſit, caro creſcat) illine *unguento*, quod *pares* recipiat *partes olei roſati*, *Oſſis perforatio.* *Vid. cap. ult.*

 *mellis*

*mellis & aloës*, deſuper *emplaſtrum ex betonica*, vel aliud ſimile. Cum tempus obducendæ carnis advenerit, curandum ut ſimplex vulnus.

*Os à ſincipite & à fronte avulſum cum optimo ſucceſſu.*

§. 16. Non autem formidoloſum Chirurgum eſſe oportet in iis: Vidi autem pleroſque hac lue affectos, à quibus tantum de oſſe ſincipitis paulatim auferre oportuit, quantum dimidia vola manus eſt lata; & aliis à fronte portionem non exiguam: omnes tamen cum optimo ſucceſſu. Ante igitur, quam ſectionem facias, prædicenda eſt parentibus, vel amicis, tuta mors, ſi hæc non fiat, omnibus jam fruſtratis debitis anteactiſque præſidiis: ſi vero fiat, ambiguum eſſe exitum. at, ubi præferendum non eſt auxilium anceps, quàm perfunctoriis, atque fucatis (ut ita dicam) præſidiis, adverſus affectum pugnantes, ægrum ſenſim in mortem elabi ſinere?

*Celſus. l. 5. c. 26.*

*Celſus l. 2. c. 7.*

*Hiſtoria de quodam, lue ven. affecto.*

§. 17. Ab re, opinor, non erit, ſi recitavero, quod ab hinc, non multo anteacto tempore, mihi vidiſſe contigit. Taurini Quæſtor quidam, natione Gallus, habitabat, qui jam menſes aliquot inſomnes peregerat, ex gravi capitis dolore, circa ſinciput ac tempora, ob Venereum morbum: hîc jam ab omnibus medicis illius oppidi opem acciverat, verum moroſus præſidiis non penitus inſiſtebat, variaque quandoque, animo fluctuans, tentabat experiri: qui quum quandoque me Taurinum adventaſſe intellexiſſet, ut illum inviſerem, rogatum miſit. Quòd ubi cuncta edoctus, tum per eum, tum per aſtantes, pertinacem hunc dolorem audirem, nil languidi paſſum

ſum fuiſſe ex auxiliis, à Medicis omni ratione adhibitis, nec ab iis quæ mulierculaꝛum, vel impoſtorum, conſilio tentaverat, conſului, ut capiti cauſtica aliquot apponerentur juxta proximas commiſſuras, & ſuper partes dolore infeſtatas: quod ſtatim conſilium, difficilis atque effœminatus æger recuſavit. Ego verò Taurino ſecedens, hunc non vidi unius menſis intervallo: tandem iterum rogatus, illum adivi, quem penitus lumine orbatum offendi; oculi tamen nil extranei videbantur pati: primitus dicebat, ſibi per multos dies, antequam integrè oculorum lumine interdiceretur, apparuiſſe culices ſemper ante oculos circumvolitantes, & telas araneas lumini objectas, mox ſenſim viſum perdidiſſe: Ego illi tunc perſuadere nitebar, ut pateretur cranium perfodi: renuit: tandem, ut cauſticum ſincipiti adhiberetur, ubi magis premebat dolor; fuit contentus; noluit tamen ferre, ut apertum ſervaretur: ſic ſtatim, deciſa cruſta, ſponte cicatricem obduxit, quapropter illum inviſere deſtitui, impatiens cubicula ægrotantium frequentare, opportuna reſpuentium præſidia. Hic demum, circiter quadraginta dies poſt, ad ſuperos migravit, quem ſuorum amicorum nutu, me præſente, ſecuit Lucius Montanus, Illuſtriſſimi Proregis Briſſaci chirurgus ingenioſiſſimus, ubi cranium, ad coronalis & ſagittalis commiſſuræ regionem, ſphacelatum putidumque invenimus, coronati regii latitudine, ſtatimque cranio ſerra aperto, abundans ichor putrilaginoſus, inſtar aquæ fuligine fumarii & *Lucius Montanus Chirurgus eximius.*

 croco

croco aſperſæ, profluxit, tum per oſſis aperturam, tum per aures & nares; membranæque putidæ recta ad os affectum, verum adhuc integræ, erant, quæ ſolo tactu facilè rumpebantur; corruptum & cerebrum, & nervi optici, cætera verò viſcera omnia integre habebant. Cenſendum eſt, huic potuiſſe conferre, à doloris principio, cauſtica, vel poſtea oſſis effoſſionem, rationi ſi obtemperaſſet, dum præbebat occaſio. Non eſt igitur omittendum auxilium anceps, ubi patiens morem gerat, quum nulla datur alia ad ſalutem ſpes.

§. 18. Si tumores appareant duri (*gummata* appellant) corruptelam oſſis in iis prohibet uſtio (ut antea dictum eſt) ſuper illis facta, diuque aperta conſervata, donec prorſus ſint abſoluti. Si materia inſideat cum oſſis carie, aperiendus eſt ſinus ad decuſſis imaginem (ut etiam in capite de oſſium vitio diximus) quare ob id negotii illuc adeas. In omnibus iis, quos gravis dolor occupat, *tenuis victus* eſt adhibendus, & attenuans: ubi vero dolor ſit mordens, mediocriter tenuis confert, & modice, vel potius nihil, attenuans, præcipuè, ſi oſſis caries impendeat. Sed jam tempus nos monet, ut ad alia præſidiorum genera ſermonem convertamus.

*Victus ratio.*

CAP.

## CAP. XVII.

### *Venereæ luis curandæ modus, per illitiones, hydrargyrum recipientes.*

Sicut humana mens, quam torpem natura vel ignavus habitus effecerunt, otium atque ſomnum cæteris omnibus anteponit; ita ſagax, non modo frugi inventa reſervat, ſed & in novis aliis indagandis perpetuo evigilans, poſteris prodeſſe non deſinit: hinc effectum eſt, ut nonnulli noſtri ævi medicinæ profeſſores, horum languentium calamitatum miſerti, non ſolum inventis non acquieverint, verum ultra hæc (à ſenioribus tamen excitati) nova alia utilia, ſumma indagine, ratione atque experientia ducibus, excogitaverint, nimirum illitiones, cerata, & ſuffitus, quæ cum hydrargyro arte componuntur.

§. 2. Curant hæc ſanè mirifice humana corpora, hac lue infecta, ſi arte ſint adminiſtrata, humores è corporibus excludentia, ſubtiles nempe, & cuti proximos per halitum, viſcidos verò atque intimos, per fauces & alvum, ſic ut mirum videatur, quam celeriter belleque id præſtent. Hæc tamen medicamentorum genera (ſanè præter rationem, quod infra monſtrabimus) plerique medicorum averſantur, perterriti ſymptomatis, quæ hydrargyrum negligenter, vel potius ineptè appoſitum, inducere ſolet: Verum ob id inculpandum præſidium non eſt, immò artificis *Remediorum hydrargyrum recipientium utilitas.*

 ineptia,

ineptia, vel negligentia, vel fortè patientis intemperantia. Quis ignem criminabitur, unde, præ ſervorum negligentia, baſilica domus conſumpta eſt? Sed iis nunc omiſſis, ad cætera, quæ noſtri ſunt negotii, pergamus, hujus difficultatis diſceptationem deciſionemque ſub finem operis omittentes.

*Illitiones parandi modus multiplex.*

§. 3. *Illitiones* igitur, non una quidem, ſed multiplici forma, parantur, perinde ut aëris temperies, morbus, patientis habitus, mores, & facultates indicabunt: nam divites ac nobiles, quos hoc remedio curare fas eſt, ſumptibus minime parcentes, odoratas delicatioreſque exoptant: inopes verò iis contenti ſint par eſt, quæ ſine deliciis morbum expugnant. Pueri præterea, & delicatiores homines, & alii, quorum tenuis humor cutem divexat, etiam mollioribus ſunt tractandi: fortioribus vero vegetes, & ubi humor profundius inhæret: æſtate etiam mitioribus, & minus facultate calidis, hyeme fortioribus calidioribuſque. quamobrem hîc aliquot exempla ſubjiciam.

*Unguenti levis & facilè parabilis formula.*

§. 4. Recipe, *butyri recentis* ℥v. *olei amygdalarum amararum* ℥iij. *hydrargyri tenuiſſimè comminuti* ℥ij. *ceræ albæ* ℥ij. omnia diligentiſſime incorporentur. *Aliud* ejuſdem potentiæ: *Recipe*, *axungiæ ſuillæ* ℥vj. *olei roſati* ℥ij. *olei de ſpica odoriferi* ʒij. *ceræ albæ* ℥ij ß. *hydrargyri extincti* ℥iij. omnia in pila optimè miſceantur: hæc autem levia & exigui ſunt ſumptus. *Alia* paulo fortiora: *Recipe*, *axungiæ porci* ℥vj. *olei amygdalarum amararum*, *medullæ vitulinæ*, *ana* ℥ij. *olei Laurini*

*Alia.*

*Fortiora unguenta.*

*rini* ℥ i ß. *ſtyracis liquidæ* ℥ ß. *olei de ſpica* ʒ iv. *hydrargyri perbelle triti*, ℥ iij. *ceræ albæ* ℥ ij ß. Aliud, *Recipe*, *butyri recentis* ℥ iij. *axungiæ porci*, quæ non vetuſta ſit, ob moleſtum ejus odorem, ℥ viij. *olei maſticis* ℥ i ß. *olei de ſpica odorati* ʒ ij. *ſtyracis liquidæ* ℥ ß. *euphorbii* ʒ ij. *thuris*, *maſticis*, *ana* ʒ iij. *terebinthinæ claræ* ℥ j. *hydrargyri* optimè triti cum oleo amygdalarum amarum ℥ iij. *ceræ albæ* ℥ ij. pulveriżânda, in tenuiſſimum veluti pollinem reddantur, & omnia ſimul in mortario accurate miſceantur. *Aliud* pro nobilioribus ac ditioribus, graves moleſtoſque odores ægrè ferentibus. *Recipe*, *butyri recentis*, *axungiæ porci recentis*, *ana* ℥ iij. *olei amygdalarum amararum* nuper expreſſi, *medullæ crurum vitulorum*, *adipis gallinæ ana* ℥ ij. *olei caryophyllorum* ℥ iij. *ceræ albæ* ℥ ij ß. *hydrargyri* optimè comminuti in oleo amygdalino ℥ iij. omnia in pila egregiè commiſceantur, addendo *moſci electi* ℈ j. *ambræ* ℈ ß. quæ in fine totius compoſtellæ, perbelle admiſceantur. At de unguentis hæc ſufficiant exemplaria.

*Aliud.*

*Aliud pro ditioribus.*

§. 5. Illinuntur autem articuli omnes, immò & univerſi artus: ſpinam autem inungere neceſſum non eſt, niſi hanc dolor exerceat: caput verò aliqui obliniunt, ſed cum nihilo fœlicius iſtis contingat, quam iis quibus tantum artus tractantur, illud propterea, ut & pectus & ventrem, lubens excipio: quanquam, etſi fricentur, nullum ſequi poſſit incommodum; intellige, ubi largius æquo non fueris uſus.

*Quæ partes corporis illinendæ ſint.*

*Quæ partes non illini poſſint.*

§. 6. Propterea in pueris *ſat erit* unciam,

*Unguenti quantitas varia pro ætatum varietate.* vel etiam minus, abſumere pro illitione ſingula; magis adultis ſeſquiunciam; hominibus binas, vel etiam ternas. *Unguntur* igitur, vel in *diluculo* vel parum ante prandium, vel circa *Unguendi tempus.* veſperas ante cœnam, per horas binas, vel ternas. *Locus* aptus eſt ſub tentorio, in cubi- *Locus.* culo, non longè à cubili, extenſo, in quo labra, vel alia vaſorum genera, prunis accenſis referta, habeantur, quo in aëre calido illitio fiat; ſi enim ſine frigoris injuria res abſolvatur, facilius medicamentum cutem, ac reliquas pervadit partes, unde valentius munus ſuum obit: quod ſi tentorium preſto non ſit, frigidaque admodum aëris vigeat intemperies, accenſis abundè lignis ſub camino, & lebetibus, vel pelvibus prunis oppletis, in medio cubiculo poſitis, in iis duobus ignibus rectus patiens ſeipſum perfricet.

*Poſt illitionem qua obſervanda.* §. 7. Peracto opere, *carnabino linteo*, craſſo, amploque ac calido, à collo ad pedis uſque plantam, *obducatur*, in ſtratumque optimè excalefactum, camino proximum, conferatur, lodicibuſque tectus, *ſudores provocet*, per horam vel paulo plus, ſi ſine labore irrumpant; vel minus, ſi vires non ſuppetant: os non ſtipandum penitus, ſed habeat unde reſpiret; maximeque, ſi patiens imbecilli ſit habitu.

§. 8. Abſolutis ſudoribus, *linteis* calidis lenibuſque *tergere*, ſine ventilatione ulla, totum corpus oportet; mox ſubucula calida induta, ſtratoque ex adverſa parte calefacto, in illam ſe recipiat, ubi, ſi ſudores item fluant, placidè ſudet: quibus ſubinde deterſis, in aliud cubile,

cubile, quo in eodem triclinio ſit poſitum, ſe transferat. Eiſdem pannis ac linteis utetur toto curationis curriculo, quibus à principio fuerit uſus, quæ in dies tamen exſiccabuntur. Si verò, dolorum vehementia, ſtare nequeat dum illinitur, ſedeat: quod ſi neque ſedere patiatur, ſtratus in lecto ſinatur, partem primo unam inungendo, mox hac pannis calentibus optimè obducta, aliam illinas ſubinde & alias, donec abſolveris, & perpetuò foculi, prunis referti, vel focalis palla candens parti, quæ tractatur, proximè habeantur. Illitione peracta, pannis bellè cooperiatur, quo ſudores invitet, deinde partibus omnibus ſolutis, omni diligentia abſtergatur.

*Ungendi modus, quos maximi dolores torquent.*

§. 9. Sed quia tum calore, tum labore, vel odore, tumque totius corporis gravitate, vel etiam nutrimenti defectu, languentes nonnunquam in aliquod leve animi deliquium concidunt, conducet (præcipuè ægris parvarum virium) parum ante opus, *panem*, in leviore *vino infuſum*, offerre, & ſimul mediocriter ſuperpotare: nam hoc, præter id quod vires recreat, leviore negocio etiam ſudores promovet.

*Ad animi deliquium pracavendum.*

§. 10. Satis ſuperque eſt, *ſemel*, die ſingulo, oblinire: imbecilliores verò, *alternis* tantum *diebus*. Numerum vero illitionum terminatum, unicuique vel univerſis, præſcribere nemo jure poteſt, ſed eo uſque defricantur, quo gingivæ tumeſcere occipiunt, vel alvus fluere, vel ulcera cicatrice manifeſta obduci, vel dolores funditus ſolvi.

*Quoties inungendum, & Quouſque frequentandæ illitiones.*

§. 11. Verum quandoque alvus movetur, & gingivæ tument, nec abſolvitur humoris affligentis evacuatio. Cum igitur hîc naturam ad expulſionem pigram obſervaveris, bidui, vel tridui ſpatio ad illitus redire licebit, quos alternatis diebus adminiſtrabis, animum diligenter adhibens, quid natura moliatur: nam, ſi negligenter ægrum inviſas, tam ſæve (crebro) humores fauces & guttur oppetunt, ut non ſine ſummo medici labore, & patientis diſcrimine, corrigi valeant, quod facile defenditur, ſi diligenter ſingula obſerventur.

*Quomodo tractandi pauperes eorum paupertatis & laborum rationem habendo.*

§. 12. *Pauperes*, mendici, vel ſervi, quibus neque otium, neque argentum ſuppetit, ſed laboribus victum quæritare cogit egeſtas, à ſuis negotiis non deſiſtentes, poſt *ſanguinis miſſionem*, corporiſque *purgationem*, *artus* vel omnes vel plures, quos magis affectus exercet, manibus propriis, leviore ex aliquo ſuprascriptorum unguentorum, *perfricent*: tenuiter mox induti, ſuis negotiis implicentur, deſiſtentes ab illitionibus, cum aliquod ex ſuprascriptis ſignis apparere inceperit. His licebit alternis diebus, vel ſingulo quovis die, *pilulam* unam devorare, vel *ex fumo terræ*, vel *cocciis* ponderis ℈ j. vel ʒ ß. quo humores impetuoſe ad fauces non irrepant: hoc enim more plures, & piſtores & coquos, mendicos & ſervos, morbo liberavi, quos aliter morbus confeciſſet, exiſtimans, prudentius eſſe, quum non potes penitus, quæ optas, obtinere, exiguum, quod conceditur, æquo animo acceptare.

§. 13. Conducet etiam & iis & ditioribus, ſi libeat, loco horum *cerata* membris affigere, & ſuis negotiis implicari. Optimum eſt illud Joan. de Vigo, quod paſſim in officinis ſeplaſiariorum reperitur, vel ſi ad manum non ſit, hoc parabis, quod ejuſdem eſt efficaciæ, & paratu facilius: *Recipe axungiæ porci non omnino vetuſtæ* & à membranis optimè purgatæ ℔ j. *pinguedinis gallinæ* ℥ iij. *olei de therebinthina* ℥ ij ß. *euphorbii, caſtorii ana* ʒ iij. *ſtyracis calamitæ* ℥ i ß. *cinnabaris* ℥ j. *ceræ pinguiſſimæ*, quantum ſit ſatis pro formando ceroto, quod non coinquinet: in fine adde, *argenti vivi optimè comminuti* ℥ iij. quæ omnia ſimul miſceantur, donec frigida ſit tota maſſa, ne, quod gravius eſt, in fundum deſcendat. Sequuntur autem ad hoc eadem ſymptomata, quæ ſequi ſolent ad illitiones: quare, cum opportunum videbitur, removere non differas. *Ceratum pro pauperib.*

## CAP. XVIII.

### *Quomodo, defricandi ex præſcriptis illitionibus, præparandi ſint.*

QUos defricandos hoc more conſulimus, hos primo inanire juſtum eſt: nimirum ſanguinis miſſione, atque etiam purgatione. *Præpartio ad illitionem ſit.*

§. 2. *Tunditur* igitur primo *vena*, quæ parti affectæ proximior eſt, ut in fronte, ſi caput, mox cephalica brachii, eandem partem proſpicientis: ſimilique modo ſi brachia, vel *Vena ſectione.*

crura,

ctura, ſint affecta: nam nunquam non utilius eſt primò ex magis degravata exordiri, ut infra docebimus.

§. 3. Subſequenter, venter apprimè educendus eſt medicamentis *purgantibus*, videlicet, *potionibus*, vel *pilulis*, vel *tabellulis*, pro patientis guſtu, quæ tamen educant quantum ſatis eſſe videbitur, nec alienum humorem, quàm habitus patientis, & morbus exigunt. *Pituitam* egregiè deturbat *decoctio foliorum ſenæ*, ſi ℥ v. vel vj. macerentur in ℥ v. aquæ, adjecta ʒ j. *cinnamomi*, & *tantundem cumini*, cui *expreſſioni* commodè adduntur *oxymellitis ſimplicis* ℥ ij. vel iij. devoratur enim unica potione. Alia potio, *foliorum ſenæ*, *turbit electi*, *ana* ʒ ij. *cinnamomi*, *carvi*, *ana* ʒ j. *aquæ* ℥ v. macerentur per horas decem: expreſſuræ adduntur, *mellis roſati*, vel *oxymellitis ſimplicis* ℥ ij. vel ℥ j. illius & ß. *oxymellitis ſcillitici*.

*Purgatione.*

*Decoctum pituitam purgans.*

§. 4. Sed in multis non eſt ſatis ſemel corpus purgaſſe, imò ſæpius repetere, & tutius & utilius novimus, præcipuè, ſi morbus fuerit diuturnus: Repetuntur nimirum frugifere, ter quaterve, alternis diebus: vel, horum loco, à prima purgatione, conducet hæc *Decoctio*, *Rec. origani, betonicæ ana m.* j. *polypodii quercini* ℥ ij. *cinnamomi* ʒ ij. *carvi* ʒ i ß. *foliorum ſenæ* ℥ i ß. fiat decoctio ad ℔ i ß. de qua capiat ſingulo mane ℥ v. additis unicuique doſi *oxymellitis ſimplicis* ℥ ij. vel *oxymellitis ſcillitici* ℥ j. conferet etiam & *mel roſatum* loco oxymellitis. Si verò ſeroſos humores vacuare poſtules, vel etiam bilioſos & acres, *Recipe*, *polypodii quercini* ℥ j.

*Decoctio ſeu Apozema.*

*Seroſos vel bilioſos humores pur-*

*cicorii*

*cichorii m.* j. *carvi* ʒ ij. fiat decoctio ad ℥ v. cui immiſce *ſyrupi roſati laxativi* ℥ ij. *Electuarii roſati Meſuæ* ʒ iij. Vel, *pilulas aggregativas* exhibe ad ʒ i ß. vel ℥ ij quæ poterunt reiterari ter, vel quater, ut dictum eſt: Si ad *bilem* magis proſpicis, *rheum* exhibe vel *electuarium ex roſis Meſuæ*: ſi *melancholiam*, *confectionem Hamech*, *pilulas coccias*, *de lapide lazuli* & ſimilia. Sic, corpore evacuato, ut decet, ad illitiones recurrere licet.

## CAP. XIX.

### *Illiti quomodo nutriendi.*

ERrant, qui victum liberaliorem, & potum ex generoſiore vino, illinendo, &, dum os pituita, ulceribus, & inflammatione ſcatet, ægris concedunt, viribus timentes: Nam tali victu refarciuntur corpora pituita, unde hæc tanto impetu ad fauces irrumpit, vel ad alvum detruditur, ut negotium plerumque formidabile faceſſat. Fœliciorem verumenimvero exitum habere ſemper novi, quos temperate nutriri juſſi, vinoque abſtinere, vel admodum lymphatum bibere, quàm cæteros. *Vinum illitis non dandum.*

§. 2. Conceduntur *carnes boni ſucci*, dum mandere poſſunt, vel *contuſa*, dum os male habet, & *epula ex pane trito, in optimo carnium jure concocto*; vel *offa ex pane tenuiter inciſo*, in dicto jure parata: quæ omnia facile deglutiuntur *Victus qualis illitis concedendus.*

tiuntur ſine maſticatione. Noxium præterea eſt, hos multo cibo replere, &, ubi bellè comedunt, ſat eſt bis in die, & horis conſuetis, cibum capere: ubi vero mandere nequeunt, aluntur *ſorbitionibus* ter quaterve in die ſingulo, ut *amygdalatis*, *hordeatis*, pane trito cum jure contuſis, & *gelatinis*. *Potum* commendamus ex *aqua*, in qua *hordeum*, *liquiritia*, & *mel* fuerint incocta. addito *cinnamomo* in fine, quo decenter aromatizetur: vel, ſi mel ægro non ſatisfaciat, *ſaccharum* loco ejus imponatur, vel etiam, ſi libeat, ſine hordeo parabis hanc, & ſolam potabit: vel, ſi libeat, exiguum *vini albi* vel *rubelli*, *quadruplo aqua fontana* permixti.

## CAP. XX.

### *Qui apti ſint ad illitiones ſubeundas.*

*Gravida illini poſſunt.*

HUic generi curationis homines ætate provecti, & mulieres, (niſi gravidæ ſint) etiam infantes bimuli & annales, ſubjici commodè poſſunt: in tenerioribus autem non tentavi, quanquam & hos & prægnantes juvaret, ſi temperanter, & ſumma prudentia tractarentur. Non ſtatim ab ineunte affectu huic remedio ſubjiciendi ſunt, ſive pueri, ſive adulti ſint, quod hos aliis remediis levioribus, ut ſupra expoſuimus, in priſtinum ſtatum redigere ſit tentandum.

*Non ab initio morbi illinendum.*

§. 2. Sed multis fortè fortuna acerbum videbi-

videbitur, infantiam quòd huic præſidio ſubjiciam, contrariam ſententiam dialecticis tantum argumentis ſuſtinentibus: nimirum, quòd tenellus ſit habitus; quòd in iis calor abundet inſitus; quòd præterea hoc remedii genus ex extremis ſit, quod quandoque ægrè vegetiores homines ferre poſſint. At horum nil obſtat, quo minus curam hanc auſpicemur abſolvamuſque: nam pane, carnibus, meroque ſi nutrias pueros, quibus homines veſcuntur, perbellè conficiunt, ſi edentulis hæc manſa, moderatè devoranda dederis. Non diverſo etiam modo curandæ in iis ſunt ægritudines, niſi quod leviore præſidio levari ſolent; inſuper, non diuturnis purgationibus, neque ſudoribus multis ſunt ſubmittendi, quod hæc & ſummopere vires dejiciant, & à pueris perpetuo aſpernantur: Parcius igitur in iis agendum eſt, imò quidem parciſſimè leniſſimeque: ſtatim deſinens ab illitu, dum leviuſculum quicquam ori apparere inceperit, alvumque iis lubricam reddere oportet, nutrices purgando, *polypodii*, vel *ſena folia epulis incoquendo*. Et quia hos plerunque ſollicitat eminens quædam & verrucoſa caro circa labra, anum, & ſcrotum, huic adverſatur mirum in modum *præcipitatum, butyro recenti copioſe admixtum*, affectiſque partibus applicitum, quanquam illitionum munere hæc omnia abſumantur. *Infantes illini poſſe.*

§. 3. Sed fortè non erit ab re narrare, quomodo id pueris prodeſſe noverim. Annos ab hinc circiter duodecim, infans nondum bimus, *Hiſtoria qua infantibus poſſe illitio, nes prodeſſe demonſtratur.*

mus, à fœda nutrice infectus, matrem, ſubinde ſugendo, polluit; quæ mox, inſcia, virum affecit. nihil de hoc à principio ſuſpicans, tandem, aliorum ſymptomatum concurſu, res utrique innotuit, tum etiam infantis ore, puſtulis affecto, atteſtante, & nutrice poſtremo verum fatente: quare fratris mei, meoque conſilio, fidentes, illitionibus ſe addixerunt parentes infantis. Superfuit, divina fortè voluntate, ex unguento quicquam, quo à muliere tacitè ſervato, cum jam ſibi, viroque ſuo optimè omnia cedere perciperet, in puero verò ex adverſo omnia inſævirent, miſerta puelli querelis, illum clandeſtino perunxit unguento: torquebatur autem infans & genuum, & cæterorum artuum dolore, ulceribuſque verrucoſis circa os & anum, quæ omnia ex illitione hac evanuerunt: Quem cum, paucis poſtea diebus, in matris gremio hilarem, prorſuſque morbo ſolutum obſervarem, quomodo ſic ſalubriter ageret percunctatus ſum: mater verita ne à me, vel marito, qui præſens aderat, de audacia accuſaretur, nil illi factum fuiſſe aſſeruit, exceptis decoctis polypodii, vel foliorum ſenæ, quæ epulis quandoque, meo juſſu, incoquebantur: Quod cum non facilè crederem, iterum dum ſolam offendi, obnixè illam precibus obſecrare occœpi, ut, ſi quidquam factum fuiſſet in puerum ab iis, quæ præceperam, palam mihi fateri non recuſaret. Hæc cum me id anxie poſtulantem audiret, quod & ipſa duriter in pectus cogebat, nam quiſque benefacta aliis inno-

innoteſcere cupit ſua, illa, ſive fortuna, ſive maturo conſilio, fuerint incœpta, univerſa, inquit, tibi explanabo; ſuppliciter tamen obteſtor, ne in alienas diffundantur aures, ne me tanquam audacem objurget conjunx: annui ego libenter, ipſa omnia expoſuit. Artus, ait, illevi leviter, & diebus alternis, gingivas ubi rubeſcere conſpexi, ab illitionibus quievi: ſtillavit huic os, verum non multum, neque diu, eumque à conjuge omni induſtria divertebam, ne conſcius facti culparet me criminis: Verùm divino nutu non minus proſpere infanti ſucceſſit, quam nobis ipſis; ſic ut omnes firmiter domi valeamus. Fuit hercle mihi hæc narratio per quam grata jucundaque, & infantibus ſubinde pleriſque fructuoſa: nam proprio lare receptus, fratri meo, cui nomen eſt Secundus Botallus, illico communicavi, unde non exiguam animi lætitiam hauſit, quo exemplo uterque fretus, ſumma cum præmeditatione, patientiumque commodo, frequentius in uſum poſuimus, infanteſque aliquot, qui ab hac miſeria liberari nullo alio præſidio poterant, hoc uno ſubreximus: quamobrem hinc diligentius hydrargyri mirandum munus excogitare cœpi, laudibuſque ſupremo jure efferre.

*Quæ quiſque bene facit cupit ſciri.*

*Secundus Botallus autoris frater.*

## CAP. XXI.

### *Quod ſit tempus proprium pro illinendis affectis corporibus, vel aliis præſidiorum generibus ineundis.*

*Ver accommodatiſſimũ illitionibus.*

*In temperata plaga æſtate aquè atque vere illitiones ſubiri poſſe.*

TEmpeſtas ineundæ curæ eſt per totum anni curriculum. Optima eſt ver, ſecundo loco autumnus, ab hoc hyems, æſtas ultimo, ubi præcipue extremè flagrat aër. Verùm ubi temperata eſt plaga, quam vehementius ſolares radii non urunt, vel ii frequenti boreæ flabellatione temperantur, æſtate juxta atque vere commode acceditur.

§. 2. Non ut plerique vulgares medici, quos ſi hyeme, vel æſtate ægri conſulant, hi autumnum, vel ver expectandum eſſe perſuadent, ſententiam ſuam antiquorum authoritatibus, perperam adductis, rationibuſque dialecticis fulcientes: Si reformidabat (inquiunt) Hippocrates, purgationes ſub & ante canem, quanto magis nos hîc quieſcere debemus? nam & miſſionem ſanguinis, & purgationes non leves, illitionibus præmittere eſt opus. Accedunt ad hæc ſymptomata, quæ conſequuntur. Quid igitur, ſi item vehementem æſtum addas? omnia una concurrunt ad virium diſſolutionem, gelu verò ex adverſo humores cogit, incraſſat, conſtipat, extremoſque poros connivere facit.

*l.4. Aph.5.*

*Rationes logicæ, male productæ, ægris pernitioſæ.*

§. 3. Quid inde? Argumenta hæc nimirum non modo veri imaginem repræſentant, ſed

ſed veriſſima ſunt, ſi ad amuſſim ſuis adæquentur ſubjectis: at ubi inter ſe non conſequunt, tanquam fucata infortunatum, languentem, ignavumque artificem, naribus ſuſpendunt. Quænam ratio, obſecro, contra ſententiam antiquorum, perſuadere hominibus potuiſſet, ſub æquatore & utroque polo habitabile ſolum eſſe, niſi ſenſus, omnium ſcientiarum verus author & fomes, fidem feciſſet? Nam obliquiſſimis radiis, ut illi etiam dicebant, utrunque polum proſpicit ſol; ſub æquatore ſitam zonam rectiſſimis fervidiſſimiſque ferit: non igitur habitabiles loci. Satis quidem, imò omni jam anteacto ævo, hæ rationes, tanta efficacia, parentum noſtrorum mentes occuparunt, ut nil verius hoc exiſtimarent. Verùm experientia nautarum, & aliorum hominum, peragrationis amantium, rationeſque neotericorum ſapientium, contrarium oſtenderunt: videlicet, zonas illas eſſe habitabiles, ob id quod ſub æquatore flagrantes diurnoſque radios, moderet copioſiſſimus nocturnus ros, nocturnique aëris frigiditas; eo quod, quanto ſol proximior eſt iis in meridie, dumque maximè flagrat, tanto longius recedit ad medium noctis: quo tempore tota terræ moles objecta, neque veſtigium ſolaris radii ad hos patitur perferri: unde ſic viciſſim & nox ſolis & noctis ſol excutit injurias. Polos vero, etſi ſex menſes ſol hunc perſpiciat, ad alterum ſex alios divertat, non tamen altius viginti tribus gradibus cum dimidio, ſupra horizontem illis inſurgit, vel occaſu

*Non ſemper veterum placitis inſiſtendum, exemplo docetur.*

 caſu

caſu deprimitur: ſic ut neque nocte media, ſeu hyeme, multum rigeant, nec luce, ſive æſtate media, oppido caleant ſub polo utroque. Sed hæc obiter ſint dicta, verum non à ſcopo aberrantia, imò quo junioribus memorem, fructuoſius eſſe intento animo in rebus tractandis exerceri, quàm apparentibus, vel dialecticis tantum diſceptationibus, vel etiam theorematibus malè textis, inniti: rati, ſe confuſos irretitoſque artem adminiſtraturos, ſecus ſi fecerint, quum plerunque, quas noſtræ opinionis rationes firmiſſimas atque immutabiles eſſe arbitramur, nil minus, quam quod intendimus, probent. At tantum abeſt ut dialecticam, vel thoremata medica nunc ſpernam, ut ea prorſus neceſſaria cenſeam artifici cuique in hac facultate mediocri vel optimo: verum hoc maximè conandum eſſe dico, ut rerum videlicet imagines, quas voce, vel lectione, vel diſcurſu cordi affiximus, aptè rebus ipſis pro viribus adæquemus: nam hîc univerſus conſiſtit artis labor.

*Melior exercitatio actionis quam ſolius contemplationis.*

§. 4. Sed redeamus ad diverculum. Quæſo, ſi æſtate media, ex vitioſorum humorum copia, in acutam febrem incidat quiſpiam, vel pleura, vel aliqua alia thoracis particula, vel cerebri involucra, imò quævis corporis pars, inflammatione moleſta tentetur, differeſne purgare in autumno, quum æſtate moleſtum ſit? vel potius eveſtigio venam tundes, ventremque purgabis? quæ ſi non ſuffecerint, repente ad hæc recurrere iterum vereberis, ſi vires ferant? Sed, dices, acutos ponis morbos,

bos, quibus occurrere eveſtigio par eſt, nullas propagantes inducias. At ego dico, proceſſu temporis luem hanc acutum fieri morbum: nec hunc (ſi diutius hæſerit) natura ſola ſanat: At, quos ſupra enumeravi, febres ſcilicet, phrenitim, pleuritidem, aliarumque corporis partium inflammationes vel affectus, non raro curat, & in proprium habitum ægrum reſtituit.

*Lues venerea temporis progreſſu morbus acutus fit.*

§. 5. Sed non eſt, quod pluribus rationibus urgear circa ea, quæ aſſiduus uſus confirmat. Æquo ſanè animo cenſerem, ut qui hoc morbo, æſtivo vel hyemali tempore conflictantur, in ver vel autumnum producerentur ad curationem, ſi languentium laboris miſertus morbus, cum iis interea paciſceretur inducias. At quotquot horis ſævitiam hic in corpore inſerit crudelius: huic igitur æqua propugnacula, nullo non tempore, objicienda ſunt, nec proroganda: præterea, corpora, quæ aſſiduis laboribus exercebantur, ubi quieſcunt in aëre non penitus fervido, temperatè agere videntur, adhuc magis ſi loca juxta euripos incolunt, vel in montium ſummitatibus, quas perpetuo ſollicitant vel eurus vel aquilo.

*Omni tempore curatio ineunda.*

§. 6. Tutatur nos à caloris injuriis locus, virentibus proceriſque arboribus conſitus. At ille cui nil horum ſuppetit, iis acquieſcat licet, quibus numina addixerunt, moderatius parciuſque ſe defricando, moleſtos etiam labores ſuffugiendo: Hyeme verò tutius, & potiore fœnore exercitia vehementiora, atque etiam conſueta, obeuntur. Quos verò numina

*Loca tuta à caloris & frigoris injuria.*

mina opibus referſerunt, hos decebit triclinia ad uſum eligere, vel parare pro temporis ratione: auleis nimirum hyeme, aſſiduaque flamma, & hypocauſtis: Æſtate frequenter in cubiculo ſtratis frondibus, in aqua frigida apprime madidis, & his ſerve, in die, repetitis. Non tamen aquam in ſolum ſternere: putorem ſubinde, atque calorem excitat hæc: ſed pollubra, in varias cubiculi partes, aqua frigida oppleta, ſunt reponenda. aquam quandoque baculo agitando: ſub tote ſimiliter quercini, ulmei, ſaligni vel alterius generis ſimilium rami deciſi, parietique in conclavio innixi, juvant ad aëris calorem contemperandum; verùm ſingulo etiam die renovandi ſunt, & pollubra recenti aqua replenda. Sed minoris laboris erit, ſalubriuſque, ſi, juxta temporis exigentiam, opportuna domus haberi poſſit, quam hyeme meridies à fronte proſpiciat, tuta ab aquilone: ſecus, ſi urgeat æſtus. At hæc communia eſſe intelligimus, & iis qui illitionibus, & iis qui purgationibus aliis, vel etiam ſuffitibus, (de quibus infra tractabitur) ſubjicientur.

*Aqua in ſolum non ſternenda.*

*Domus pro ratione temporis commoda.*

---

## CAP. XXII.

### *Quibus cauſis defricti in graviora incidant ſymptomata.*

SYmptomata varia ad illitiones ſequi ſolent, quæ etiam plerunque ſunt formidoloſa. & majoris

majoris periculi quam principalis affectus: nimirum, exulceratio gutturis, linguæ, & aliarum partium; imò faucium, & totius oris, non levis tumor, qui non modo liquorum quantumvis tenuium deglutitionem prohibet, ſed & reſpirationem impedit: unde, niſi præſentaneis præſidiis occurreretur, ſuffocatus patiens, vitæ ſupremum diem ageret. Quandoque nihil horum penes guttur, vel fauces, apparet, ſed humorum per alvum larga effluxio, ex qua & moleſtæ dyſenteriæ fiunt.

§. 2. Horum autem omnium immoderatorum accidentium cauſa intrinſeca una eſt, humorum, ſcilicet, impetuoſa multitudo: Extrinſecæ verò commoventes plures, potentiora ſcilicet pharmaca, vel crebra, plus æquo, illitionum ſolicitatio, nimis pertinax ſudorum provocatio. *Gravium ab illitione ſymptomatum cauſa.*

§. 3. Pharmaca, ſive linimenta ipſa, variis modis fortiora fieri poſſunt, multa videlicet hydrargyri appoſitione, rerum calidarum immixtione, & unguenti tenacitate. Nam hydrargyri largior additio vehementius agit, eo quod tantum præbeat natura eorum, quæ ipſam formàm conſequuntur, quantum de forma ipſa: rerum calidarum immixtio, quod hydrargyro paratiores vias præbeat: unguentorum tenacitas, ob id quod pertinacius adhærent. *Linimenta quomodo fortiora juſto fiant.*

§. 4. Nimia illitionum ſolicitatio eadem etiam ratione verenda accidentia inducit, atque multa hydrargyri adjunctio. Pertinax ſudorum provocatio, eo quod valen-

tius hydrargyri vis in corpus imprimatur.

*Quomodo peccare poſſit æger.* §. 5. At dupliciter hîc peccare poteſt æger, vel quod aſperius, diutiuſque juxta ignem defricetur, vel, quod in lecto receptus, nimis anxiè ſudores provocet, præcipuè, ſi caput una cum corpore, eiſdem linteis, lodicibuſque obtegerit: quare attentum in iis omnibus artificem eſſe decet, qui voti compos eſſe cupit, ne anſam habeat unde immerito hydrargyrum accuſet. Sed quia hæc interdum prorſus regulate duci nequeunt, quum adeo difficile ſit omnia ſic ſimul nectere, ut ſingula ad amuſſim concurrant, vel propter patientis moroſitatem, vel artificis abſentiam, vel hujus ſegnitiem, vel ineptiam, vel ob perverſam à plebëis, vel potius mimis, medicamentorum adminiſtrationem; opus propterea frugi me præſtiturum duxi, ſi, qua arte, quove ingenio iis ſymptomatis gravioribus adverſari liceat, explanavero.

## CAP. XXIII.

*Quàm diu perfricandi patientes, & quibus auxiliis occurrendum, ſi graviore aliquo ſymptomate divexentur.*

EOrum, quæ multum prodeſſe ſolent, ſi rectè intellecta obſerventur; eadem neglecta non minus obeſſe, in quæ etiam crebrò junio-

juniores & imperiti peccant, non erit (arbitror) injurioſa repetitio.

§. 2. Attentus igitur eſſe debet artifex, poſt illitionem quamcunque, in notandis ſingulis, mox apparentibus, ſymptomatis, cum quandoque uſu compertum ſit, unicam defrictionem ſatis fuiſſe, plerunque binas, vel ternas (quod mihi vidiſſe accidit,) nihil moviſſe: ita ut tantum decimaquinta aliquid oſtendere penes gingivas occiperet, quem decimaoctava illitione addita, liberavimus: ſic ut neque numero fidendum ſit, neque pharmacorum fortitudini; quæ ſanè potentiora iis, quæ ſupra notavimus, parari non conſulo, quod tutiora ſint quæ ſenſim fiunt. Secus haud dubie contraria faciunt, impetu nimirum prorumpere fluxiones ad fauces, vel anum cogunt. *Attentio artificis.*

§. 3. Quare animadvertendum eſt, cum gingivarum ora tumentia fieri incœptant, vel alvus turbari, vel, nullo horum apparente, ſi ulcera egregie ſunt cute obducta, vel dolores prorſus deleti, tunc inungere deſine; & hos, quibus nec dyſenteria, nec oris fluor, fuere moleſta, unius menſis ſpatio, ſingulo octavo die, leviter refricare tutius erit, non deſiſtentes à conſuetis negotiis, die frictionis excepta: quos omnes frequenter inviſere par eſt, quo, ſi accidentia aliqua æquo majora prorumpere videantur, è re nata ocyus occurras. *Colluendum os*, dum pituita fluit, *hordeacea decoctione cum roſaceo ſyrupo* immixto: Viſcera, dyſenteria conflictata, *clyſteria ex jure pulli gallinacei, cum roſaceo melle* detergere. *Quando ab illitionibus deſiſtendũ.* *Oſſis lotio.*

§. 4. At,

*Symptomatis invaleſcentibus quæ praſtanda ſint.* §. 4. At, quum ſymptomata hæc invaleſcere cernis, ubi ſcilicet inferioris mandibulæ extrema, moleſtiſſimis ulceribus premuntur, vel lingua & fauces tumere incipiunt, unde ciborum deglutitio gravis fit, veſtes ac lintea omnia circum patientem renovabis, quotidieque albam ſubuculam induat: &, ſi ultrò tumorem augeſcere percipias, ægrum totum *lixivio* calente lavabis, & ſpongiis abſterges: *Gargariſmus.* *gargariſmis* utatur ex *hordei decocto cum plantagine & berberis*, modo tepide, modo frigide: nam ſemper frigidum nocuum eſt, conſtipat autem; nec ſemper calidum juvat, ubi fluxus augetur, trahit enim & ipſum: mutuo igitur repetendum eſt utrumque. *Omphacium* autem aliquid lavacro immiſcere juvat, ſi ulcera vehementius non mordeat.

*Vena ſectio.* §. 5. Quod ſi iis præſidiis non cedat, illico *venam* ſecato *cephalicam*, ex cubito affectæ parti proximiore, ſanguinem eliciendo pro virium ratione. *Potio purgans.* Quod ſi, infra horas quatuor, nil penitus imminuti appareat, potum *purgantem* eadem die bibendum dato, quod valentius evacuat ſine nauſea, ut hoc *Rec. Syrupi roſati laxativi* ℥ iij. *electuarii roſati Meſuæ* ʒ iij. vel, ſi æger robuſtis ſit viribus, ad ʒ IV. ex electuario ſi immiſceas, non officies, imò juvabis & tutius & celerius: *diluantur* hæc *aqua hordei*, vel *ſtillatitio cichorei*, vel *jure pulli*: Vel, propina ℥ IV. *ſyrupi roſati laxativi*, *cum jure pulli*, vel *cum ſtillatitio cichorii*, in quo incoxerint ʒ iij. *foliorum ſenæ*: nam, ſi hic tantum alvum lenire intelligas, impetum graviorem ad fauces irritabis,

irritabis, qui prorſus eſt ad contraria, omni ingenio & promptitudine, revocandus, quod lenitiva non præſtant, niſi abundè infuſeris. Ab iis *frictiones* extremis partibus adminiſtrandæ veniunt. Nunquam, herclè, tam gravem tumorem offendi, (quamvis graviſſimos quandoque viderim) quem valens purgatio, vel penitus non aboleverit, vel prorſus periculi expertem ægrum non reddiderit, ſic ut, repetito leviore pharmaco, reſiduum mali nullo diſſidio evaneſceret.

§. 6. Cum igitur miteſcere omnia manifeſtè noveris, *os* quandoque *lavabis* lotione infraſcripta: *Recipe, aquæ decoctionis hordei* ℥. viij. *mellis* ℥iß. bulliant parum ſimul, mox colatis, adde *aquæ roſarum* ℥ iv. *aceti ſcillitici* ℥ ij. vel iij. & ex hoc interdum os colluat; moderatur enim mirum in modum oris fœtorem, gingivas reſtaurat, & ulcera ad cicatricem perducit, nulla in re naturæ opus impediens. Juvat etiam ſub finem fluxionis aliquid *aluminis* permiſcere. *Lotio miteſcente morbo ori adhibenda.*

§. 7. *Nutriendi* ii ſunt epulis liquidis, ut *contuſis ex pullis*, vel *juribus expreſſis à vervecis, vel vituli, coxa aſſa*, vel *juribus carnium minutim inciſarum, in vitreo vaſe coctarum per balneum*, ut ajunt, *Mariæ*: coquuntur autem hæ ſolæ, ſine aqua vel liquore alio, excepto tantillo ſalis, vel etiam ſine hoc: præterea, & *panatellis* liquidioribus, in jure carnium paratis, & ſimilibus aliis: *potus* ſit *hydromel* cum *cinnamomo*, vel *ſaccharum* loco *mellis* incoquatur, vel *aqua fontana* non cocta, duobus poculis vel lagenis *Victus.* *Potus.*

mutuo

mutuo agitata, cum *ſaccharo & electo cinnamomo*, plus minuſve pro patientis arbitrio. *Vinum* autem vitandum, donec oris formidoloſa omnis moleſtia fuerit excuſſa.

*Veſana inexpertorum reformidatio.*

§. 8. Sed plerique hîc *purgationes, ſanguiniſque miſſiones*, abhorrere ſolent, naturam reformidantes ab incepto munere revocare, non intelligentes illam potius iis præſidiis levari, ſi ratione adminiſtrentur, quibus omiſſis ſuffocationi, vel ingenti ſaltem totius faciei corruptelæ, proxime ſubigetur: quare intrepide iis præſidiis occurrere à principio debet ſagax quicunque artifex, ratus, pernicioſiſſimum eſſe, in hac ſymptomatum vehementia, vel eorundem ſubita excreſcentia, à venæ ſectione, vel totius corporis purgatione, abſtinere, vel etiam à lavacris vel balneis, univerſo corpori adhibitis.

*Dyſenteriæ ſupervenienti quomodo occurri poſſit.*

§. 9. Si verò ad rectum inteſtinum irrumpentes humores, dyſenteriam faciant, nil primo & ſecundo die agere licet, quod naturam avocet ab incepto officio: licebit tamen *lavacra* in ventrem inferiorem indere, ut *ex jure carnium cum ſacchari* vel *mellis* tantillo: Quod ſi illa moleſtiſſimam ſe præbeat, ocyſſime etiam eſt reſiſtendum: nam, ut gutturis inflammatio, præcluſo ſpiritu, animam ſuffocare poteſt, ita dyſenteria gravis, quod corpus nutrire eſt paratum, effundit, & jam tranſmutatum liquat, & inteſtina lancinat.

§. 10. Removendi ſunt igitur panni omnes, qui illitionum aliquid veſtigii ferunt, & æger lavandus, ut mox diximus: præter hæc, *mu-*

*nienda*

*nienda* ſunt craſſa inteſtina, quo impetum hunc ferre valeant: inſtar autem loricæ hæc ſervant, *pingues clyſtêres* cum *hirci adipe* parati, vel cum *jure pinguium inteſtinorum vervecis vel bovis*. Interea *repurgandum* eſt corpus, ut quod natura in plures dies languide dejicit, medicamento adjuta, uno die explodat, quo ſubinde corpus reſumere vires valeat: medicamentum ad hoc accommodatiſſimum eſt *rhabarbarum*, & *ſena folia*, *in tenuiſſimum veluti pollinem* exhibita, vel *horum infuſa*, puta ſingulorum ʒ ij. cum *cinnamomi* ʒ j. in aqua, vel jure pulli, macerentur ad horas octo decemve, mox expreſſuræ addatur *ſyrupi roſati laxativi* ℥ j. & unica potione devorandum detur. Vel, ex *rhabarbari & foliorum ſenæ utriuſque* ʒ j. cum *ſyrupo roſato* excepta, fiat *bolus* & devorandum detur: vel, ſi *ſenam* ſuſpectam habeas (qua profecto fœliciſſimo ſucceſſu & hîc & in aliis dyſenteriis non raro ſum uſus) *rhabarbarum* exhibeas ſimplex, ad ʒ i ß. vel ʒ ij. Pauperes vero ſola *ſena* evacuo, fœliciſſimoque numine ad ʒ i ß. vel ad ʒ ij. uſque in ſubſtantia, vel ad ʒ vj. vel ad ℥ j. in infuſione: alia autem præter hæc parari medicamenta purgantia poſſunt ad hunc finem accommodata. Eſt autem ſcopus, peccantem humorem celeriter educere, mox leviter reſtringere: quare tuto, repetito rheo vel purgatione alia, *myrobalani* vel aliud, quod adſtrictione polleat, addere vel immiſcere poteris. Ab iis fovendum totum epigaſtrium ſpongia, in hoc decocto infuſa expreſſaque, & calida quantum commode ferri poteſt. *Recipe*,

*Purgatio.*

*Pauperum purgatio.*

*Fotus epigaſtrii.*

*ſipe*, *vini optimi nigri & auſteri* ℔ x. *aquæ fontanæ* ℔ vj. *gallæ*, *omphacitis*, *& balauſtiorum*, *ana* ℥ ij. *roſarum rubrarum ſiccarum* ℥ j. vel *viridium m.* j. bulliant ad uſum, pro fotu. Sollicitetur pariter clyſteribus, in quibus levis adſtringendi, cum modica refrigeratione & reſtrictione, vis inſit, ut *decoctum ex aqua* cum *abundanti plantagine*, *ſolatro hortenſe*, *roſis*, & *cauda equina*: &, dum indere voles, *ſaccharum* vel *mel*, addas, ad ℥ ij. vel iij. omnibus oleaginoſis omiſſis vel pinguibus, niſi dolor inſtet: at ſi dolor adſit, licebit, imo forte neceſſum erit, ſingulo die unum, vel etiam alterum indere, ex juribus inteſtinorum, ut dixi, addito *oleo roſato*, vel *butyro recenti*, & alterum ex aliis, in quo nil pinguedinis adſit. *Fricanda* præterea brachia & humeri, pannis calidis: provocandique ſunt humores ad veſicam decoctis ex herbis & radicibus id efficientibus ſine calore, ut *polytricho*, *adiantho*, *cetarach*, *agrimonia*, *acetoſa*, *lupatio acuto*, additis *ſeminibus acetoſæ*, *petroſelini*, *berberis*, *ſumach*, *radicibus petroſelini* & ſimilibus, coctis in jure pulli gallinacei, aqua primo chalybeata. *Nutriendi* ſunt frequenter, & cibis boni alimenti, ut *pullis*, *vitulo*, *aviculis elixis*, vel *aſſis* pro patientis nutu, & iis, quoniam omnem cibum ſtomachantur, libenter (l) *tuceta* aliqua concedimus, inſuper & embammata, vel intinctus ex *agreſta*, vel ex acetoſa, vel ex *berberis*, vel

*Clyſteres.*

*Frictio.*

*Diuretia exhibenda.*

*Victus.*

(l) Tuceta ſunt condimenta, quibus caro bubula conditur: & apud Gallos Ciſalpinos bubula ipſa caro dicitur, condimentis quibuſdam craſſis oblita ac macerata, ac ideò toto anno durans.

(m) Sci-

vel (m) ſcitamenta alia, quibus recreatus guſtus, reliqua non averſetur: Epulæ quæ elixantur, cum *aqua chalybeata* parentur, largè *berberos*, *ſumach* & *hordeum* incoquentes. *Potus vinum* abundè aqua perfuſum chalybeata, in qua & *berberis* & *acetoſæ ſemina* fuerint incocta copioſe. Cæterum quia ſumma ſiti infeſtantur, hos penitus ſine potu inter cibaria cogere non congruit, nec pro illorum arbitrio pocula porrigere juvat: conducit tamen quandoque, quò tanta ſoletur moleſtia, aliquid offerre vel ex *vino lymphato* ut præcepimus, vel ex *aqua chalybeata* cum *berberis* cocta, cui *ſaccharum* immiſcebis, ſi patienti gratum fuerit. Nunc ad ſuffitus procedamus.

## CAP. XXIV.

### *De cura per Suffitus.*

SAne cum experientia fuit cognitum, linimenta, cerata, ſuffituſque, hydrargyrum recipientia, exiguo negotio, tetrum hunc livorem arcere, quod ægrè alia remedia efficere poſſunt: Freti plerique medicorum, hydrargyrum ſtomachantes, id ex forma tantum medicamentorum, ſenſui manifeſta, productũ iri, illitus varios ac ſuffitus diverſorum generum excogitare cœperunt hydrargyro vacuos, ſpe hujus peſtis à corpo-

(m) Scitamenta ſunt edulia, ex eo dicta, quod ſciti ſaporis ſint, h. e. egregii & præcellentis.

corporibus profligandæ. Haud tamen ve compotes fuere : ita ut uſus edocuerit, *nullu* apud nos hactenus eſſe cognitum medicamentorum genus, quod extrinſecus applicitum, ægros hac lue convictos, tam egregiè juvet, ac ea, quæ, hydrargyro admixto, arte ſunt rationeque adminiſtrata.

*Suffituum cinnabarim recipientium præſtantia.* §. 2. Inter præcipua igitur remedia, quæ ad hunc affectum conferre poſſunt, poſt illitiones ſpleniave, *ſuffitus*, *cinnabarim* recipientes, connumerabuntur. At hos præferimus, ubi ulcera maligna aliquam corporis partem populentur, nares præcipue, vel guttur, quæ aliis remediis ſummo cum labore ſuccumbunt, tum propter locorum affectorum munus, tum quia eorum figura, vel ſitu, medicamenta adhærentia diu ferre non poſſunt.

*Venæ ſectio.* §. 3. Curaturus igitur iis præſidiis, quem hæc ulcera ſolicitent, ex ſuprema *vena in cubito*, affectam partem reſpiciente, ſanguinem elice, ad ℥ viij. occluſa vena, illico tantundem plus minuſve, pro virium ac ſanguinis corruptelæ ratione, ex altero brachio deme: at, ſi vires langueant, in ſequentem diem differas, vel circa veſperas ejuſdem. Tribus ſequentibus

*Purgatio.* diebus, iis medicamentis corpus *purgato* : *Recipe*, *cichorii*, *agrimoniæ*, *betonicæ*, *ana m.* j *ſtæchados pug.* j. *hypericonis m.* ij. *polypodii* ℥ i ß. *liquiritiæ*, *paſſularum*, *ana* ℥ j. *caricarum num.* vj. *aquæ fontanæ* ℔ ij. bulliant ad tertiæ partis evaporationem : ſub finem coctionis adde, *foliorum ſenæ* ℥ j. & perquam exiguo tempore ſimul bulliant : mox ab igne olla ſemota, inde,

*cinna-*

*cinnamomi* ʒ ij. *ſeminis aniſorum* ʒ i ß. & obturato vaſe reſideat: quo refrigerato, coletur cum modica expreſſione, & in vitreo vaſe ſervetur ad ſequentem uſum. *Recipe, ſyrupi de fumo terræ compoſiti, ſyrupi roſati laxativi ana* ℥ i ß. *confectionis hamech* ʒ iij. *decocti præſcripti* ℥ iv. miſce, fiat *potio*, capiat die ſequenti à ſanguinis miſſione. Mox, dierum trium ſpatio, matutino tempore, ſumat omni mane, ex præſcripto decocto ℥ iv. addita *ſyrupi roſati laxativi*, & *de fumo terræ compoſiti*, *ana* ℥ j. pro quavis doſi. Iis expeditis, una die quieti interpoſita, ad hoc te conferes. *Recipe, maſtichis, thuris, ana* ʒ j. *ſtyracis liquidæ* ℥ j. *cinnabaris* ℥ i ß. terenda, craſſe tundantur, ſtyraceque excipiantur. Vel hoc, *Recipe, ſtyracis calamitæ* ʒ iij. *maſtichis, baccarum juniperi, myrrhæ, ana* ʒ ij. *cinnabaris* ℥ ij. omnia craſſo modo terantur, miſceantur, in pixideque, vel papyro, vel alio quovis vaſculo reſerventur ad uſum. Vel hoc, *Recipe, ſtyracis calamitæ, baccarum juniperi, ladani ana* ʒ ij. *myrrhæ, maſtichis, ana* ʒ iij. *cinnabaris* ℥ ij ß. miſce, ad uſumque recondere.

*Materia ſuffitus.*

§. 4. Paratur itaque ad hoc genus præſidii, tentorium aliquod, vel conopœum ex linteis vel pannis, ſive conclaviolum ex tabulis contextum, vel ex cæmento calceque ita conſtructum, ut fumus exire facilè minime queat, exigua feneſtra relicta, quæ loco occludi & recludi poſſit, per quam æger fumo & calore preſſus, reſpirare liberè quandoque valeat, nec vapor exeat. Calefiet igitur primo tentorium, impoſito labro prunis oppleto, ibidemque

*Locus ad ſuffitus qualiter præparandus.*

que ſit ſcabellum vel ſedes, alia arte facta, ac perforata, necnon undequaque aperta, ſuper qua patiens nudus ſedeat, faciem vergens verſus feneſtellam, vel tentorii aperturam. Mox prunis ſupergeritur ʒ j. ex aliqua ſupraſcriptarum compoſitionum: hoc evaporato, iterum tantundem impone; quo item abſumpto, ſi ferat æger ſine graviore moleſtia, aliam adhuc drachmam injice; qua diſperſa, calido linteo craſſiore, in tentorio prius poſito ac extenſo, obducatur, & in ſtratum calefactum ac proximum recipiatur, ſudareque tentet. Abſolutis ſudoribus, linteis tergatur calidis, mox in alteram ſtrati partem receptus, linteam ſubuculam induat, & quieſcat hora una vel altera. Quod ſi viribus polleat, ſtratoque ſurgere certet, nil oberit, modo frigoris injurias caveat.

*Modus ſubeundorum ſuffituum.*

*Tempus.*

§. 5. Si autem vires conſtent, *mane* & *veſperi* adminiſtrari tuto poterunt: ſin minus, ſat erit iis *ſemel* in die uti, vel etiam *alternis* diebus, ſi vires demiſſæ videantur. *Hora* commoda erit *matutina*, vel etiam *veſpertina*, *quinta* ſaltem poſt prandium: ſumat tamen patiens, ante ingreſſum, panem in vino lymphato maceratum, ſuperpotetque ex eodem, vel alio recenti, vino aqua perfuſo. Admonendus præterea eſt patiens, ut ſi ſe *ſyncope* præhendi ſentiat, dum ſuffitibus inſidet, ſtatim ex feneſtra, vel conopœi inciſura, aërem liberum inſpiret, alioquin exanimis cadet: Quare arte etiam ſunt parandæ prunæ, quo, ſi illum decidere contingat (quod ſæpe accidit) non uratur: Verum hæc omnia, aliaque ad rem conferentia,

*Quid faciendum ne patiens ſyncope prabendatur.*

tia, quiſquis vèl paululum fuerit in arte, exercitatus, naviter præſtabit, alieni conſilii non egens.

§. 6. Tam diu in his eſt inſiſtendum, quoad ulceribus moleſtari gingivas noveris, vel fluxu alvum tentari, vel ulcera gutturis, narium, aliarumve partium cicatrice obduci conſpexeris: quod ſi cum iis ulceribus, juncturarum, vel etiam partium carnoſarum aliquo dolore tentetur, non inutile erit illam leniter illinire, dum in tentorio eſt patiens, ex aliquo ſuprascriptorum unguentorum, hydrargyrum recipientium. *Quamdiu ſuffitibus utendum.*

§. 7. Si alvus ſicca ſit, movenda eſt quandoque ex ℥ ß. *pilularum cocciarum*, vel *de fumo-terræ*, vel ex ℥ iij. *confectionis hamech*, vel ex *decocto* ℥ ß. *foliorum ſenæ*. Nec ab inſtituto naturam iſthæc retorquent, licet adverſam ſententiam (ut antea etiam diximus) plerique, jejunis rationibus contendentes, perſuadere quandoque mihi ſint conati: fretus tamen, recto periculo, & rationabili, aſſiduo, fœliciqque uſu, horum fucatas rationes, quæ nunquam me latuerunt, jure ſperno, ubi iis eſſe, opus percipio. Idem de *ſanguinis miſſione* intelligendum, præcipuè, ſi fauces inflammentur plus æquo, cui etiam frequentiores ac valentiores purgationes conferent: rationes enim eædem ſunt, ac eæ quas in tractatu de illitionibus expoſuimus, necnon ſymptomatum ſupervenientium correctio, ratioque victus, eadem. Sed jam tempus inſtat, ut ad alia nos conferamus. *Ad movendam alvum.*

## CAP. XXV.

### *Quòd Hydrargyrum venenum non ſit, neque corporibus humanis nocuum, niſi perperam fuerit admotum.*

ADmiramur plerunque, varia animatorum genera, adeo eorum ducem imitari, ut quacunque cœperit ille viam, cætera, ſine ulla indagine, ordine perſequantur; ſic dux apum regit examen, & ſectarius vervex gregem: horum more ſectatur belli ducem agmen, ita ut ferè perpetuo, ſub hujus arbitrio, totius exercitus vita morſque juxta pendeant. Horum exemplo nonnulli medicorum ducti, haud ſecus quam equi, fræno coacti, vel calcaribus preſſi, ea tantum celebrare vel redarguere audent, quæ alter aliquis, cui ſerviliter famulantur, commendaverit, vel contempſerit, nulla recta experientia, vel ratione firma eadem comprobare, vel refellere nitentes.

*Cur hydrargyrum aliqui vituperent.*

§. 2. Hinc fit, ut hydrargyrum plerique, ceu perniciosiſſimum venenum, deteſtentur, nullo præſtantiore argumento fulti, quàm quia talem eſſe, ex quorundam antiquorum ſcriptis hauſerint: Addunt præter hoc, hydrargyri foſſores, vel aurifices, qui diuturno uſu hanc fodiunt, purgant, tractantve, nervorum tractione torqueri, etiam & lagophthalmos & ectropios fieri, qui palpebrarum affectus ſunt, ille ſupernæ, hic verò infernæ palpebræ contractio. Adducunt inſuper ſymptomata

omnia

omnia, id genus medicamenti conſequentia: præterea, aliqui, carie circumveniri oſſa horum patientium, hydrargyri gratia, affirmare audent.

§. 3. Aſt producere hîc verba Montani fortè abſurdum non erit; ait igitur: Semper enim cuicunque applicatur (de hydrargyro loquitur) repellit, & ſummopere penetrat, & nullum commercium habet, præterquam cum auro, & præ nimia ſua frigiditate & penetrandi vi, ſive hoc habet à ſua forma ſpecifica, cuicunque applicatur, repellit, &, cum occurrit membris principalibus, interficit ſicut venenum, ideo antiqui abhorrebant ipſum, Arabes tamen admiſerunt: ſed apud Græcos nunquam videbitis uſum ipſius, loquor enim de Græcis antiquis, ſicuti fuit Hippocrates, Galenus, Oribaſius, Alexander Trallianus: Ideo videatis Galenum *cap.* de *argento vivo*, dicit, Ego non cognoſco hydrargyrum niſi pro veneno, & nihil aliud de ipſo vult dicere: *paulo infra hæc loquens Montanus de linimento Joan. de Vigo, ait*, Ego quoque cum junior eſſem, uſus ſum iſto linimento, & viſus ſum ſanaſſe aliquos, cum tamen non ſanaverim: nam redibat poſtea deterior priore. Ideo cum hoc viderim, converti me ad Galenum, & cognovi quod argentum vivum repellit omnia quibus occurrit, dilatatque vias, & expellit quidquid humoris invenit, & non ceſſat iſte motus dum humor craſſus, aduſtus & pituitoſus, expulſus ſit vi ipſius, & quia illinuntur ex- trema,

*Montani verba, adverſus hydrargyri uſum.*

*Vid. Gal. l. 4. de ſimpl. med. fac. c. 19.*

*Ejuſdem verba de unguento Jo. de Vigo.*

„ trema, ideo humores coguntur retrocedere,
„ & devenire ad ventrem medium, &c. Sic
„ igitur thorax repletur illo veneno, &c. Sed
„ quam hoc ſit bonum, júdicetis vos ipſi, ſi
„ cum materia mala tendit de ſe ad ignobilio-
„ res partes, vos autem repellitis ad nobilio-
„ res, an ſit bene factum, necne: præterea
„ advertatis, an illa ſit conveniens via edu-
„ cendi illum humorem, &c. Et ideo iſti ha-
„ bent ſua membra ſpiritalia perpetuò affe-
„ cta, nec floridum colorem habent, qualem
„ habere ſolebant, marcidæ factæ ſunt gin-
„ givæ propter humores, qui eas corrodunt
„ partes. Ideo dentes longi & nigri fiunt, à
„ fœdis vaporibus, propterea anhelitus fœ-
„ tet, &c.

§. 4. In iis contineri videtur univerſus argumentorum acervus, quibus Montanus, & plerique alii, hydrargyrum venenoſitatis inſimulant, vel, etſi venenum minimè foret, ejus tamen uſum criminandum, ac funditus deteſtandum eſſe decernunt, tanquam exitiale, & penitus naturæ humanæ adverſum præſidium, quum noxia, quæ nativus calor ad extremas repellit partes, hæc eadem opinentur ab hydrargyro ad intimas iterum repelli. Addunt, quod gingivas rodit, & dentes fœdos efficit, oriſque fœtorem inducit, neque ægros perpetuò, neque integrè ſanos, reſtituat, ſed veluti fuco obducat, ſic ut tantum ſimulet ægros ſanos reddere, cum tamen id minimè præſtet.

§. 5. Quæ ſi vel omnia, vel potiorem partem,

tem, haud temere hydrargyro objicimus, hanc ego ſanè, cum cæteris hujus ſententiæ hominibus, omni deteſtatione dignam judico: Verùm, utriuſque partis jus primum ſyncera, ac minimè rudi, trutina penſandum eſt, ne (perinde atque imperiti facere conſueverunt) incogitatè ſententiam pronunciantes, deſpiciendis indignam victoriam, vel immeritum facinus ſtrenuis probiſque, aſcribamus.

§. 6. Auſpicemur igitur à Galeni ſententia, vel ab eorum qui hydrargyrum venenum eſſe aſſerunt. Porrò Galeni verba aliter ſonant atque Montanus retulit, quod erroris genus lubens quidem libello Galeni tribuerem, quem fortè Montanus tunc depravatum habebat, ſed en Galeni dictum, *Hydrargyrum non eſt ex ſponte naſcentibus medicamentis, ſed ex iis quæ præparantur, veluti pſymmithium, ærugo, pſoricum, lithargyros, nullum autem ejus feci periculum, neque quod interimat ſi devoretur, neque ubi foris admota ſit.* Ecce, quomodo Galenus hydrargyrum reprobet. Sed eſto quod improbaret, quod quidem & alii multi facere non dubitarunt, æquum ne propterea eſt, horum nutu perciti fretique, & nos id ſtatim confirmare, ac ſi omnino ab eorum oculis vel ore penderemus? minime gentium, niſi perpetuo animo fluctuare velimus, quum ad omnes partes ſuperſint ſuffragia; criminatur hic, ille approbat; indeciſamque ſententiam producit alius; Quid igitur agendum, ubi ad invicem ſic pugnant ſententiæ? Ariſtotelem, Galenum, rationemque, conſulere oportet. Hippocratis, necnon

*L. 9. de ſimpl. med. fac. cap. proprio.*

*L. quod animi mores c. 9.* aliorum antiquorum ſcriptis, fidem præſtare non recuſabat Galenus, eo tamen uſque illis fidens (ut ipſe ait) quo lubens diſſentire potuiſſet, ſi illorum dictis rationem vel experientiam refragantem noverit. Quid igitur? eiſdem ne legibus priſcos obnoxios eſſe par eſt, quas ipſimet unà cum omnium ſapientium cœtu irrogaverint? Veritas igitur in omnibus præferenda eſt, quam hîc excogitare, neque res ipſa, neque cæterorum quippiam, vetat.

*Duplex via veritatis indagandæ.* §. 7. At, cum duplex ſit via cujuſque veritatis indagandæ, demonſtratio videlicet, & inductio, illa eorum, quæ ſenſibus abſtruſa ſunt, notitiam adferre conſuevit, hæc verò eorum, quæ penes nos ſunt: Inductione igitur (quæ ſanè nil ſupra ſenſum exagitat) inquirenda eſt noſtri negotii veritas. Quid igitur ſenſus edocet? palpebrarum, vel forſitan nervorum quorundam, contractionem in iis, qui hydrargyrum contrectando, omnem fere ætatem agunt:

*Rationes probantes hydrargyrũ non eſſe venenum.*

1\. At hæc non venenoſitatem, ſed ſiccitatem arguunt; nam conſumpta plus æquo humiditate partium, contractiores has reddi neceſſum eſt.

2\. Superaddes, faucium, imò & univerſi oris inflammationem, gingivarum roſionem, dyſenteriam & alia conſequentia, quæ quandoque periculo non vacant. Sanè, quòd hydrargyri uſum hæc ſequantur, nemo jure inficiabitur. Sed, num hujus qualitas, per ſe & primo hæc præſtet, vel per accidens potius, nondum omnes nórunt. Cedo, quid in patientibus, qui hydrargyrum nunquam ſunt experti, varias corporis partes inflammat ac rodit,

rodit, ne oſſibus quidem parcens? quid eos plumbeo illinit colore? quid alia varia ac acerba ſymptomata promovet, fovet, augetque, ante hydrargyri uſum, præter humorem vitiatum? At idem eſt, qui ab illitionibus, & fauces & inteſtina vexat acrius: non quippe iſmet, qui per cutem, ac alias extremas partes, erat diffuſus, quod hic & medicamenti munere, & naturæ officio, in ſudores vel in inſenſibiles halitus converſus, disjiciatur; ſed ille, qui nondum vitiatus, in intimas partes vagabatur, paratus tamen ad extremas fluere, ubi & vitium contraxiſſet, & morbum foviſſet.

*Symptomatum, quorum hydrargyrus inſimulatur, cauſa potius eſt humor vitiatus.*

§. 8. Sed obloqui hîc licet, quod humorem, non adhuc infectum, expelli dicam, efficiat tamen hîc ſæviſſima accidentia, cum confertim ad fauces irrepſerit, vel ad rectum inteſtinum fuerit deturbatum: nam hæc ſine aliqua humoris corruptela fieri minimè ſolent. Mirum ſanè hoc videri non debet, hæc ſcilicet ſymptomata excitari ab humore, qui, dum intrinſecus eſſet, corruptela vacaret, alias tamen in partes productus, vitium acquirat: ut, ſi ſanguis, plus æquo, in aliquam partem fluat, neceſſum eſt eum utcunque in alienam, à naturali, qualitatem tranſmutari, vel in pus verti, vel naturæ ſive artis ope dejici. Quod facilè patet per eos, qui integra ſanitate fruuntur, ſi hydrargyro illinantur: nam eiſdemmet ſymptomatis implicantur, quibus exerceri ſolent patientes defricti, quos hæc lues ſævius torquet: quod hercle plerunque obſervavi in famulis, vel tonſoribus, qui ægros perfricabant,

*Objectio.*

*Sani, ſi hydrargyro illinantur, eadem patiuntur quæ ægri.*

bant, hujus effectus ignari, qui ſe mox eundem morbum contraxiſſe metuebant, quum ſimilibus ſymptomatis premerentur, ac, quos illeverant, patientes; nimirum, alvi vel oris fluore, gingivarum roſione, putore, inflammatione, ulceribus, & ſimilibus, licet in affectis corporibus omnia durius affligant, præ vitio humoris, & illituum multitudine. Aſt infectiſne humoribus ſcatebat hic qui ſanus erat? Hinc colligere poſſumus, humores neceſſario putredinem aſciſcere, ſi in aliquam partem uſque ſupraque, quàm par ſit, delati fuerint, ibique, præter naturam, moram contraxerint: ex quo fit ut horum multitudine, vel lentore, gravata parte, & concoctrix, & expultrix ejuſdem facultas, fiat imbecillior; hinc obſtructio, humorum retentio, dolor, putredo, ulcus, fœtor.

§. 9. Sed redeamus unde divertimus. Humorum igitur multitudo, & vitium, ad fauces, vel anum erumpentium, plurimorum medicorum conſenſu, horum ſymptomatum authores & fomites ſunt, hydrargyrum velut cauſam moventem habentes: Unde igitur venenoſitatis hujus argumenta alia ſuggeri poterunt? nam devoratum non interimit. Scurræ certè ſunt plurimi, qui divitum nutu, vel exiguo expoſito præmio, ternas & quaternas, & denas uncias hauriunt, ſine damno, illam mox per alvum dejicientes; ex iis unum novi, & alios plures eſſe audio: Noſco inſuper, & qui pilulas, hydrargyrum recipientes, dierum quadraginta & ſexaginta ſpatio, frequentarunt

3. *Quidam hydrargyrum in magna copia hauriunt ſine damno.*

runt ſine ulla noxa, imo potius cum utilita-
te; & alios, cum integra hujus morbi ſolu-
tione, harum tantum pilularum munere:
non autem hoc venena efficiunt. Præterea, 4.
hydrargyro arte illita corpora jamjam hac lue
confecta, quæ nullo alio præſidio levari poſ-
ſunt, hoc ſolum plerunque, divini auxilii in-
ſtar, libera reddit, in priſtinamque ſanitatem
reſtituit, vel in habitum huic proximum:
nonnunquam etiam & in meliorem, quàm
natura conceſſerit. Quod etſi iis, qui in di-
ſcurſu vel ratiocinatione plus temporis abſu-
munt, quàm in rerum tractatione, difficile
creditu videatur; individua tamen, frequentia-
que experimentorum, amplam ſatis, de hoc
negotio fidem faciunt. Quæ ratio homini-
bus perſuadere potuiſſet, ut aqua aliqua fer-
rum liquare valeat, vel aurum ab argento di-
videre, niſi experientia id nobis primum in-
notuiſſet? Plura quidem, ſolo diſcurſu exagi-
tata, ſui exitus impotentiam ante oculos ob-
jiciunt, quæ fieri quandoque poſſe uſus oſten-
dit: quare ſolis rationibus contendere, legiti-
mum non eſt, ubi inductio præeſſe poteſt.

*Uſus multa probat quæ ratiocinatio non conſequitur.*

§. 10. Non omnes id genus languentes
morbo liberat! Non inficior equidem: prohi-
bet enim plerunque vel patientis mollities in-
temperantiave, vel tractantis ſegnities, vel
imperitia, vel etiam morbi ipſius vehementia,
in languidis viribus firmata: at horum ali-
quot, niſi divum numine emergant, mors
tantum excludet. Sed nunquid hoc huic ge-
neri auxilii ceu proprium, tribuere convenit?
quæ

*Objectio ſecunda.*

quæ præſidia, etiam in morbis, quibus conferre ſolent, perpetuo optatum conſequuntur finem?

*Objectio tertia.* §. 11. Fœtidum os reddit ex hydrargyro illitio! Non ſemper, neque in omnibus: Excipiuntur autem ii, quos alvi fluor liberat, brevique in aliis corrigitur, qui temperatè vivunt; diutius edones occupat, ac qui affatim merum potant, quos & præter hoc alia plerunque ſymptomata urgent. Sed eſto, quòd & hoc vitium perſeveraret, neque quemquam exciperet, præferet ne adhuc quiſque, doloribus exagitatus, ulceribuſque exeſus, cum halitu nonnihil ingrato (qui tamen ſibi non obeſt,) tranquillè diutiuſque vivere, quàm in aſſiduis languoribus, exiguo tempore, mortem oppetere?

*Objectio quarta.* §. 12. Addes, oſſium cariem in aliquo horum cadaverum fuiſſe inventam! Fateor: at hoc commune eſt utrique, videlicet & illitis, & aliis, quos ſine hydrargyro hic livor conſumpſit. Ab iis, neque ulceribus applicitum hydrargyrum veneni veſtigium ullum præ ſe fert, imò, quæ ſine vitio offendit, cicatrice obducit; moroſa verò, (ſi eorum quæ in medio ſunt corpore, diligentem curam habueris, perinde atque rationalem medicum decet) corrigit emendatque.

*Hydrargyrum ad interna noxios humores non repellere.* §. 13. Reliquum eſt igitur, ut hac tantum ratione hydrargyrum de medio tollendum dicas, quod noxios humores, ſua frigiditate, ad interna recutiat: Verumenimverò, neque hoc facilè concedi poteſt, eo quod multa alia incom-

incommoda ſequerentur : reprimeret enim, ſimul & ſanguinem; unde jecur, & cor, ex tam præcipiti humorum vitiatorum refluxu, ab univerſis corporis partibus repercuſſorum, extremum obire munus cogerentur. Idem ſequi ( vel fortè pejus ) fas eſſet, ſi vitiatos humores, à ſanguine ſejunctos, ad interna propelli contendas, quod hos non æque regerent viſcera, ac ſi ſanguini commixti eſſent. Præterea, hunc aditum proceſſumque ( ſi ſingula naviter expendamus ) impoſſibilem eſſe dicere cogemur : cum, quod tam liber viarum ductus non concedatur; tum, quod viſcerum vis objecta, iis tranſitum interdicat; cum etiam, quia ad cutem pituita hæc viſcida, præ venarum anguſtia, non feratur : quare ab hac arceri hos craſſos lentoſque humores, qui per os vel anum rejiciuntur, cenſendum non eſt. Item, ſi repulſio eſſet humorum, juxta cutem exiſtentium, ad centrum ipſum, reliquum eſſet, ut hi viſcera vellicarent, inflammarent, roderentque, & hoc vehementius, quam dum circa cutem & muſculos inſiſtebant, quod diviſi in varias partes eſſent, uniantur verò, ſi una ſimul introducantur; hîc igitur viribus maximè pollere æquum eſt, ſemper enim unita virtus validior eſt, quam dum in varias partes eſt diſtributa.

§. 14. Sed concedamus, ( quod non eſt ) nimirum, humores hos ab externis ad interna abigi : non enim per ſe repulſio averſanda eſt, alioquin nullo unquam tempore repellere liceret. Eo ſanè loco repulſio criminanda venit,

nit; ubi ſuo munere aliquid deterius accidat: vel laude nulla dignam dicimus, ſi primarium affectum diſcutiens, alium, æqualis moleſtiæ, excitaverit; vel ſi, cum non læſerit, nihil etiam profecerit: Commendanda vero probandaque, ſi quicquam vel maximè juverit. Examinemus nunc, quid hæc in hoc negotio præſtare ſoleat, indicio ab aſſiduis exemplis ſumpto: quos vis ad interna expulſos eſſe humores, hos abjicit natura levi negotio, exiguoque temporis ductu, per vias maximè ad omnia noxia rejicienda paratas, per os videlicet & anum, unde ægri deinceps ſine moleſtia agunt, qui antehac, perpetuis variiſque doloribus, torti, vitam mortemque juxtà æſtimabant. Repercuſſio igitur hæc vitio danda non eſt.

*Humorum ad interna repulſionis, ſi qua fiat, utilitas.*

§. 15. Aſt jamjam tempus inſtat, unde proponere liceat, quo pacto, poſt affectus extrinſecos pacatos, oris vel alvi fluor excitetur, non repercuſſis humoribus, qui externa occupabant, premebant, rodebantque. Quum igitur hæc in corporibus, poſt hydrargyri uſum, fieri conſtet, nec repreſſionem extrinſecorum ulla naviter excogitata ratio admittere videatur, temerarium non erit cenſere, inſitam in hydrargyro vim eſſe, coctricem diſſolutricemque, vel ad expulſionem commotricem, eorum, qui intrinſecus habentur, vel noviſſimè fiunt, quos natura nullo aptiore ductu è corpore deturbare, vel expellere poteſt, quàm per alvum, vel os, præcipuè cum ventriculus primas partes teneat ad gignendam ſervandamque pituitam, qua potiſſimè diuturni morbi

morbi ( ne dicam & acuti ) excitantur ac reficiuntur: Ad hæc, una & ipſa bilis flava aptiſſimè per utramque harum partium repurgatur, neque incommodè per alvum ſuperflui humores reliqui.

§. 16. Qua verò forma, vel officio, natura ab hoc remedii genere ſic ſtimuletur ſuffrageturque, ut plerunque pervicaciſſimos hos humores ac morbos expugnet, humanæ menti ac ſenſibus penitus abditum eſſe videtur: Hoc tamen uſus edocet, nimirum, hujus appoſitu phlegmones ſolutas iri, ulceraque bellè concocta reddi, repurgari, carne repleri, ſiccari, cicatrice obduci; quæ ſanè *calorem* temperatum cum ſiccitate præ ſe ferunt: nam ſine calore non diſponuntur humores ad halitum, nec ſine ſiccitate reducuntur ad actum: quorum ſi alterum, vel utrunque, ſupramodum ſua intemperie excederet, talia temperatè non ſequi viderentur. Longè minus hæc à *frigiditate* produci poſſunt, quam tamen aliqui poſuerunt, quum tactu frigidum admodum hydrargyrum percipiatur, & alvi oriſque fluorem, ab hujus uſu, repercuſſione fieri crediderunt. Sed, quum ſpecialis ac propria hujus differentia, vel, ſi lubet, forma, communibus atque conjecturalibus tantum mediis confirmari poſſit, pluſque difficultatis in ſe hæc diſputatio continere videatur, quam utilitatis ferre qnandoque valeat, ſatius idcirco fore duxi, non ultra hæc ſermonem producere cognitionis ipſius; quia, ( ut ajunt ) effectus ſcilicet notitia in præſens contentus, quum pro-

*Vis hydrargyri an pendeat à calore aut frigore?*

*Hydrargyri propria forma medicis incognita.*

pter quid, vel forma ipſa efficiens, abſtruſa ſit: ratus non hanc tantum medicis eſſe incognitam, ſed innumeras alias, quas hîc recenſere noſtri inſtituti non eſt. Sed (quod exempli gratia dicam) quis medicamentorum purgantium formas exquiſite, vel forte quomodocunque, novit, quatenus ipſa purgantia ſunt? propinat tamen hæc prudens quicunque medicus, fœlici ſucceſſu, experientiæ, non rationi, fidens. Neque etiam prorſus ſine commodo, iis, atque aliis, medicamentorum generibus utuntur mulierculæ, plebei, vel impoſtores ipſi, nihil de medicamentorum forma ſolliciti: at hos (ſi quandoque ſcopum attingant) non ars, ſed fortuna juvat. Nec etiam ceſſant ferreas virgulas magnete intingere, qui ſolares globulos, vel planiſphæria ad horas numerandas, vel orbis plagas diſtinguendas, conſtruunt, quamvis illis ignotum ſit qua cauſa boream verſus magnes faciem vergat. Hæc igitur exempla ſufficiant, quæ duntaxat propoſuiſſe placuit, quo juniores præ nimium acuti, qui in omnium cauſas indagandas ſupra modum ſunt propenſi, quandoque ab inutili labore maturius ſe expediant, ne ſubinde circa eas cauſas, quarum extremam intellectus humanus attingere nequit, oppido defatigati, indignabundi mox cæteras contemnant, ad quas datur aditus.

*Etſi forma lateat, ſat eſt noſſe effectum.*

*Quod exemplis declarat autor.*

§. 17. Sed ab re non erit hîc etiam memorare, non modo periculo non vacare hydrargyri uſum, quin potius in varias anguſtias, ſupremaque vitæ diſcrimina, interdum mortales inducat.

*Uſus hydrargyri periculo non vacat ut nec cætera*

inducat. Verum non ob id ſimpliciter criminanda, ac penitus deteſtanda eſt, ſed eo pacto noxæ danda venit, ac reliqua omnia præſidia, quæ excellentem aliquam facultatem poſſident, caloris videlicet, vel frigoris, purgantis, vel rodentis. Sed quid cibi, merum, vel aqua, ſi ſupra vires, vel extra tempus, ingerantur? Non aliter fiet, ſi tua negligentia, vel potius patientis intemperantia, hoc medicamento uſus fueris: quod ſi feceris, nec laudem tu, nec æger commodum, comparabit. Secus verò, ſi ille rationi indulſerit, & te prudenter geſſeris, hujuſque medicamenti munus crebro, ſub legitimi artificis inſtituto, obſervaveris; ratus inhumanum, vel potius iniquum eſſe, periclitari, & hîc & in medicina ferè tota, ſola ratione vel libris, vel opinione duce: nam horum nullum per ſe, vel omnia ſimul juncta, (dum opus eſt facto) æque tuto ac celeriter opem ferunt, atque prudens experientia: quæ dubio procul & ipſa (licet tunc prudens dici non debeat) mutilata eſt, ſi à ratione ſit ſejuncta, nullius verò egens, ſi huic ſit adjuncta. Aſſidua itaque ac diligenti exercitatione, quæcunque diſcurſu vel experientia fuerimus conſequuti, tanquam ob oculos ſervabimus, ac illorum reminiſcemur, indieſque puriora & cumulatiora reddemus.

*medicamenta, præſertim extra modum ſumpta.*

*Iniquum eſt medicinam facere citra prudentem experientiam.*

## CAP. XXVI.

### *Quare frequenter, in hoc affectu, ſanguis mitti debeat, & à variis partibus, præcipuè à maximè affectis.*

*A parte affecta ſanguis educendus.*

CRebrò, atque à diverſis corporis partibus, & ab iis potiſſimum, quæ magis acriuſque torquentur, ſanguinem educere conſului, quod in eo præcipue, qui per venas ab hepate remotiores vagatur, hujus luis ſeminium inſideat, & in iis maxime, quæ partibus affectis inhærent, à quibus vel à maximè proximis (ſi fieri queat) perpetuo ſanguinem eximere par eſt: audi, ubi jam morbus in corpore firmam ſedem habeat, ob idque non hîc, ut plerique temere faciunt, in adverſas partes humorem peccantem revellere fas eſt, perinde ut in phlegmonibus, quæ ex ſola ſanguinis abundantia excitantur; nam in iis, etſi retrahas quod affectæ parti eſt proximum, id, cum nondum putredinem ullam aſciverit, non habet unde reliquum coinquinet: quod ſecus accidit in hoc morbo, in aliis item omnibus, quos pernicioſus ſuccus aliquis concitat vel fovet.

*In pura phlegmone licet ex contraria parte phlebotomare.*

§. 3. Per intervalla etiam tundendas venas inſtitui, quo, interea refectis viribus, repetere tutius valeas. Morbus quidem, ab omnibus partibus gravatis, eodem tempore, ſanguinem mittendum indicat, ſed interdum vires id commodè ferre minimè poſſent, quod larga ſanguinis miſſione plerunque ſit opus.

Ego

Ego interdum tres venas ſecare feci uno ( ut ita dicam ) inſtanti, videlicet, in utroque brachio, & altero crure, vel in utroque crure & altero brachio: binas autem plerunque, imò ferè in omnibus iis, quos hoc morbo affectos tractandos habeo, in utroque brachio puta, vel crure utroque; vel in altero brachio & crure altero; vel in fronte, mox in brachio ex cephalica, partem magis affectam reſpicientem; vel ex adverſa, ſi brachium illud, vel humerus, plus altero doleat; vel ex cole, ex brachio, vel crure ſtatim poſt, perpetuo ex parte magis gravata exordiens: quam ſanguinis miſſionem reiterare quandoque ſummo eſt præſidio, maxime in iis quorum cutis ſcabie vel ulceribus infeſtatur, non æque in iis, quos dolores juncturarum torquent ſine ulla inflammatione, quos juvat magis affatim corpus per ſuperiora, vel inferiora, purgare.

*Tres venas ab authore eodem tempore ſecari juſſum.*

*Dolentes juncturis purgatione indigent.*

§. 3. Ex cole exigua doſis demenda eſt, ad ℥ ij. vel iij. & *ſanguiſuga*, loco ſectionis venæ, optime adhibentur, ac quandoque repetuntur, ſi ulcus ſit mali moris, ex quo æquum eſt ſanguinem corruptum frequenter elicere: qua etiam ratione *cucurbitulas* ſectas aliis affectis partibus affigere laudamus: tundendas venas ante purgationem mandamus, quod minus noxium ſit, internum ſanguinem foras, quam externum intro, trahere, internus enim vel nihil, vel minimè, erit infectus, ut antea declaravimus.

*Tundendas eſſe venas ante purgationem.*

§. 4. Cæterum proroganda non erit, poſt miſſum ſanguinem, corporis per alvum purgatio. Sed neque incongruum fuerit nonnunquam,

*Quando venam ex adverſo ſecare liceat.* quam, primis diebus, venam à longinquo ſecare, vel ante vel poſt purgationem, etiam ſi nildum ultra pectinem, vel proximas ulceri partes, vitium pervaſerit; eadem ſanè ratione, ac fieri ſolet ob inflicta vulnera, quo videlicet inanito corpore, laxius parciuſque ad affectam partem humor fluat, unde hæc, multitudine minus gravata, quod impreſſum eſt, facilius perdere queat. Aſt hoc *fotibus* diſcutere tentandum eſt prius, ut antea propoſitis præſidiis: quibus ſi vitium non ceſſerit, jure, mox à ſanguinis miſſione, ex adverſa parte, corporiſque purgatione, ineundum eſt ſuffragium.

## CAP. XXVII.

### *De purgatione.*

*Purgationum repetitarum utilitas.* PUrgationes per alvum conferre plerunque repetitas, uſus confirmat, ita ut harum tantum ope ſæpe deperditæ redimantur vires, ac morbus arceatur; ſine quibus etiam cætera auxilia neque juvare, neque tuto adhiberi poſſunt, ut attenuantes diætæ, vel illitiones, ſive ſuffitus, vel balnea, vel alia ſimilia.

*Quibus proprie humor vitiatus eradicetur.* §. 2. Non hercle ut per has humor jam infectus eradicetur, vel pro majore parte deturbetur: Nam hunc ſanguinis miſſione, ſcalpellationibus, veſicatoriis, cauteriis, ſanguiſugis, balneis, & per occultos ſenſibus halitus comminuere, refigereque ſtudemus; pituitam verò, quæ hujus affectus præ cæteris humoribus

bus pertinacior eſt baſis, atramque bilem & flavam, ichoreſque nondum pollutos, per vomitum, alvum, nares, fauces, urinarios tubos, cutaneoſque meatus, divertere deturbareque, omni ingenio vel arte, conamur: nam hæc niſi alio revocentur, facile contaminantur, ubi cum infectis copulantur. Unde & morbus, & ſymptomata frequentiora, & magis acerba, excitari atque foveri ſolent, pro horum copiæ ratione: ſic iis per dicta loca detruſis, & infectis, ex gravatis membris, pro parte defixis, natura facilè (vel ſaltem non tanto labore) reſiduum diſſipat.

*Continua purgationes & multorum dierum quibus proponenda.*

§. 3. Continuas purgationes, & per dies multos, in iis proponimus, qui *venas ichore habent refertas*; demonſtrant autem totius corporis color pullus ſeu lividus, & ſanguis exhauſtus admodum ſeroſus: inſuper & iis, qui *pituita multa abundant*, quod indicant dolores diuturni, cum tenſione & gravitate, partibus penitioribus inhærentes: inſuper & ſanguis exhauſtus, cui *ſupernatat tenax albaque pituita*, quæ vix cultro dividi poteſt, perinde ac gluten coactum. Præterea & iis, qui *melancholico* humore affluunt; fuſco enim colore ii reſperſi ſunt, ſanguinemque atrum habent, & horum ulcera calloſa, veluti phlegmone circumducta. Repetuntur etiam purgationes, poſt diureticas potiones, quoniam in talibus corporibus paulatim acervantur iterum ii humores, etiam ſi accuratiſſimo victu utantur. Numerum verò modumque, aſſiſtens, atque exercitatus medicus, præſcribat, pro rerum ſucceſſu par eſt.

## CAP. XXVIII.

### *De Vomitu.*

*Quid per vomitum evacuatur.*

NOn injuria Vomitum in numerum præſidiorum, hujus luis vires ac injurias obtundentium, collocabimus, quum plerunque non paucis horum patientium auxilio fuiſſe, exitus comprobaverit: Abigitur enim, per hunc, multa viſcidæ pituitæ copia, quæ in ventriculo congeſta, atque etiam genita, levi negotio in alterutram partem fertur, ad os videlicet, vel ad inteſtina, naturæ motu, vel arte, ſtimulata. At quum hæc abundè, ſolo naturæ motu, ad inteſtina fertur, iis diutius hærens, per meſaraicas venas ſugitur, in (n) chilimque venam transfunditur, & per alios truncos brevi in univerſum corpus diſtribuitur: at partes, quæ hanc perdebant, dum naturali munere integrè fungerentur, nunc ægræ factæ, nec aluntur hac, nec abjicere à ſe commodè queunt; quare reliquum eſt, ut ægrius agant. Operæ igitur precium nos præſtituros cenſendum eſt, ſi qua parte hæc pulchrius educitur, per eandem hanc evocemus: at egregiè per vomitum exploditur, per alvum mox, paucis vel nullis horum non conferens, ſi levi negotio, atque opportunè, fiat.

§. 2. Sed iis interdicere juſtum eſt, qui non ſine

(n) Venam chilis, corrupto vocabulo Græco, Barbari vocant Cavam Venam, quæ Græcè κοίλη audit, teſte *Carpo. comment. in c.13. anat. Mundini.*

(o) Chi-

ſine extremo nixu, vel ſupremo labore, evomere poſſunt, ne quicquam deterius contingat, videlicet, alicujus venæ ruptio. Facile ob id vomentes, tantum huic ſubmittere præſidio licebit: & eos potiſſime, qui artuum dolore exercentur, vel cutaneis ulceribus divexantur, necnon quos caput urget, ſine oſſis carie, vel tubere, cum appetentiæ cibi depravatione, vel labefactatione, vel potius deperditione, quæ humorum, ventriculum obſidentium, certiſſima ſunt argumenta. *Vomitus quibus interdicendus ſit. Aph.6.l.4.*

§. 3. Aſt præſidium hoc adeundem non eſt, niſi per alvum ægrum purgaveris, &, ſi par ſit, ſanguinem miſeris, mox bidui quietem imperaveris: audi, abſtinendum interea ab omni medicamentorum moventium uſu. Inde matutino, vel veſpertino tempore, ad vomitum te conferre poteris, poſt cibum, ſi lubet, vel etiam ante. Si vero poſt, liberalius potabit æger, epulaſque juſculentas largius ingerat. nec merum potet, nec acida vel acerba edat bibatve, quod moleſtam vomitionem (guttur vellicando) faciant. Provocandus eſt, poſt dimidiam vel tertiam horulæ partem, ab abſumpto cibo, quod tunc pituitæ, ingeſto cibo immiſtæ, ſupernatent. Immittitur enim penna mollis in guttur, blandeque commovetur, vel index digitus; & eo uſque excitandus eſt, dum vacuum ventriculum, vel paululum reſidui cibi in eo eſſe, conjeceris, ad quod expellendum ægrius ventriculus inſurgit. Si verò ante cibum exoptes, ſeu mane ſeu veſperi, id efficies horis ſaltem duabus ante alimoniam, *Hora vomendi poſt cibum. Modus provocandi vomitus. Quot horis ante cibum vomendum ſit.*

vel pluribus ſi placeat, vel etiam minus ſi à vomitu fame prematur æger.

§. 4. Sed ſimpliciter hîc vomitus ciendus non eſt, eo quod ægrè fiat, nec notabilis præſidii ſit, quum è ventriculo agglutinatus viſcidus humor, vix corradi, vel deſigi ſolus poſſit, niſi adventu udi alicujus. Aquam igitur hîc, exiguo ſaccharo perfuſam, calidamque, affatim potandam porrigito: mox brevi, quarta videlicet horæ parte peracta, pennam molliuſculam, ne guttur vellicet, immittendam, vel leniter indice digito linguæ radicem contrectandam, jubeto, donec opus abſolutum fuerit. Satis ſuperque erit hoc uti *bis in hebdomade*, aut, ſi mavis, *quarto* quoque *die*, vel longiore ſpatio, prout ægri atque morbi ſucceſſus præſcribent; eòque die, quo id præcipitur, vacandum eſt ab omni alio notabili præſidio: at die ſuperveniente, apozema, vel aliud quippiam laxans, ſi par eſt, propinare licebit, tum, quòd vomitu, tantum quæ ſunt in ventriculo, rejiciantur, tum, quod conſueta eſt, poſt hunc, alvus reſtringi.

*Die vomitus nullum aliud præſidium ſubeundum eſſe.*

## CAP. XXIX.

### *De Sudoribus.*

*Sudorum utilitas.*

SUdores moventia, quæ etiam per veſicam majores venas repurgant, in iis laudamus, quibus & ſummopere balnea commendavimus. Cutaneos autem humores corruptos depellunt,

pellunt, quæ cum etiam ichores multos per renes promoveant, venam chilim, omnium venarum truncum, apprimè ſordibus liberant. conferunt autem etiam aliis omnibus, at iis præcipuè, qui ſeroſi ſunt ſanguinis.

*Sudandi tempus, commodum, poſt ſanguinis miſſionem & purgationem.*

§. 2. Tempus autem his commodum eſt, ſtatim à ſanguinis miſſione, ventriſque purgatione: nam ante hæc moleſta, ac admodum pernitioſa, exiſtunt; tum quod ducant per exiliores venas, craſſos humores in inteſtinis exiſtentes, & ſerum in majoribus venis receptum, unde cutis ipſa etiam, & reliquæ partes, magis gravantur. Per intervalla etiam, ac viciſſim interea, alvum medicamentis purgantibus movere oportet, quo, qui craſſi indies in inteſtinis ac meſaræo cumulantur humores, per alvum foras pellantur.

*Ad movendos ſudores lignum indicum reliquis præſtare.*

§. 3. Egregiè ſudores excitare novimus *lignum indicum* ſive *guajacum* appellatum, quod jam diu ad hoc munus à pleriſque utile fuit publicatum: hoc (inquam) quum tale eſſe uſus approbaverit, cæteris aliis præponere viſum fuit.

*Quâ quantitate illud ſit adhibendum.*

§. 4. Ubi igitur humores acres in corpore ſuperaverint, aëriſque æſtus vigeat, minorem ligni *quantitatem* indere par eſt, & in *aqua* tantum parare; ſimulque refrigerantium aliquod immiſcere, *ſacchari* quicquam infundere, pro patientis arbitrio, & *cinnamomi* tantillum, in menſali potu, ſi libeat, quo guſtus gratius recipiat. Ubi verò vel habitus corporis frigidior, vel temporis ſtatus minimè calidus vel frigidus, fuerit, vel hæc ſimul ſint inventa, & *lignum*

*augere*,

*augere*, & *corticem*, & *eryngium* addere, & *cinnamomo* aromaticum reddere, & *vino*, ut ſupra expoſuimus, vel aliter, atque res ipſa exiget, parare poteris.

*Quæ doſi decoctum ſit propinandum.* §. 5. Juvabit hos omnes, ex decocto liberalius potare, potiſſime ubi id ventriculus non reſpuit, vel potius expetit. Leviore enim negotio per cutem atque veſicam, imò & alvum, noxia pelluntur; ſecus autem, ſi potus abſtinentia, aridum corpus ſerves: nam neque craſſa commodè per anguſtos tubos feruntur, niſi lubrica reddantur; neque etiam natura, ubi humido vacat utili, vel ſaltem inutili, lubens, quod noxium eſt, detrudere affectat: imò potius hoc veſci contendit, quàm areſcere, ſic ut & ratio, & experientia affluentem magis, quàm parcam potionem inſtituat. *Exceptio.* Excipe, quos alvi fluor tenet; nam hos utcunque cohibere ſatius eſt, donec quieverit.

§. 6. *Cibi* iis offerantur *attenuantes* ac tenues, ſic ut affectus, habitus, & cœli ſtatus, indicabunt: *biſque* die ſingulo nutriantur, conſuetis horis, ſi nulla morbi exacerbatio diſſuadeat; quæ ſi fuerit, in hujus declinatione porrigito, vel hora alia quietiore, quo naturalis calor melius cibos conficiat.

*Ligni calor quomodo temperandus.* §. 7. Nonnulli tamen ſunt, qui hujus ligni calorem reformident, quum tamen hunc temperare, profuſiore aqua, quiſque poſſit. Utor etiam plerunque, hujus ligni vice, *decocto* totius *eryngii* cum *gramine & carduis ſylveſtribus*, qui lato, albo atque hirſuto ſunt folio, additis ſeminibus, vel aliis, pro ratione morbi: quod ſanè

ſanè non minore efficacia ſudores atque urinam promovet, quàm lignum ipſum indum. *Deſcriptionem* hîc accipe. *Recipe radicum eryngii & capitulorum ejus ana* ℥ i ß. *radicum cardui ſylveſtris* ℥ iij. *graminis* ℥ j. *liquiritiæ raſæ, polypodii ana* ℥ ß. *ſeminis carvi & petroſelini ana* ʒ ij. *aquæ fontanæ* ℔ IV. bulliant lente, ad quartæ partis evaporationem: aromatizetur cum ʒ i ß. *cinnamomi*, & tantundem *ſandalorum citrinorum*. At, cum eryngium viret, ad duplum doſis præſcriptæ impono; cætera virentia, omni fere tempore, reperiuntur, quæ omnia etiam, vel majore vel minore copia, immitti poſſunt, pro morbi vel temporis exigentia. Non enim iis medicamentorum generibus, vel ligno etiam indo, vel ſimilibus, exquiſita illa quantitatis obſervantia debetur, atque fieri ſolet in iis, qui in aliqua activarum qualitatum plurimum excedunt, vel corpora laxant. ſtudioſe tamen omnia agere licet, quo & hæc & illa morbis, corporibus, & tempori, quatenus per artem atque ingenium licet, proximè accommodentur.

*Decocti deſcriptio, quod vice ligni indi uſurpari poteſt.*

*Obſervatio practica.*

§. 8. Neque hoc præſidium tuto ægris porriges, niſi hos prius inanieris ſanguinis miſſione, ſi liceat, & purgatione, quibus neque diverſa victus ratio debetur, quàm iis, qui indo ligno utuntur.

*Ante decoctum vena ſect. & purgat. præmittenda.*

§. 9. (o) *China* verò, quam aliqui ad ſidera uſque

(o) Chinæ radicis hiſtoriam, ex eaque decoctum conficiendi rationem, amplo diſcurſu tradidit *Veſalius* Epiſtola peculiari.

(p) De

*China, parum valet ad hunc affectum.* uſque efferre conantur, nil miri, neque notabilius, agit iis, quæ mitius urinas, vel ſudores, movent: quare crebro medici, & patientes, huic fidentes, nimium vana ſpe fruſtrati, æs & tempus ſine utilitate conterunt. Quam ob rem, in hujus morbi curatione, ſatius eſſe cenſeo, tempus atque rem, circa tutiora præſidia, præſtantiora, minuſque cara, conſumere: At in leviore affectu, vel proviſionis cauſa, non incommode conceditur, præcipue, *Praparatio potionis ex radice china.* ſi patiens hac fretus, hujus uſum affectet. Macerantur autem ad horas xij. hujus *radicis tenuiter inciſæ* ℥ iv. quandoque v. aliquando etiam vj. *in aqua fontana* ℔ xij. & lentis prunis, duabus partibus evaporatis, reliquum pro ſyrupo aſſervatur, ex quo mane, & ſub veſperum, propinari poſſunt ab ℥ viij. ad xij. tepide, mox ſudoribus ſe componat æger: Magmati tantundem aquæ ſuperponitur, & quarta, parvo igne, conſumitur pars, vel aquæ ℔ xv, ſuperinduntur, & tertia evaporatur, *Victus.* pro potu, ex arbitrio. *Victus* interea & tenuis & attenuans eſto, atque habitus virtuſque patientis præſcribit, purgantium medicamentorum, vel forte etiam ſanguinis miſſionis, non immemor.

*De ſarſa pariglia quid ſentiat autor.* §. 10. Quam *Sarſam pariglian* vocant, prima hujus libelli impreſſione non plurimum commendaveram, verum neque tanquam inutilem poſtpoſueram, non conſuetus ignota damnare, vel præter rem collaudare. Uſus tamen poſteà hanc non minore laude dignam eſſe (imò forte etiam majore) quam lignum indum,

dum, præcipue in corporibus quæ adeo frigida non ſunt, comprobavit. Nam hæc temperatior exiſtit, alvumque, ſi virentior ſit, lenem reddit, nec parce urinam ſudoreſque prolicit. *Præparatio* autem hujus non diverſa fieri ſolet à Chinæ decoctione, puta in xij. aquæ ℔. ℥ iv. vel vj. *hujus radicis macerantur ad horas* xij. mox ad tertiam partem redigitur, lenta ebullitione, & hoc pro ſerapiis matutini & veſpertini temporis, ex quo, vice ſingula, potantur ab ℥ viij. ad xij. Magmati xv. aquæ ℔. iterum ſuperfunduntur, quæ rediguntur coctura ad x. vel xj. Et hoc pro potu menſali, & pro arbitrio.

*Modus ex ea parandi decocti.*

§. 11. *Purganda* tamen primo ſunt corpora, &, ſi par ſit, *ſanguine* minuenda, antequam hujus uſum ineas: *victuſque* parcus attenuanſque, plus minuſve ut ipſa res exiget.

*Purgatio vel ſanguinis miſſio præcedere uſum decocti debet.*

§. 12. Quare non modo in hujus, ſed etiam in aliorum præſidiorum uſu, *aſſiſtentem medicum* præeſſe conſulo, qui ſingula, pro ratione, componat diſponatque: ſtultum enim eſt, cenſere alicujus morbi, quamtumvis minimi, curationem ſic exquiſite vel adamuſſim ſcriptis proponi poſſe, ut nil huic addere, vel ab hac demere liceat: ſunt enim inferiora corpora omnia, & humana maxime, variis, ac perpetuis tranſmutationibus ſubdita, quarum plurimæ tantum patent artis peritis, qui ægris præſunt, quos decet univerſam curam regere: Qui vero medicinam non callentes, ſolis ſcriptis curas obeunt, (ut nimium curioſi patientes, vel nebulones, ſeu circulatores impudentes,

*Vid. ſup. p. 52.*

tes,

tes, vel plebei, quos otium, vel ſegnities, medicas paginas evertere induxit ) ii, ubi rectius ad ſcopum rem collimaſſe credunt, tanto (inquam) magis ab eo divertunt, ſic ut jure prudenti tantum artifici credendum ſit in quavis arte, maxime ubi de corporis ſalute quæſtio eſt.

---

## CAP. XXX.

### *De Balneis.*

*Balnea quibus potiſſimum conferant.*

BAlnea univerſo corpori apte accommodata, ſupra modum conferre, nunquam non experior, iis adprime ſuppetias ferentia, quibus cutis, pilorum caſu, pruritu, vel ſcabie, vellicatur. Neque illis reprobanda veniunt, quorum artus doloribus conflictantur: juvantur ſane & ii, verùm non adeò repente ac clare atque alii, cum craſſi altiuſque inhærentes humores, juxta ac tenues ſuperficieque tenus inſidentes, non diſperdantur.

*Tempus balneis accommodatum.*

§. 2. Opportunum autem *tempus* ad hæc eſt, poſt belle repurgatum corpus, & horis duabus vel tribus ante cibum, ſive matutino vel pomeridiano tempore fiant. Satis ſuperque eſt, *ſemel in die* adhibere; quæ ſi manè parentur, jentabit patiens, hora dimidia ante ingreſſum, infuſo pane in vino aquæ permixto: quod etiam fieri poterit à prandio, ſi æger exigui ſit cibi, & balneum ineatur multo tempore poſt. quod ſaltem horas quatuor intercapedinis exigit,

*Balneorum materia.*

exigit ab ingeſto cibo, intellige prandio cœnave; ultra vero, quantumlibet.

§. 3. *Materia* autem horum nulla præſtantior eſt *aqua* potabili ſimplicique. (p) *Inſtrumentum* ad id negotii aptum, eſt *ſolium*, ſive parva *tinia lignea*, *ovali circulo fabricata*, circiter pedum trium cum dimidio longitudinis, duum latitudinis, altitudinis pedis dimidii ſupra latitudinem, ut in ea protenſis cruribus ſedens æger, oretenus aquæ ſit immerſus: quæ *calida* ſit tantum, quantum, ſine caloris vel frigoris injuria, univerſum corpus ferre poſſit. *Inſtrumentum ad balnea.*

§. 4. Sitque aqua omni in parte ſibi ſimilis, ne videlicet altera parte, qua fervens infunditur, urat, altera verò temperata ſit vel gelida; quod plerunque accidit, niſi miniſtri circa hæc fuerint exercitati, quod non ſine patientis moleſtia negligitur. Agitanda eſt igitur primum baculo, quo bellè altera alteram temperet, eo quod totam ſimul calefacere difficile ſit: in promptuque habeatur & fervens alia, atque etiam frigida, quo totam contemperes ex patientis nutu, cum plerunque id acre vel horridum videatur dorſo, quod nihilominus manus temperatum decreverat.

§. 5. Tam diu in hoc maneat, quamdiu moleſtè ferre cœperit: bonum eſt *horam* (ſi fieri poteſt) ibi conſumere, vel circiter. Sit ſolium igni proximum, nec multo à cubili diſtans *Quamdiu in balneo commorandum.*

(p) De Inſtrumentis ad balnea & ſudationes accommodatis. Vide apud Io. Heurnium, *method. ad Praxin. l.* 1. Severinum, *Pyrotech. chir. l.* 1. *p.* 3. *c.* 47.

 (q) Alias

ſtans interſtitio, quo emerſus æger, illicet linteis calidis obducatur ſicceturque, & in ſtratum calidum ſine labore recipiatur: ubi modeſtè lodicibus tectus, ſine anxietate ſudoribus proſpiciat; quibus ſolutus, vel defatigatus, lenibus linteis blande detergatur; mox linteo ſupparo indutus, in alteram partem, vel in cubile aliud ſe tranſmoveat, ac quieſcat.

§ 6. Nec ad hæc acceſſum prohibet levis lienis tumor, ſi horum patientium alicui inhæſerit: iis etiam egregie conducunt, qui hoc morbo torti, febricula aliqua aſſidua, vel etiam intermittente, agitantur.

*Quot diebus balnea frequentanda.* §. 7. Frequentantur autem hæc *diebus tribus* vel *quatuor*, vel, ſi vis, ſex continuis, vel interpoſitis, ſi vires langueant: inde quieſcendum dies aliquot, mox, ſi morbus dictet, repetenda veniunt.

§. 8. Nec ineunda, nec repetenda, niſi *corpore* belle *purgato*, ac etiam repurgato: interea, ſi patientes ſiti premantur, non cohibendi ſunt à potu, imo liberalius concedendus eſt, vel in balneis ſint, vel extra. Excipe eos, quos alvi fluor exercet, quos à balneis debere abſtinere dicimus. *Quibus balnea interdici debeant.*

*Victus balneantium.* §. 9. Juvat autem iis qui balneantur, *juſcula ex pullis gallinaceis*, *vel vitulina carne* porrigere, etiam dum ſudant, eo quod valentius ſudores moveant, nec languidum corpus linquunt: perinde ac iis accidit, qui ventre ſicco, omni nixu, ſudores provocare intendunt; parciſſimè nanque iis ſudor affluet, cum labore maximo, nec expertes periculi ut in febrem incidant.

CAP.

## CAP. XXXI.

### *De quorundam medicamentorum, ſuperius recenſitorum, præparationibus.*

SUpereſt nunc, ut finem operi imponentes, aliquot medicamentorum formas, ſuperius pollicitas, explicemus. Sunt autem *præcipitatum*, *balſamum artificiale* quoddam, & *aqua ſingularis* dicta, omnia à Joan. de Vigo deſcripta, quæ quum mirabilem plerunque præſtent effectum ubi (occaſione nacta) in uſum fuerint poſita, hîc ob id inſerere decrevi, ratus omnibus vel tempore omni, horum authorem in promptu non eſſe.

§. 2. (q) *Præcipitati* igitur faciendi forma hæc eſt: *Recipe aquæ fortioris*, qua aurum ab argento aurifices ſegregant, *hydrargyri*, *ana* ℔ i ß. ponantur in bocia vitrea, arte luto obducta, ſtillatorio furno accommodata, capelloque vitreo tecta, ac recipienti ſubdito: omnibus belle glutino obturatis ne uſquam perſpiret, ſtillentur levioribus primo prunis, mox, cum ſtillare occipit, ignem intende quoad rubeſcat recipiens, nec remittas donec totum udum ſtillaverit: mox amota bocia frangatur, detractoque mercurio calcinato, ab alchemiſtis præcipitatum nuncupatum, ſuper lapide marmoreo tuſum, in aliamque bociam, more ante dicto paratam, iterum ſtillandum immitte:

*Præcipitati faciendi formula.*

*Vid. Vigonis Antidotar. c. 13.*

(q) Alios præparandi modos tradet tibi Schroderus, *Pharmacop. med. chym. l. 3. c. 15. art. 2.*

te: quo peracto, iterum bociam partibus ſuperioribus frange, & extracto quod intus eſt, tenuiſſime marmore vel pila comminuatur: in vaſculo inde æneo, vel cupreo, repoſitum, acrioribus prunis appoſitum, diu, ſeſquihora puta, ferrea rudicula, aſſidue agitetur, donec minii colorem referat, vel paulo clariorem; mox in culeo receptum, ſervetur ad uſum. Iſtud autem medicamentum, quantum polleat in ulceribus malignis ægreque curabilibus, non ſatis notum eſt omnibus chirurgis, ob id vel hoc penitus vacant, vel perfunctoriè illud paratum habent, quo pulvere mercurii (ut appellant) vacui non videantur. Exponunt autem ii mercurium & aquam igni ſine arte, donec aqua evanuerit, ſic reſtinctum mercurium colligunt ad uſum: at quantum interſit hoc vel illo modo conſtruas, frequens te certiorem reddet uſus. Sed æquum eſt etiam aquæ hujus faciundæ exemplar addere. *Recipe, calchanti romani, alumnis rocha ana* ℔ j. *ſalis nitri* ℔ iß. omnibus in vaſe vitreo luto arte circumvento repoſitis, ſtillatum dentur.

*Præcipitati præſtantia.*

*Aqua fortis componenda exemplar.*

§. 3. *Singularis aqua balſami* atque ipſum *balſamum*, à Joan. de Vigo *artificiale* appellatum, ſic componitur, *Recipe, terebinthina clara* ℔ IV. *thuris, maſticis, ana* ℥ ij. *aloës hepatica, ladani, caſtorei, oſſis dactilorum, radicis diptamni, conſolida minoris ana* ℥ j. omnia diſtillentur ſtillatorio vitreo, luto circumducto. Tres enim liquores hinc emanabunt, ſi arte fiat: primus nanque clarus, pellucens inſtar aquæ fontis: Secundus croceus, primo ſupernatans: Tertius rubentior oſten-

*Balſamum artificiale. Vig. Antidot. c. 21.*

oſtenditur, ad mellis craſſitiem accedens. Primum *aquam ſingularem* dicit, *oleum balſami* ſecundum; tertium verò *balſamum artificiale*: quam *compoſtellam* divine potius quam humane corporibus occurrere compertum eſt, ſi affectis ratione accommodetur. Confert autem unumquodque doloribus omnibus à pituita, vel ſero, vel flatu, excitatis, quandoque etiam à bile, modo multitudine hujus humoris non ſcateat totum corpus: Verum ſuperioribus maximè eſt utile, occurritque ſingulum puncturis nervorum, & partium carnoſarum vulneribus; roborat namque calorem innatum, ita ut brevi ulcus concoctum, belleque diſpoſitum reddant. At hic *tertio* potius utimur, *primo* vero & *ſecundo* in leniendis doloribus antea dictis; magis enim diſſipat infixas pituitas, ſerum vel flatus, membra torquentia. *Horum præſtantia & utilitas.*

F I N I S.

Index Capitum hujus Tractatus.

Cap. I. *De ſubjecto hujus operis.* Pag. 446
Cap. 2. *De cauſis gignentibus hunc morbum, & nunquid Hepar hujus ſit fomes, ut plerique Medicorum opinantur.* P. 447
Cap. 3. *Quos hæc lues vehementius, vel minore negotio exagitet.* P. 470
Cap. 4. *Quibus ſignis hæc lues dignoſcatur.* P. 471
Cap. 5. *Summa præſidiorum, huic affectui conferentium.* P. 474
Cap. 6. *Tutela, qua quiſque ſe conſervabit poſt coitum, ab hoc miſerabili affectu.* P. 475
Cap. 7. *Curandorum ulcerum recentium modus.* P. 476

Cap. 8. *Ulcerum ægrè ſanabilium curandorum ratio.* P. 481
Cap. 9. *Seminis profluvii curatio.* P. 482
Cap. 10. *De Bubonum curatione.* P. 492
Cap. 11. *Pilorum caſum curandi ratio.* P. 500
Cap. 12. *Scabiei, & aliorum cutis affectuum curandorum forma.* P. 505
Cap. 13. *Muſculoſarum partium affectus curatio.* P. 508
Cap. 14. *Articulis, ſeu etiam oßibus, hoc morbo ſolicitatis, quomodo occurrendum.* P. 511
C. 15. *Tubercula, ſeu gummata appellata, quomodo diſperdantur.* P. 517
Cap. 16. *De affectibus capitis.* P. 523
Cap. 17. *Venereæ luis curanda modus, per illitiones hydrargyrum recipientes.* P. 535
Cap. 18. *Quomodo, defricandi ex præſcriptis illitionibus, præparandi ſint.* P. 541
Cap. 19. *Illiti quomodo nutriendi.* P. 543
Cap. 20. *Qui apti ſint ad illitiones ſubeundas.* P. 544
Cap. 21. *Quod ſit tempus proprium pro illinendis affectis corporibus, vel aliis præſidiorum generibus ineundis.* P. 548
Cap. 22. *Quibus cauſis defricti in graviora incidant ſymptomata.* P. 552
Cap. 23. *Quàm diu perfricandi patientes, & quibus auxiliis occurrendum, ſi graviore aliquo ſymptomate divexentur.* P. 554
Cap. 24. *De cura per Suffitus.* P. 561
Cap. 25. *Quòd Hydrargyrum venenum non ſit, neque corporibus humanis nocuum, niſi perperam fuerit admotum.* P. 566
Cap. 26. *Quare frequenter, in hoc affectu, ſanguis mitti debeat, & à variis partibus, præcipuè à maximè affectis.* P. 580
Cap. 27. *De purgatione.* P. 582
Cap. 28. *De Vomitu.* P. 584
Cap. 29. *De Sudoribus.* P. 586
Cap. 30. *De Balneis.* P. 592
Cap. 31. *De quorundam medicamentorum, ſuperius recenſitorum, præparationibus.* P. 595

FINIS.

# LEONARDI BOTALLI,

*DE*

# Curandis Vulneribus SCLOPETORUM,

*LIBELLVS.*

Cui inſeritur

COMMENTARIUS

In caput ultimum libri Sexti Meth. Med. Galeni, in quo agitur

De Vulneribus Capitis.

*Illuſtriſſimo atque Excellentiſſimo Viro,*

# CAROLO COSSÆO BRISSIACENSI,

*Tribuno Martiali, & in Subalpina Liguria Proregi meritiſſimo,*

LEONARDUS BOTALLUS,

*Medicus ejus, ſalutem plurimam precatur.*

NON corporis robore, vel artuum dexteritate, Illuſtriſſime atque Excellentiſſime Prorex, humanum genus cæteris animantibus præſtare videmus, verum hercle intelligentia ipſa, qua, cum moderatis viribus, univerſis, quæ ſub Naturæ imperio ſunt poſita, facile dominatur, utiturque prout libet, vel ſibi ſit utile, aut quidem neceſſarium Qua item interea ducti bonæ indolis homines, variis ſtudiis, diverſiſq; officiis ac artibus ſe addixerunt; ita ut ad temperatam, honeſtam, jucundamque vitam nil amplius deeſſe videatur. At Natura officioſa, non modo corpus membris munitum ad omnia obeunda negotia paratis, & mentem ad contemplationem, diſtinctionem, atque rerum electionem nobis, plus quàm cæteris ſibi ſubditis, elargiri contenta fuit; verum etiam effecit, ut linguæ integro munere fruc-

frueremur, ad mentis conceptus ſignificandos, & paſſiones effingendas, quæ ſenſuum beneficio nobis afferri ſolent. Quæ omnia veluti ſub nube perpendens, quum adoleſcentiam agerem, frequenter contemplabar: nil unquam concludens, præterquam, quod immeritiſſimus providæ Naturæ beneficii is videretur, qui tempus deſidioſe contereret, & præſtantiſſimam animæ partem ſopitam ſepultamque relinqueret: aut illam in rebus humilibus, vel abjectis damnandiſve, occuparet. Hinc evenit, ut quadam diſcendi cupidine, veluti ſtimulo concitatus, abhinc annos tredecim fidenter Philoſophiæ ac Medicinæ me totum tradiderim, in quibus ſub favore tuo adhuc aſſiduus verſor. Atque mihi interea, quorundam neotericorum authorum, ſcripta legere accidit, De curandis ſclopetorum vulneribus; quæ cum diligenter examinaverim, fore utile multis in futurum exiſtimavi, ſi in re hac, quantum experientia colligere, ac ratione comprobare potui (perinde ut vires meæ uſque adhuc ferre potuere) exponerem. Quod nunc peractum opus, Tuo Nomini dicare non dubitavi, ſperans id non humiliorem locum in tuo conclavi rerum memorabilium poſſeſſurum, quam ego in honeſtiſſima magnificentiſſimaque domo tua. Nam Regum

Principumque domus, quales quantæque ipſæ fuerint, ſingularum bibliothecæ, rerumque memorabilium conclavia præ ſe ferunt. Quamobrem, ut hoc meum munuſculum ſpernas, cauſa non eſt. Suſcipe id igitur eo animo, ac tibi dicatum eſt. Offertur utique hilari atque ſincero. Et quanquam ejuſmodi lectione non itidem oblecteris, atque philoſophorum ſcriptis, aut mathematicorum aut politicorum, aut hiſtoriographorum, vel iis, quæ ad bellicam facultatem ſpectant, ſcientiis, utique tuo nomine, tuoque acutiſſimo ingenio dignis, circa quas ſic apprimè Te exercitatum eſſe oſtendis, ut formidet ſagax quicunque miles, ſeu cohortis præfectus, ſive architectus, vel quantumvis in regendis civitatibus inſtructus doctor, qui de iis (Te præſente, Polemarche digniſſime) ſit verba facturus; plurimi tamen faciam, ſi hoc meum opuſculum quantuluncunque eſt, quandoque tantum apud te valere intellexero, ut vel paululum benevolam memoriam mei in te refricare poſſit. Faxit Deus, ut diu & fœliciter vivas. Vale.

Bene-

# Benevolo Lectori S.

*NON modò mitis humano generi Natura fuit, verum etiam (ſi dicere liceat) plus, quam par eſſet, munifica. Nam cum inter mortales pauci admodum contra peſtiferæ cupidinis ſtimulos niti auſint, ſic illa pectora & mentes hominum invaſit, ut æque iis ac regina dominetur imperetque. Hinc fit, ut nemo ſua ſorte contentus vivat, ſed alius alium jugiter opprimere nitatur. Unde mœnia, caſtra, arces, innumeraque armorum genera quiſque ſtruere cœpit. At multorum verſuta mens hominum, uſque prona magis in res improbas ac immanes, quam in ſalutares ac honeſtas, ſe ipſam exercere, novum aliud, ac (inter cætera, quæ hac ætate ſint cognita) pernicioſiſſimum armorum genus excogitavit, quod Sclopetum appellatur. Hoc (inquam) cum antiquis medicis cognitum nondum fuerit, nil propterea, quod peculiare eſſet, de eorum vulnerum curatione ſcribere potuere: quod hercle diu imperitis chirurgis, & (quod magis moleſtum fuit) miſeris patientibus, negotium faceſſiſſe cenſendum eſt. Quod erroris genus facile ſubterfugi poterat, ſi, qui ante ætatem noſtram fuere medici, in ſcriptis Ariſtotelis, Hippocratis, & Galeni ſæpius inſudaſſent: à quibus & nos, & quoſcunque artem medicam factitare delectabit, & dogmata decerpere, & curandorum omnium morborum methodum, & cauſarum inveniendarum modum perdiſcere oportet: licet ipſi ſingula, quæ nobis evenire poſſunt, non*

*enume-*

*enumerarint; ut, qua ratione vulnus curandum ſit quod cornu bos intulit, & aliud quod pede; quove modo quod ebore vel buxo, vel marmore, aut (ſi malis) quod quadriga temone ſit inflictum. Scientiarum porrò nulla in hunc modum exponi ſolet: trigonum enim rectilineum omnem, tres, duobus rectis æquivalentes, includere angulos: item, & quoſcunque in eadem circuli portione ſuper arcum conſtitutos, inter ſe pares eſſe, ſive in marmore, vel ære, vel alia quavis materia fuerint conſtituta, profert intelligitque Geometra, nulla etiam earum rerum, quibus formari unaquæque figura poteſt, memoria prodita. Non ſecus Phyſici ſcripſere. Nam quæcunque cauſata juxta ſua principia magis valere; &, nutrientia cum nutriendis homogenea eſſe oportere, dixerunt: ſilentes per quæ, & in quibus hæc omnia contingant. Nam hæc ſcribere inſipientis erat, quamvis ab imperitis ac rudioribus frequenter exoptentur: quibus me hercule ſcripta relinquere priſci ſapientes non putarunt, ſed iis, qui (cùm judicio polleant) mente, & opera, univerſalia rectè particularibus accommodare conantur: qua utique via nos hoc genus vulneris, de quo tractare ſuſcepimus, curare didicimus, nec non alia, quorum curationem, ſi noſtris inſtitutis arriſerint aſtra, exponere parabimus. Taurini Kal. Aprilis.* 1560.

LEO-

# LEONARDI BOTALLI
## *DE*
# Curandis Vulneribus
# SCLOPETORUM,
## *LIBELLUS.*

QUO tota oratio clarior reddatur, primo quid ſit genus, quod intendimus, deſcribemus; deinde, quomodo finem optatum aſſequi poſſit medicus chirurguſve, qui rem tractabit, exponemus. Non diffidentes à famigeratorum ſcriptorum ſcientia, non antiquorum modo, verumetiam recentiorum, ubicunque illam ratio comitabitur: &, ſi quicquam boni in hoc genere à nobis inventum ſit, (quod non minimum fore exiſtimamus) illud adjicientes, omiſſa inani gloria, ac tantum tuendæ veritatis deſiderio moti, patientibuſque occurrendi, ubicunque arte prodeſſe poterimus. *Ordo Tractandorum.*

§. 2. Dicimus igitur, *ſubjectum* noſtri negotii eſſe, *vulnus* cum contuſione, laceratione, ac ſæpius cum oſſium fractura, à *ſclopetorum glande* inflictum.

§. 3. Verum antequàm ulterius progrediamur, cum inter ſcriptores neotericos, qui de hac re ex profeſſo tractare ſuſceperunt,

non-

nonnulla ſit de pulvere hujus inſtrumenti diſceptatio, digna diſcuſſione; non erit operæ indignum, circa tam paululum laborare. Dicunt autem aliqui, pulverem hunc venenoſum non eſſe, alii contrariam opinionem levioribus mediis fovent. Quare ſcrutandum erit, quiſnam in hoc negotio melius ſenſerit. Nam horum alius ex falſis falſum, & alius ex falſis aliquid veri condidit: inter quos Alphonſum Ferrium, & Joannem de Vigo in medium ducimus. Hic principiis falſis utitur, cùm pulverem, ac ejus vi vulnus illatum, venenatum dicat ac uſtum; curationes verò, quodammodo principiis ſuis contrarias, inſtituat; ut facilè judicare poterit, quiſquis cum judicio ejus ſcripta legerit. Alphonſus, & falſum concludit, & falſa poſuit principia, ſibi ipſi ſæpius contraria dicens. Pulverem enim, & glandem ab eo projectam, venenoſam eſſe, ex conſequenti & vulnus: oſtendit autem id „ (refert) ejus compoſitio, conſtans ex ſulphu„ris parte una, nitri partibus decem, carbonis „ parte una: ſulphur ad quartum caliditatis „ gradum accedit, nitrum ad finem ſecundi, „ ex quibus conſtat, totum compoſitum quar„to caliditatis gradu detineri. Hæc Alphonſus.

*An pulvis ſclopetarius ſit venenoſus.*

*L. 3. tract. 2. c. 3. chirurg.*

*L. 1. de Sclopet. vuln. c. 4.*

*Alphonſi prima ratio probans venenoſum eſſe.*

*Refellitur Alphonſus.*

§. 4. Quis (quæſo) judicii adeo expers erit, qui dicat, decem partibus aquæ mediocriter calidæ, unicam binaſve ferventis ſi addideris, totam miſcellam ferventiſſimam reddi? Certè neque Ariſtoteli, neque Averroi, neque Galeno, neque alicui ſapientum authorum, neque rationi, minuſque ſenſui, arridet

arridet hæc ſententia: imò ferventiſſimam ferventiſſimæ ſi addamus, totam miſcellam ferventiſſimam dicimus. Sic, ſi calidum in quarto calido in quarto addas, in quarto calida erit miſcella: & omnino frigidam, æquis portionibus, ferventiſſimæ ſi addideris, quis medium ex his conflari negabit, quod temperatum dicitur? Et ferventiſſimæ ſi decuplum medocriter calidæ admiſcueris, hanc aliquantulum reddes magis calidam, illam verò minus. Quomodo igitur fatendum erit, pulverem hunc attingere quartum caliditatis gradum, ſi partium nulla ipſius illuc accedit, neque novam aliquam formam (præter eam, quæ miſti eſt) acquiſierit? Sed detur, quòd illuc attingat! Neque ex hoc deducet venenum fore: ferrum nanque candens, flamma, vivaceſque carbones, piper, pyrethrum, & ſimilia, venenum diceremus. Sunt quidem venena omnia in ſe lethifera, non hercle vice verſa, quicquid lethiferum, illud & venenum eſt.

*Non omne letiferum venenum dicitur.*

§. 5. Alia ratio Alphonſi: Argumento " etiam ſunt ejus artifices, qui confectionis " tempore ab acribus abſtinent, ut cæpe, al- " lium, & cætera hujus generis; experien- " tia autem (etſi cauſam ignorent) ea ſibi " obeſſe cognoverunt. Sed quid dicemus de " hoc genere medii, nunquid venenatam vim probet aliquam pulveri ineſſe? Abſit. Imò caliditatem. Nam ultra calorem, qui motu augetur, cibis item acribus altus artifex, ſanguine & ſpiritibus calidior redditur: qui, ſi tundendo acria, horum etiam inſpiratione ſubti-

*Secundum Alfonſi argumentum.*

ſubtiliſſimum pollinem in pulmones traxerit, nemo non concedet, eas partes debere calefieri magis, & ex conſequenti læſionem aliquam ſequi poſſe, cujus cauſam ignotam eſſe inconſulto dicit.

*Tertium arg.* §. 6. Deinde, ut magis ſuam roboret opi-„ nionem, putrefactionem, mordicationem, „ roſionem, ulcerationem, & corruptionem, „ eſſe venenum comitantia propria ſympto-„ mata, affirmat! Ac ſi putrefactionem non faciat prohibita tranſpiratio calidorum & humidorum humorum, vel alterius particulæ putridæ continuitas vel contiguitas, ut in putridis ulceribus perpetuo videmus, & alia præter hæc multa? vel non mordicet rodatque bilis flava, ſi ad ulcera feratur, vel mel, aut æris flos, vel aliud quippiam ſimile, ſi apponatur: vel hæc eadem bilis, & atra, non ulcerent, non corrumpant, ſi in aliquam partem abundanter corruant? Ecce quam bene hæc veneni propria dici poſſint, quum ea ad innumera alia ſequi poſſe ſit compertiſſimum, & ad hoc, quod genus veneni dicit, nec ſemper ſequantur, nec ut plurimum.

„ §. 7. Subjungit. Sed quotum gradum ve-„ neni habeat hic pulvis, ſive à tota ſimpli-„ cium compoſitione, à qua provenit for-„ ma, quam ſpecificam dicimus, non autem „ quia calidus neque ſiccus, ſed quia talis ſit, „ ſeu vis ea ab evidentibus facultatibus pro-„ deat (ut dictum eſt) ignoratur, perpetuo-„ que (ut exiſtimo) ignorabitur. Sed & hæc quis non videt inter ſe pugnare? Dicere ſcili-

ſcilicet, effectum aliquem ab aliqua poſſe evidente cauſa provenire, quæ tamen hactenus occulta, nondum etiam in lucem exitura ſit? Præterea nunc dicit, Non " quia calidus & ſiccus, ſed quia talis! Ac ſi " ſupra non conatus fuiſſet oſtendere compoſitionem hanc venenoſam eſſe, quia ad quartum caliditatis gradum accedere exiſtimabat.

§. 8. Quantum igitur conſtantiæ habeat totus ejus ſermo, ſatis patere exiſtimo legentibus, qui rationabiliter artem tractant, & quam debiles, à ſcopoque aberrantes ſint ejus rationes, & alii præter me norunt, ut ipſe *in* ſuo *corollario*, *in fine* ejuſdem *operis annexo*, (ubi etiam ſatis frigide aliquibus argumentis contra ſe factis reſpondet) accidentia, quæ huic morbo propria eſſe exiſtimat, allegando: præterea, & venenum veneno eſſe remedium, " de ſcorpione exemplum afferendo, qui pro- " prio morſui ſit remedium. Quis (quæſo) " adeo ingenio rudis erit, qui veneno ſcorpii eodem veneno ſuccurrat? Oporteret iterum ſiquidem pungere, & guttam veneni rejaculari, ut ſcorpius lædendo agit, ſi venenum eodem veneno curare vellemus. Scimus enim & roſam puncturæ propriæ ſpinæ eſſe remedium, non tamen, ſi eadem ſpina repupugeris, curabis. Quis iterum viperarum morſum, morſu reiterato ſanare tentabit? & tamen illarum pinguedo, & ex iis confectum medicamentum, Theriaca dictum, præſtantiſſimum cenſetur remedium: veruntamen rejectis ex-

*Venenum veneno non curatur.*

tremis, (r) in quibus magis viget venenum; media verò earum corporis parte ſic bene ac diuturne lota, concocta, ac cum aromatibus confecta, (s) ut nullum penitus præ ſe ferat amplius veneni veſtigium.

*Autor rationibus probat pulverem ſclopetarium venenatum non eſſe.*

*Axiomata.*

§. 9. Sed iis omiſſis, rationem aliquam (ſi habeamus) in medium ferre tempeſtivum eſt, ne nos nudis affirmationibus ſententiam noſtram fulcire quiſquam exiſtimet. Adducamus igitur primò, tanquam axiomata, nonnullas philoſophi propoſitiones, Naturam, ſcilicet, dare tantum de conſequentibus formam, quantum de ipſa forma: Item, quando commiſtilia potentiis adæquantur, tunc utrunque tranſmutatur in dominans ex ſui ipſius natura, nec generatur alterum, ſed medium commune: Præterea, quæ miſcentur ad invicem, corrumpere intenſiones neceſſe eſt, non tamen in omnino alienas contrariaſque tranſmutari: Item, idem, & ſimiliter ſe habens, ſemper natum eſt facere idem. Ab iis dicamus, venenum eſſe, quod facultate propè occulta naturæ humanæ ſic contrariatur, ut, (quantumvis paucum) vel ore devoratum, vel

*Veneni deſcriptio.*

(r) Error eſt vulgi, quo imbutus eſt Autor noſter, dum ſtatuit, in capite & cauda Viperarum, quæ amputari ſolent in præparatione Theriacæ, magis vigere venenum: hoc enim fit, quia duræ ſunt, & parum carnis habent. Vide *Severini Vipe ram. Pythiam. c. 1. part. 2.*

(s) Anceps quæſtio eſt, an mortuarum & exenteratarum Viperarum carnes ſint venenatæ, nec nequam plenè pertractat dictus *Sever. nus. lib. it. p. 3. c. 4.* & concludit nec abſolute venenatam eſſe, ut afficere nos poſſit ad interitum, nec veneni prorſus exſortem eſſe.

vel odore perceptum, vel externis partibus applicitum, non poſſit ullo modo concoqui, alterari, nec expelli, ſed partem potius conjunctam ſibi corrumpere, reliquaſque circumjacentes ex conſenſu afficere tentat, donec totum animal ſit extinctum; niſi virtus patientis valentior ſit, aut alexipharmacis occurratur. His poſitis lucidiſſima erit ſententia noſtra.

§. 10. At quum debeat, quicunque cupit noſſe naturam alicujus rei, primò ſcrutari naturam eorum, ex quibus illa componitur: videndum erit itaque, quid veteres Scriptores ſentiant de partibus hujus miſti: deinde, utrum ex miſtione, vel potius ex tranſmutatione eorum, vel alia ex cauſa, quicquam veneroſi ſequi poſſit, perſcrutabimur. Sulphur (inquit Dioſcorides) optimum exiſtimatur vivum, " *L. 5. c. Sulphur.*
quod apyron vocant, nitedulæ modo ſplendidum, perlucens, minimè lapidoſum. " Probatur in genere ſulphuris ignem expertis, quod viret, ac præpingue ſpectatur, " plurimum in Melo, & Lipara gignitur. Supradictum ſulphur calefacit, diſcutit, & celeriter concoquit: prodeſt tuſſibus, ſuſpirioſis, purulenta extuſſientibus, in ovo ſumptum aut ſuffitum: præterea, partus, uſti nidore, extrahit: lepras, lichenas, ſcabros ungues, cum reſina terebinthina miſtum, aufert: cum aceto autem illitum, ad lepras efficax eſt: vitiligines tollit: ſcorpionis ictibus, addita reſina, medetur: cum aceto verò, draconis marini ſcorpioniſque plagas ſanat. Pruritus toto corpore erumpentes, "

 cum "

„ cum nitro deterſum, ſedat: regium morbum emendat, inſperſum fronti cochlearis mensura, aut in ſorbili ovo ſumptum. Facit ad gravedinem & deſtillationes: ſudores quoque conſperſum inhibet: podagricis, cum aqua & nitro illitum, conducit: gravitatem auditus, ſuffiti nidore raptim per fiſtulam hauſto, ſanat: lethargicos ſuffitu excitat: erumpentem undecunque ſanguinem ſiſtit: contuſis auribus, cum vino, & melle medetur.

*Nitrum.* Præfertur nitrum leve, roſeo colore, aut candido, in foramina dehiſcens, perinde quaſi ſpongioſum quiddam, quale ex Bunis affertur. Humores evocat qui in alto concreverunt. Spuma nitri optima eſſe putatur, leviſſima, gleboſa, friabilis, colore penè purpureo: aut ſpumoſa, & mordens, qualis ex Philadelphia Lydiæ defertur. Secunda eſt Ægyptia. Quin & in Magneſia Cariæ gignitur. Vim & uſtionem ſalis habet, tam nitrum, quàm ſpuma ejus. Prætereà, nitrum tormina ſedat, ſi tritum cum cumino bibatur in hydromelite, aut ſapa, aut aliquibus, quæ inflationes diſcutere poſſunt, uti ruta vel anetho. Febribus circuitu redeuntibus illinitur, ante ſuſpectam acceſſionem. Miſcetur emplaſtris quæ extrahunt, & diſcutiunt, extenuant, & lepras abſtergunt. Cum aqua autem calida, aut vino, infuſum, inflationes, purulentas aures, & ſonitus earundem ſanat: ſordes expurgat, cum aceto inſtillatum: Canum morſibus ex aſinino adipe, aut ſuillo me-

„ detur:

detur: reſinæ terebinthinæ admiſtum, fu- "
runculos aperit: aqua inter cutem cum ficu "
illinitur: oculis ad claritatem viſus cum "
melle ſuccurrit: & venenis fungorum, ex "
poſca potum: aut, ſi bupreſtis momorde- "
rit, ex aqua: iis verò qui taurinum ſan- "
guinem biberint, ex laçerpitio, iiſque, qui "
cibum non ſentiunt, utiliter obducitur: "
opiſthotoniſque jam remiſſioribus & luxa- "
tis, cum cerato: in reſolutione linguæ pani "
commodè permiſcetur. Aliqui ſupradicta "
carbonibus urunt, ſubjecta prius teſta nova, "
donec incandeſcant. Hæc de Sulphure, & "
Nitro Dioſcorides, quæ ferè omnia eodem more Galenus, Aëtius, & aliorum plures recitant. Et quanquam ſub judice adhuc lis ſit, num hoc noſtrum nitrum id ſit quod Veterum, ſenſus tamen indicat, hoc facultate haud abſimile eſſe illi; adeò ut neque applicitum, neque devoratum, neque odore perceptum, quicquam veneni referat.

§. 11. Minus etiam carbones canabini, vel ſalicei, vel juglandei, qui hoc in pulvere recipiuntur: videmus nanque aliquando pueros, & prægnantes, & pica laborantes, ex iis edere, non tamen veneni more officere: Similiter & horum in vulneribus applicitus pulvis exſiccat: quod quandoque cum utilitate ægrorum experti ſumus. Sed neque etiam dicemus vino venenum ineſſe, vel aquæ vitæ, quam in Gallia ardentem appellant, vel aliquibus ſimilium, quæ pro humectanda compoſitione adduntur: minus hercle vaſi, in

*Pulvis in vulneribus poſitus ſiccat.*

*In vino non eſt venenum.*

quo pulvis tunditur; nam id per ſe manifeſtum eſt.

§. 12. Sed nunquid miſtionis ratione (ut Alphonſus etiam profert) aget fortaſſe miſtum quicquam omnino diverſum à facultatibus ſuarum partium? Non quidem, ſed remittuntur obtunduntur que miſti partium potentiæ ad invicem, ſi inter ſe diverſæ, contrariæve fuerint, ut ſupra diximus: miſtis autem contingit, inter ſe æqualiter proportionaliterve agere, & pati, ita quòd aliqua media qualitas, vel inæqualis, inter æquales vel inæquales contrarietates proveniat. Præterea & ſenſui compertiſſimum eſt, ſi in vulneribus, vel caſu, vel conſilio, modeſtè apponatur, non modò inſtar veneni officere, ſed temperate potius exſiccare, abſtergereque: ut idem etiam atteſtatur Alphonſus.

§. 13. Si igitur ratione miſtionis per ſe non probetur Alphonſi, aliorumque eandem opinionem ſequentium, intentio, relinquitur, ut hæc tranſmutationi (ut Alphonſus, qui illam fulguri comparat) adſcribatur: Verum neque hanc id præſtare poſſe aſſerimus. Nam quum cauſata eodem modo neceſſitatis conſequantur ſuas cauſas in rebus generabilibus, ac in rebus æternis: gravioribus itaque ſymptomatis cruciarentur hac flamma uſti, quàm qui aliis ignibus; vel quam ii, qui vulnera, vi ejuſdem pulveris, ſuſcipiunt: quanto utique valentior eſt agens, & actio, & quæ ad ea ſequuntur, tanto valentiora eſſe debent in eodem paſſo. Vir fortis uno ac minimo digito

gito centum ſi levet è ſolo libras, quid obſtat, quo ducentas non levet, ſi tota manu, majore vi ac diligentia fiat? Membri igitur affecti tumiditas, inflammatio, corruptio, aliaque ſimilia ſymptomata, venena comitantia, flamma hujuſmodi pulveris uſtos (ſi venenoſa eſt,) vehementius cur non affligunt? Senſus enim, omnium demonſtrationum potiſſima, ſententiæ rationibuſque noſtris quantum faveant, patêre ſatis exiſtimo iis, qui in arte medica non mediocriter ſunt verſati. Id nempe perpetuo obſervavi, cum in bello innumeros tota facie, vel manibus, vel cruribus, alios ſimul cum iis & ventre, vel tergore uſtos conſpexi, quos nihil immitius urgebat his, quos alia flamma uſſerat, data affectus paritate. *à Senſu deſumtum argumentum & experientia.*

§. 14. Sed de his ſatis dixiſſe videbor, quum planum fecero, quid & Alphonſum, ac reliquos, eandem opinionem ſequentes, à veritate declinare fecerit. Decepti, me hercule, ſunt, non ſignum pro ſigno accipientes, perinde ac qui debili viſu, vel longo intervallo intuentur, aſſerunt ignem alicubi exiſtere, vapores pro ſigno oſtendentes, quos fumum eſſe crediderunt. Similique modo Alphonſus, ac alii nonnulli, gangrænam cum viderint paulo frequentius homines, ſclopetis vulneratos, afficere tanquam affectum magis compoſitum, quàm qui mucrone, vel ſpiculis, in hanc ſtatim ſententiam lapſi ſunt; non cernentes gangrænam, & reliquorum armorum vulnera, & luxationes, & contuſiones, & *Cauſa erroris in Alphonſo.* *Gangræna ſequitur ad varios affectus.*

ſimplices fracturas compoſitaſque, ſequi, & per ſe quandoque excitari (per ſe dico, ſi nullam habeat extrinſecam cauſam) ſæpiſſimè verò vulneratos ſclopetorum glande non invadere: quod utique non fieret, ſi venenum eſſet. Nam à cauſis, quarum natura eſt eadem, & non differunt, niſi ſecundum magis & minus, non ſequitur niſi una natura, diverſa ſecundum magis & minus: ſic ut cauſæ diverſæ in quantitate, effecta præſtent diverſa in quantitate. Semper igitur aliquod illius veneni veſtigium præ ſe ferret vulnus, mitius vehementiuſve, ſecundum cauſæ efficientis potentiam. Verùm non ſic ſe res habet: innumeros enim curavi, cum Chirurgiam exercerem, ac ex iis plures (poſtquam alias medicinæ partes factitare cœpi, curare juſſi non aliter ac vulnera contuſa, nullo habito ad aliquod veneni genus reſpectu, & quidem ut plurimum fœliciſſimo cum ſucceſſu.

*Vulnus hoc an ſit uſtum?*

§. 15. Non aliter etiam à prædicto modo errant, (hallucinatione ſcilicet) vulnus hoc aſſerentes eſſe uſtum, quum tantum tepeat glans, aut calore hæc non multo teporem excedat, dum vulnus infertur. Quis (quæſo) glandem, in parietes projectam, & ſtatim prehenſam, urere manûs ſenſit? Sæpe quidem ipſe probavi, nec unquam urere percepi. Non quidem in inſtanti, glandis tantus calor diſſolvitur; paries enim illam non modo calore exuere debuit, ſed calidiorem reddere: Solidorum enim corporum concuſſionem vehementem, quis generare ignem ſæpius non videt?

videt? Si malleum malleo fortius concuties, utrunque calefieri quis non ſpectat? Qui igitur in hanc ducuntur ſententiam, peccarunt fallacia poſitionis, adducentes (ut de veneno diximus) non ſignum pro ſigno; carnem ſcilicet contuſam corruptamque, pro eſchara cruſtave, quæ ignis vi fieri ſolet: Ac ſi ſic dictet eorum ratio; cruſta eſt, ergo ab altero ignium; ergo ab actuali: nam actu calida eſt glans. Sed claudicat hæc ratio omnino, cum eſchara non ſit. Plures quidem curavi, fatentes ſe neſciſſe à principio eſſe vulneratos, etſi glandem in membro ferrent, non perturbato ferè eorum animo: Hos ſiquidem maximè urere debebat ac ardore cruciare; non enim citra magnum dolorem per aliquod temporis ſpatium (ſi cruſtam facere potis eſt) glans inſiſteret. Sed etiam ſimilium cruſtarum genus (ſi cruſtam hanc nominare volumus) evenit in quavis vehementi corporis concuſſione; ſive hæc à baliſtæ glande, ſive ab obtuſa ſagitta, ſive ab alio ſimili retuſo telo fuerit (citra ignis vim) effecta: atque etiam à glande ſclopeti, quæ interdum nec cutem ipſam exulceraverit, imò nec contigerit. Aliquos profecto ſaucios manu vidi à ſclopeti glande, chirotheca alutacea integra permanente; Alios, quibus in intimas muſculorum partem pannum, vel linteum, globulus introduxerat; non laceratis his neque uſtis. Hoc certè ſæpiſſimè accidit, quod fit ob languentes globuli vires præ loci diſtantia, vel pulveris ignavia; putrida tamen caro vel cutis, quam plerique

*Hallucinatio eorum qui ſic ſentiunt.*

*In vulnere ſclopeti non adeſt eſchara, ſed mera contuſio.*

*Quod ab experientiâ probat Author.*

inconſulto eſcharam eſſe credunt, perpetuo in his apparuit. Non pauci hercle ex his ad opem noſtram confugerunt, ex quibus unum, exempli gratia, in medium ducam. Generoſus Dominus Bertuillæ, Præfectus cohortis Gallorum peditum, perpeſſus eſt, anno præterito, vulnus in brachio ſiniſtro, ad ſex digitos ſupra cubitum, ad oſſis uſque regionem, intro adactis, una cum glande, manicis ex lino thoracis & ſubuculæ, nulla tamen injuria iis relicta, quæ vel laceri, vel uſti, aliquam ſpeciem repræſentaret. Statim ego Lucio Montano Callienſi, juveni ſanè ſtudioſo & erudito, qui tunc temporis meo conſilio Chirurgiam tractabat; & Chirurgo Illuſtriſſimi Polemarchi Briſſiaci, qui huic curæ intererant, prædixi, (quo animo in re tam manifeſta non penderent ancipiti) futuram eſſe eſcharam, quam igne productam rebantur, etſi ignis nullum adeſſet argumentum; ut intelligerent, illam eſſe carnem contuſam, non uſtam: quæ apparuit, non ſecus ac in reliquis vulneratis evenire ſolet; quem patientem, rationali noſtra cura, paucis diebus, ſine labore, ad ſanitatem reduximus. Sed circa hæc ſatis ſuperque dictum ſit, ne nos opus ſuſcepiſſe contradicendi gratia, alicui cenſendi anſam demus, quod omnino ſemper abhorruimus, niſi ubi nos tuendæ veritatis ſtimularet cupido Ad inſtitutum igitur omni ope, atque opera accingamur.

*Caſus.*

CAP.

# CAP. I.

## *De Methodicâ ſeu vulneris curatione.*

CUm nemo affectum hunc (non ſecus ac reliquos graves) tuto curare poſſit, niſi qui, cum experientia, naturalem calleat philoſophiam, circa quam pauci admodum, qui Chirurgiam pertractant, verſantur; fatendum erit, hujuſmodi artifices non raro (etſi parvi quandoque momenti ſint affectus) gravius errare, in pluraque periculi genera ægros protrudere. Quo igitur hos ab errore eripiamus, ac ægris opem feramus, methodicam in hoc genere morbi curationem perſcribere, toto pectore excogitabimus. Hæc *primo* ablatione extraneorum, *mox* deperditorum reſtauratione, perficitur. Extranea appello, non tantum quæ extrinſecus adveniunt, ut glans, ferrum, lignum, pannum, & ſimilia; imò etiam, quæcunque ab ipſa natura conſervari non poſſunt: ex horum genere ſunt oſſa fracta, caro contuſa, vel lacerata, ſanguis extra venas, pus, & reliqua hujuſmodi quæ licet antea partes, vel particulæ noſtri corporis eſſent, tales tamen nunc non ſunt, quare & hæc ablationem deſiderant.

*Methodica curatio in quibus conſiſtat?*

*Extranea quæ.*

CAP.

## CAP. II.

### *De extraneis è vulnere auferendis.*

QUantum, quod ad auferenda extranea pertinet, Chirurgum & ingenio præditum, & experientia comprobatum deſideret, ſæpius gravi jactura experiuntur ægri, ac cum pudore pleriquе eorum, qui etſi ignari ſint, periti tamen Chirurgi credi volunt, artem nullo judicio, nullaque experientia, profitentes. Unde crebros atque graviſſimos in errores irruunt: à quibus cavere non plus norunt, quàm qui (ut Hipp. ait) in fracturis phlegmonas excitant præ ligaturarum conſtrictione, quas non ſolvunt, cauſam ignorantes, & aliunde inſana ſtupidaque remedia aucupantes.

*Errata Chirurgorum.* §. 2. Hoc more errare ſolent imperiti Chirurgi in perquirendis, auferendiſque extraneis, necnon in membris impiè tractandis, ſtatim vulnera ampliantes & ſpecillis digitiſque, (nulla habita conſideratione de parte, deque totius corporis habitu) perveſtigando, movendo, lacerando, pungendo, ſecando, tundendo, comprimendoque, unde phlegmones ſæpe excitantur, venæ rumpuntur, dolores ingentes inducuntur, & varia alia ſymptomata ac morbi, quæ ſæpius ad ſe curam convertere cogunt, principalem ferè affectum ſpernere urgentia; quod non contingeret in pluribus, ſi vel rectè tractarentur, vel Naturæ ſaltèm beneficio relinquerentur. Cenſemus propterea, neque omne vulnus ampliandum, nec

nec omnia extranea educenda, nec contraria parte ſemper aperiendum, ut plures ineptè feciſſe, ac ſæpius indies facere videmus. Sed quæ, quando, & quomodo iſthæc præſtare oportet, nunc compendioſe dicemus.

§. 3. Extranea extrinſecus advenientia, auferenda eſſe confeſtim exiſtimamus, quæ ægrum in graviora pericula inducere valent. Similiter illa, quæ ſine jactura, & magno dolore educi poſſunt. Grave periculum expectandum eſt, ſi glans, comprimendo nervum aliquem, gravioribus doloribus ægrum infeſtet: vel, ſi circa alicujus ventris regionem fuerit, capitis puta, vel thoracis, vel inferioris ventris, & ſuſpectum ſit ne in futurum penetret: & hîc, (ſi commode fieri poteſt) in prima curatione melius eſt auferre quam differre. Hoc maximè de glande dico, quoniam hæc, propter pondus, variat ſitum, ſic ut commode poſtea inveniri non poſſit. Animadvertendum tamen eſt, ne attentus huic officio, ſanguinis ſit non levis aliquis fluxus, quo patientes viribus deſtituantur: quod ſæpe contingit in manibus empiricorum malorum. Siſtere igitur prius hunc laborandum eſt. Si autem adſit oſſium fractura, ac eorum fragmenta aliqua ſint perioſtiis denudata, quæ ſine magno dolore auferri poſſint, educenda: aliter, relinquenda. Natura nanque hæc, & majora etiam fruſtula, ſi ſint, ad exitum poſtea facilitabit, & glans tandem, propter pondus, in cutaneam partem aliquam deſcendet, ubi ſine noxa impoſterum educi poterit.

*Quæ ſui eductionem poſtulent.*

*Cautio.*

§. 4. E-

*Extranea quibus educenda inſtrumentis?*

§. 4. Educuntur inſtrumentis ad hoc munus aptis, roſtris ſcilicet gruino, vel corvino, aut alio quopiam ſimili, ſecundum quod vulnus, & materia extrahenda poſtulant. Formam autem eorum, in tractatu de vulneribus capitis reperies, quæ ad glandes, vel ad oſſa vel alia educenda, commodiſſima experieris.

*Ex his quædam, cur inutilia rejiciantur.*

Inſtrumentum autem Alphonſinum omnino inutile eſt: aliud vero, quod ad glandes tantum extrahendas, jam ante Alphonſum fuit inventum, ex cannula ferrea, in quam *ſtylus* mucronatus, in ſpiramque retortus immittitur, qui in pilam inſeri debet, hoc etiam (inquam) inutiliſſimum eſt, & maxime noxium.

*Vulnus hoc an quandoque & quibus in caſibus ſit dilatandum?*

§. 5. Rarò vulnus dilatandum ad glandem evellendam: ſed quandoque id facere cogimur ad oſſa fracta educenda, quæ nonnunquam majora ſunt quàm comprehendere externum ulcus poſſit: quandoque etiam dum in capite vitium eſt, & ſuſpecta eſt cranei, vel internarum partium quarundam injuria. Interdum etiam cum ſub cutem tantum glans percurrit, ex quo cutis eo loco ſit interitura: Etiamnum, cum globulus in thorace, aut in inferiore ventre, percipitur, qui propter vulneris anguſtiam exire nequit. Nonnunquam verò viam parare ex altera parte urgemur, ut eo evellantur, præcipuè, dum conditus globulus, ea parte juxta cutem ſe offert.

*Membra quæ amputanda.*

§. 6. De iis autem quæ partes vel particulæ corporis fuerunt, auferendis, ſi digitus puta, vel pes, vel manus, vel brachium, vel tibia

proſſus

prorſus ſint fracta, cum carnis, ac vaſorum laceratione multa, (quod ſæpe magnæ bombardæ facere ſolent) adeo ut de horum ſalute nulla ſuperſit ſpes, illico hæc amputanda eſſe cenſeo. Si autem aliquid ſit de vita ſperandum, ſaluti horum conſulere nitendum eſt. Quòd ſi deinde illa vita deſtitui videris, ad ſectionem ſtatim confugies. Idem dico de carnis, nervorum, tendinum, oſſium vel ſimilium fruſtulis. Sanguis extra venas poſitus, vel collectum pus, & ſimilia, eo modo educenda ſunt, quo humores è ſinubus eliciuntur.

## CAP. III.

### *De inſtauratione deperditorum.*

QUoniam deperditorum inſtauratio ut plurimum beneficio Naturæ ſubjicitur, carnem ſcilicet, ſanguinem, ac reliquas partes regenerare; eaſdem glutinare; cicatricem inducere; vimque deperditam reſtituere: Chirurgi propterea, ac patientis munus erit, (ubi per ſe non ſufficiat) illam in proprio habitu conſervare, vel ab eo inclinatam ad eundem (quoad fieri poteſt) reducere. Et hoc non modo de affecta particula intelligendum eſt, ſed & de univerſo corpore. Impoſſibile enim eſt uni principalium membrorum ineſſe affectum, qui reliquis partibus, quibus miniſtrant, non communicetur. Si itaque univerſum corpus intemperatum ſit, quomodo particulam temperatam

peratam ſervabimus, vel ad temperiem reducemus? Quod niſi fiat, quomodo deperdita redintegrare poterimus? ægrè utique. Sed quoniam principalium partium, totiuſque corporis curam habere, medici phyſici eſt opus, præſens verò ſermo ut plurimum de partibus affectis extrinſecis ſit: de his igitur, quomodo in propria temperie conſerventur, vel reſtituantur, ſi in contrariam lapſæ fuerint, tractabimus, cum cauſas, temperaturas tranſmutare valentes, expoſuerimus.

---

## C A P. IV.

### *De cauſis, intemperiem parti inducentibus.*

TRanſmutari partium naturas hîc dicimus, quum illæ à ſibi ſalubri naturalique ſtatu egreſſæ, in intemperiem aliquam incidunt. Hanc nempe (præter acceptum vulnus) excitare ut plurimum ſolent humorum fluxus omnes, ad quos ſequuntur tenſiones, dolores, inflammationes, & cætera id genus.

*Fluxiones unde concitentur?* §. 2. Aſt fluxiones multa pariunt, nimirum ſitus partium affectarum declivis, vel alio modo incongruus, vittarum ſeu aliorum vinculorum nimia conſtrictio, nimius calor à ſuperfluo partium amictu, vel calidarum rerum appoſitu, vel præ nimio frigidorum uſu concitatus: ab his glutinoſorum pharmacorum immoderata inutiliſque frequentia, vel medicamentorum mordentium inepta adjectio, vel moroſa

moroſa vulneris & partis affectæ contrectatio, vel lychnorum ignarus uſus; & multa alia his ſimilia, circa quæ non rarò peccant, qui parum in arte ſunt prudentes. Accedunt aëris temperies, quæ ingeruntur, alvi ſiccitas, animi affectio, quæ omnia humores internos calidiores efficere poſſunt, conſequenter & fluxiones ipſas vehementiores. Quare medicum ſe in his præbere diligentem æquum eſt: Alia ex parte Chirurgum ipſum, ne ſcilicet ſupra, vel infra modum refrigeret, vel calfaciat, aut alio quovis modo inutilem dolorem faciat lychnis, vel moleſtis (ut dicunt) flammulis, vel contrectatu nimio vel rudi, vel aliis denique multis, de quibus in ſequentibus verba faciemus.

## CAP. V.

### *De cognoſcenda, & conſervanda bona, affectæ partis temperie.*

ANtequam dicamus modum conſervandæ bonæ temperiei, ponemus primò ſigna, quibus hæc cognoſci poſſit. Nam propter hujus cognitionis defectum, ſæpiſſimè errant Chirurgi, cum videant ferè perpetuo in iis vulneribus, partem ipſam eſſe aliquo tumore affectam, vel levi æſtu: hinc ſuſcepto ſtatim metu, nil intentatum relinquunt, temereque partem ægram ſtipant cataplaſmatis, vel illitionibus, vel aliis ſimilibus non

paucis, perperam uſurpatis; quibus in deteriorem ſtatum ægrum detrudunt.

*Signa bona Temperiei.* §. 47. Quum igitur in corpore temperato videris partem affectam tumore quodam humili, molli, cum leviſſimo, vel nullo, robore vel dolore, quæ excreſcentiam non ſuſcipiat primis diebus, (quibus magis viget morbi vis) vulnuſque nullum cruditatis ſignum oſtendit, ſcito temperiem partis non eſſe à ſua natura tranſmutatam, ſic ut per ſe ipſam humorem, facientem tumorem, vel levem inflammationem, vel parvum dolorem excitantem, non bene concoquat ac externat, cum per inſenſibilem tranſpirationem, tum per ſudorem, ac per proprium vulnus. Conſervabimus igitur hanc, ſi ægrum, ac affectam partem, ab omni exceſſu tueamur, vulnerique convenientia remedia tempore applicemus, ut poſtea diffuſius narrabimus.

## CAP. VI.

*De cognoſcenda temperie partis tranſmutata, & curatione ejus.*

*Si Tumor increſcat, quomodo ei ſit occurrendum?* Cum verò tumorem ſuſcipere vigorem videris, vel dolorem, vel inflammationem, vel aliud quodpiam ſymptoma infeſtum, vel ſingulum per ſe, vel aliqua, vel omnia ſimul juncta, citra ulceris, convenientem coctionem, ſcito, naturam partis oppreſſam & mutatam adeo eſſe, ut celerem ab arte opem

opem efflagitet. Cui occurrere par eſt contrariorum congruo uſu: alterando ſcilicet, arcendo, revocando, derivando, coquendo, diſſolvendo, aperiendo.

§. 2. Etſi *alterari* dicatur quicquid aliquo modo tranſmutatur, hîc tamen intelligimus activis vel paſſivis qualitatibus pugnare, calorem extinguendo frigidis, & frigida excitando calefacientibus. *Arcere* dicuntur, quæ à propria parte aliquid ultro propellunt; id efficiunt refrigerantia, etiam & reſtringentia. *Revocant*, quæ ad longinquas, vel ad alias partes humores affluentes eliciunt; ut vincula, frictiones, calida balnea, phlebotomia, alvi dejectio, hæmorrhoides, uterinæ purgationes, vomitus, & ſimilia quæ ex adverſa parte fiunt. *Derivari* dicitur humor, cum ad proximam aliquam deflectit partem, ut puta à capite ad nares, vel fauces, vel occiput, vel ſcapulas: quod præſtat ars, dum expedit, ſternutatoriis, maſticatoriis, uſtionibus, cucurbitulis, frictionibus, & id genus aliis. *Coctioni* proſunt, quæ calorem ipſum nativum fovent: ut plurimum hæc calida & humida facultate ſunt, & tenaci ſubſtantia. *Diſſolvunt*, quæ poros reſerant, & ſuo calore inſinuatos humores in halitus abſumunt. *Aperiunt* quæ cutem exulcerant, ut cauſtica, ſcalpri, novacula, & hujuſcemodi: non enim nunc de iis aperientibus loquimur, quæ inſenſibiles ipſos meatus recludunt, quod præſtant diſſolventia.

*Quid per Alterationem ſit intelligendum.*

## CAP. VII.

### De Alteratione.

ALterantia quocunque morbi tempore uſurpari poſſunt, niſi dum ad pus res tendit, vel ad interitum, vel in longum tempus, producitur, quibus temporibus aliis auxiliis eſt innitendum, ut patebit.

*Incipiens inflammatio quomodo emendanda?*

§. 2. Ab initio igitur morbi, incipientem inflammationem moderare ſatages temperatè refrigerantibus, ut *oxyrrhodino*, *lactuca*, *plantagine*, & ſimilibus: vel incipientem partis frigiditatem calefacientibus, ut *fotibus* ex *aqua calida*, ex *vino*, & ex *decoctis calefacientibus*, *illitionibus*, *emplaſtris*, veſtitu & vicinitate alterius calidi.

---

## CAP. VII.

### De Repulſione.

REpellimus, quum humores in aliquam partem fluentes arcemus: quod præſtare oportet dum imminet phlegmones adventus, vel hæc jam inceperit, vel incrementum habeat. Hanc namque ob cauſam vulneribus, contuſionibus, fracturiſque omnibus in principio, ac ſtatim, ſi id fieri queat, repercutientia applicamus. Nam iis vis multa eſt arcendorum humorum, in affectam partem fluentium. Utimur tribus primis diebus, aut ad

ad ſummum ( ſi phlegmone non urgeat) quatuor. Quod ſi patientis temperies quadrata ( ut dicunt ) vel bene conſtituta fuerit, ſat erit duobus: Nam ubi diutius, vel valentius æquo, refrigerantia uſurpantur, ulcus crudum & mali moris redditur. Quamobrem ignavis ac pervicacibus Chirurgis ſæpenumero ſuccenſui, quorum alius ad ſeptimum, alius ad decimumquartum uſque diem, temere repellentibus obſiſtebat: unde non raro extrema pernities ſuccedebat. Sed ſatis ſuperque fuerit iis uti, donec concoctio vulneris apparere inceperit. Sunt autem repellentia nonnunquam iteranda: non quidem ut imperitorum turba facit; infundit autem ſtuppas, vel linteamina, in *oxycrato* vel *oxyrrhodino*, admixtis *albuminibus ovorum*, & aliis id genus, eaque apponit, nec toto die amovet: quod ſubinde factum calidum & tenacius, præter id quod non repellit, amplius tranſpirationes prohibet, unde varia ac moleſta ſymptomata ſequuntur. *Monitum Chirurgicum.*

§. 2. Repercutiunt autem quæcunque refrigerant, & quæ adſtringunt: verum non omnia, quæ hæc præſtare poſſunt, ſimpliciter convenire aſſerimus. *Cicutam, hyoſcyamum, papaveris ſuccum*, & ſimilia, per ſe applicita, non laudamus; refrigerant enim plus quam deceat. *Chalcanthum* vero, *æris flos* & quæ ejus generis ſunt, præter id quod ſupra modum adſtringunt, ſuo quoque calore trahunt. Quæ igitur medio quodam modo refrigerant, vel adſtringunt, maximopere laudamus.

damus, præſertim ſi ſine, vel cum leviſſimo calore, ſuum munus præſtent. Sola frigiditate ſua repercutiunt *aqua ſimplex frigida* appoſita, *lactuca* & *cucurbita*: Frigiditate ac adſtrictione, *ſedum minus*, *poſca*, *omphacium*: Adſtrictione *galla immatura*, *malicorium*, & id genus alia.

---

## C A P. I X.

### *De Revulſione.*

*Hipp. l. de loc. in hom. num. 1. Circulo comparat corpus.*

ELegantiſſimè corpus humanum comparare poſſumus octogono, vel decagono, aut (ſi mavis) circulo, puncta aliqua intra ſe capienti, à quibus ſi ad peripheriam undequaque lineas duxeris, ac eas impermiſtas, (vel etiamſi miſtas intellexeris) talem communitatem habere inter ſe quamcunque partem conſpicies. ut à quocunque puncto ad quemlibet punctum permeare poſſis: Verum non æque cito, neque tam facile, cum interſeſe æquales non ſint dictæ lineæ, & cum perpetim inter duos motus aliqua interponatur quies. Modo propemodum ſimillimo ſe habet ſuperficies, ac cæteræ partes noſtri corporis, ad hepar, cor, & cerebrum, unde alimentum vivificum (ut ita dicam,) calorem ſeu ſpiritum, & animalem vim omnem, conſequuntur per venas, arterias, & nervos.

*Revulſio quid?*

§. 2. Dicamus igitur hanc, Revulſionem, quam Hippocrates *ἀντίσπασιν* vocat, in contrarium

tranſitum eſſe (t) averſionem, ut à dextero in ſiniſtrum, à ſupernis ad inferna: ab internis ad externa, & vice verſa: ut exemplo, ab uno brachio ad reliquum; vel tibiam ejuſdem partis, & vice verſa, perinde ut membri affecti poſitio indicabit.

§ 73. Hæc autem pluribus modis fieri ſolet, nempe evacuatione manifeſta, ut *venæſectione*, vel *alvi ſolutione*, vel *vomitu*: Et ſine evacuatione ſenſibili, ut *frictionibus* fortioribus, *balneis* calidioribus, & *ligaturis* frequentioribus ac doloriferis. Cæterum, cum venæſectionem præſtantiſſimè celerrimeque revellere didicerimus, de ea primum agamus. *Quot modis fiat.*

## CAP. X.

### *De Revulſione per Phlebotomiam.*

PHlebotomia eſt artificialis (u) venæ ſectio, ad ſanguinem è corpore eximendum, artificis *Phlebotomia quid?*

(t) Latius ſumitur ab autore Averſionis vocabulum: nam propriè dicta, aliam ſignificat ſpeciem evacuationis: ideoque Revulſio debet definiri, humoris fluentis attractio in partem contrariam. Quamvis autem benè dicat autor, dextra ſiniſtris, ſuperna infernis eſſe contraria, ut & anteriora poſterioribus, non tamen in his omnibus fieri poteſt Revulſio; ſed ſpectanda eſt pars mittens, hæc autem cor eſt, à quo duo Trunci, unus aſcendens, alter deſcendens oriuntur: quicquid itaque per aſcendentem ejuſque ramos influit, retrahere oportet per deſcendentem Truncum, ab eoque ortos ramos, ut vera fiat Revulſio.

(u) Phlebotomia duo ſignificat, vel enim conſideratur ut materia remedii Chirurgica,

artificis arbitrio. Sic enim dicta eſt, quod phlebotomum ſcalpellum ſit, ad id negotium accommodatum.

*Cur & quando in vulneratis ſit inſtituenda?*

§. 2. Commendatur hæc in vulneratis, ut humorum impetus revocetur ab affecta parte, quo phlegmone non excitetur, vel jam incepta deferveat. Quamobrem, vel ſtatim à prima vulneris curatione, vel eodem ſaltem die, vel ſequente, adminiſtranda eſt; præcipuè ſi ſanguinis parum è vulnere fluxerit: nam tunc maximè ſuſpectus eſt phlegmonis adventus, niſi hunc prohibeat aliqua corporis evacuatio in adverſam partem, vel revulſionis genus aliud.

*Alfonſus redarguitur.*

*Galeni loca expenduntur.*

§. 3. Propterea parcat Alphonſus, ſi eum graviter hîc erraſſe dixero, cum ad multos dies ab accepto vulnere phlebotomiam differre mandet, ſuffultus (præter rem tamen) Galeni autoritate in *lib. de cur. rat. per ſang. miſſ. c.* 20. dicentis, *reſpectum nullum eſſe habendum dierum pro ſanguine mittendo, etiam ſi vigeſimus dies morbi extiterit, modo ſcopi mittendi ſanguinis adſint*: Quod idem confirmavit 9. *meth. med. c.* 5. dum dixit: *Optimum igitur factu eſt (quod nos ſemper in re quaque facere vidiſti) ſtatim non numero dierum, ſed uni virium robori in febribus ejus generis attentum eſſe: quippe quod ſi ſervatum eſt, non ſolum ſexto ſeptimove die, ſed etiam ſequentibus diebus ſanguis eſt mittendus.* Galenus autem, præter

rurgica, & ſic ſolam denotat artificioſam venæ inciſionem; vel ut remedium ſanguinem evacuans, & ſic ſimpliciter ſignificat ſanguinis depletionem.

(x) Na-

præter id quod in *lib. de ſang. miſſ.* non contrahit ſermonem ad aliquem morbum, ſed univerſalem facit; & in *methodo* id mandat in febre ſynocho, non tamen dilationem præcipit: imo à principio ſanguinis miſſionem imperat, quæ ſi, præ medici negligentia, vel patientis effœminatione, vel moroſorum aſſiſtentium (quod non raro fit) repugnantia, fuerit omiſſa, non obſtat dierum numerus quo minus adhuc, (ſi expediat) fiat. Præſtitiſſet igitur, ut Alphonſus hæc Gal. verba adduxiſſet ex eodem libro de ſanguinis miſſione, c. 19. *Quippe revulſiones cum evacuatione adhiberi magis debent in fluxionibus incipientibus:* Vel quæ Hippocrates retulit & Galenus comprobavit, nimirum, quod in omni magno vulnere, vel fractura, vel contuſione, (intellige, niſi ſupra modum ſanguis effluxerit) phlebotomia ab initio conferat, vel pharmacia, vel utrumq;, vel aliquid aliud, quod horum vicem præſtet. Hæc ſunt quæ Hippocrates & Galenus mandant, quibus arridet ratio, & recta aſtipulatur experientia. Non enim electio dierum in ſanguinis miſſione habetur in vulneribus, perinde atq; in febribus: nam in iis (etſi Galenus dicat citra diſcrimen poſſe educi) intelligendum à morbi principio, quo tempore natura criſim nullam bonam aggreditur: quod ſi aliter intelligatur, falſum erit dogma.

§. 4. Ea vena ſecanda eſt quæ affectæ parti opponitur: ut, vulnere in capite exiſtente, cephalica brachii ejuſdem partis; ſi hæc haberi non poſſit, media, vel baſilica: Quod ſi *Quæ vena ſit ſecanda?*

& harum nulla pateat, ex reliquo brachio perquirito; in pedibus deinde, ſi ex his nulla manifeſtetur. Nec te perterreat Hippocrates in lib. de oſſium natura num. 13. dum inquit, *Operam dare oportet, ut quam longiſſime à locis, ubi dolores fieri ſolent, ac ſanguis colligi, venam ſecemus.* Nam hic *longiſſime* intelligit collative ad partes, quæ affectui ſunt continuæ. Nam ſolent plures dicere, ab urbe Roma Lutetias uſque, longiſſimum eſſe iter: verum ſi ad Terram floridam, aut Taprobanam inſulam comparaverint, illud breviſſimum nunciabunt. Quod autem ſic ſe res habeat, particulares univerſaleſque Hippocratis curationes nos ab ambiguitate eripient. *Si verò dolor* (inquit) *ad claviculam pertigerit, aut moleſta ſit, vel brachio, vel mammæ, vel partibus ſepto tranſverſo ſuperioribus, gravitas, internam cubiti venam ſecare expedit.* Hæc in *lib. de rat. victus acutorum*, *num.* 52. Cujus exemplo Anaxioni, lateris dolore prehenſo, venam cubiti ſecavit, non pedis oppoſiti: hæc enim longiſſima pars erat. Et in *lib. de locis in homine*, *num.* 42. *Angina* (inquit) *à ſanguine fit, quum is in venis, quæ in collo ſunt, compactus fuerit; ſic affectis, à venis, quæ in brachiis ſunt, ſanguinem detrahes.* Et in *lib.* 2. *de morbis num.* 16. *Rigor*, (ait) *dolor, & febris per caput, maximè ad aures, & tempora, & ſincipat, & oculorum regiones: hæc cùm ſic habuerit, primum ſanguinem de capite mittito, undecunque tibi viſum fuerit.* In *lib. de internis affectionibus*, *num.* 57. *ſi exendix à ſanguine fuerit, fomentum adhibeto, & cucurbitam affigito, & venas in poplitibus ſecato.* Item,

*Hippocratis locus explicatur.*

*Vid. l. 3. Epidem. ægr. 8.*

Item, *lib. 2. de morb. popul. Sec. 5.* ſcribit. *Si capitis os fractum fuerit, lac & vinum, admixta aqua pari menſura, bibenda date: Si vero ulcus fuerit, internas venas ſecato.* Ecce quomodo longiſſimam partem intellexit Hippocrates: alioquin hos omnes, & innumeros alios ab eo deſcriptos, in venas pedum, vel manuum phlebotomare oportebat, ut in 6. *Epid. ſect. 2.* dum dicit, *diſſimilia ſublime lata, deorſum ſolvere, atque ad contrarios locos, veluti eſt capitis purgatio, vena ſectio.* Poterit hîc quidem, qui parum medicinam callet, & Galenum non conſuluit, item dicere, nil pugnare quo minus putemus ſecandas eſſe venas pedum, cum illæ ſint longiſſimo loco ſitæ? Cæterum & experientia, & ratio, aliud affirmant, & Galenus hoc idem teſtatur, inquiens eo in loco, *Quod eſt ſublime petens, deorſum revellere oportet, ut, ſi in caput repant, per dejectorium medicamentum, & ſectionem in cubito vena, retrahimus.* Sed de iis ſatis.

§. 5. Quantitatem eductionis, morbi magnitudo, & vires (ſub iis ætatem reponimus) indicabunt, ad *libram* puta, vel *binas*, unica vice plus minuſve, ut morbus, virtus, & ſanguinis effluxi ex vulnere exiguitas, indicant. Valere ſiquidem ingenio, & experientia, Chirurgum Medicumque oportet, cum quantitas in hoc non ſecus, ac in reliquis rebus medicis, adamuſſim inſtitui in unoquoque non poſſit. Si ſanguinis evacuationem copioſam ſufferre non poſſit æger, venæ ſectæ oſculum digito occludas, & per ſpatium aliquod temporis, puta *Quantitas ſanguinis educendi.*

puta per vigeſimam horæ partem, ſic detineto; deinde digito remoto, & parum ſanguinis educto, uncia puta vel ſemuncia, iterum occlude: & ſic per vices iterabis. Nam hoc educendi ſanguinis genus, retrahit plurimum ab affecta parte, cum minima, (ſi lubeat) vel etiam maxima, (ſi expediat) ſanguinis evacuatione. Quare præſtantior eſt hic phlebotomiæ diverſivæ modus, quam ubi anguſto oſculo vena aperitur, ubi plerumque vel ſanguinis craſſitudine, vel adipe, obſequitur; unde protinus tumor eo loco fiat durus, ab ingruente ſanguine, qui ibidem infixus, livorem facit, quaſi contuſa pars eſſet.

*Pueri phlebotomandi.* §. 6. Phlebotomandi ſunt & pueri à quadriennio, vel triennio, ſi morbus requirat, & habitus conſentiat: Et quanquam hoc genere vulneris pauci afficiantur hujus ætatis infantes, id in omni magni vulneris genere conveniendiſſimum eſſe cenſeo, maxime in capite ſi ſit acceptum.

*Quæſtio de adminiſtranda venaſectione in pueris, contra Galenum, defenditur.* §. 7. Non me latet, hunc locum pluribus garriendi anſam daturum, maxime inexpertis, & parum conſideratis, quibus præcipuum eſt, raptim temereque cuncta pronuntiare, authoritate tamen Galeni moti, intra quartumdecimum annum non eſſe phlebotomandum aſſerentis. Sed quum ſit contraria hæc noſtra ſententia Galeno, quem omnes merito colimus, cuique hercle omnem laudem, omnemque venerationem in arte medica debemus, eam propterea rationibus vacuam relinquere non oportebit. Videamus primo qua cauſa

Gale-

Galenus ante pubertatem ſanguinis miſſionem recuſet: Eſt autem hæc, quod rara textura, habituque corporis calido & humido ſint, unde jugiter ab eorum corporibus non exigua ſubſtantia exſolvitur. Nulla (quæſo) Lectores, occupet animos veſtros amoris affectio, vel odii! Sapientis ſiquidem eſt, veritatem indagare, & inventam toto nixu tueri, propriaque impugnare, ſi vera non ſint. Si igitur, quia plurimum ſubſtantiæ à puerorum corporibus defluit digeriturque, cum calidiores humidioreſque temperie ſint, non competit ſanguinis miſſio, longe minus debetur adultis, ætate conſiſtentibus, ſenioribuſque: nam horum corpora ad ſiccitatem magis inclinant, ac, quam illa, magis naturali calore deſtituta ſunt. Nam in pueris, etſi multa fiat diſflatio, humorumque digeſtio, potentior tamen fit diſſolutorum reparatio, ac nova adjectio. Oſtendit autem id adoleſcentia ipſa: quare illo argumento probare nemo poteſt omnimodam ſanguinis abſtinentiam in pueris, ſi eductionem requirat affectus; probabit tamen parcius evacuandum eſſe. Præterea, ſi inſitam naturalem facultatem habent tam validam tamque fortem, quî fit ut febriant ſæpe, phlegmonaſque ingentes patiantur, & aliis morborum generibus non paucis affligantur? Vel jam dictis affectibus obſeſſi, cur ſæpe natura morbo cedit, adeo ut eorum plerique intereant, vel moroſis ac diuturnis morbis divexentur? Ab his, ſi ſecare venam tanti diſpendii & noxiæ eſt, quî fit, ut ſæpius

*Ratio Galenica.*

*Rejicitur Primò,*

*Secundò,*

*Tertiò,*

pius infantibus ſanguinem abunde è naribus erumpere videamus, ſine infelici ſucceſſu? *Quarè.* Sodes, quis puerum quandoque non vidit, vel ab alto lapſum, vel aliquo ſolutæ unitatis genere affectum, cum alicujus venæ apertura, unde hæmorrhagia ſequeretur ſine vitæ diſpendio, & ſine magno damno? Ego interdum quidem annales, bimos, trimos, & ſuper hos plures, vidi, & fœliciter curavi: quibus exemplis motus, ubi morbus indicaret, ac habitudo non repugnaret, quandoque venam ſecare pueris non dubitavi, tum in vulneribus, tum in magnis phlegmonibus ac febribus, in quibus ſanè ut plurimum voti compos fui. Quod præſidii genus in pueris, multis etiam medicis noſtris coævis experientia comprobatum eſſe ſcio. *Cautio neceſſaria.* Cæterum hoc unum obſervandum eſt, videlicet, ne fiat ſine diligenti præmeditatione. Commendatur autem præcipuè in magno vulnere, à quo ſanguinis exigua quantitas emanaverit, vel in quibus phlegmone moleſta ſit: parcius tamen evacuando, quàm ultra modum inaniendo: Nàm quod defuit à principio, (ſi conferat) iterata evacuatione ſupplere poteris; non autem, ſi multum evacuaveris, facilè corriges: Nam qui ſemel exhauſtus eſt ſanguis, reponi ampliùs non poteſt. *Phlebotomia vice qua uſurpanda.* Verum in pueris, phlebotomiæ vicem ſæpiſſimè ſupplent ventoſæ, frictiones, vel ligaturæ.

CAP.

## CAP. XI.

### *De Revulſione per alvum.*

PEr alvum pluribus ingeniis avertimus, nempe *potiunculis*, vel aliis generibus catharticorum devorandorum, *clyſteribus*, *balaneis*, & ſimilibus.

§. 2. Confert etiam hæc ab initio non ſecus atque ſanguinis miſſio, eoque maximè, ſi phlebotomiam averſetur patiens; adde, ſi ipſe etiam cacochymus ſit: adhuc etiam magis, ſi tumor circum ulcus, vel dolor, invaleſcat. Eodem itaque die, quo vulnus inflictum eſt, purgari corpus poteſt, ſi vires ſuſtineant, & magnus ſit morbus. Nil vetat in ſimilibus, matutino tempore ſanguinem modeſtè educere, & veſperi corpus purgare; vel ſero venam tundere, & ſequente diluculo alvum vacuare. Poteris quidem, ſi res exigat, & ſecundo, & tertio, vel aliis ſequentibus diebus id efficere, ſi antea omiſſum fuerit: Verumtamen præſtantius eſt primoribus diebus purgare, vel alio quovis modo evacuare prævisionis gratia, quam ſubſequentibus curationis cauſa. Non enim in vulneratis perinde atque in febricitantibus humores præparandi ſunt: Nam ii (vulnere excepto) ſano habitu cenſentur, in quibus humores, & viæ ad horum exitum paratæ facile judicantur. Quod ſi dolor, vel inflammatio, adhuc adoleſcant, pro humorum vitio vel copia, utramque vacuationem iterare: (ſi virtus adſit) non eſt pertimeſcendum.

*Purgatio quando inſtituenda?*

§. 3. Nec

§. 3. Nec obſtat nunc, neque etiam ab initio, quædam Hippocratis propoſitio, quam Medici nonnulli, hoc loco à ſcopo aberrantes, in medium ducere ſolent. *Quicunque* (inquit Hippocrates *libello de veratri uſu*) *inflammationes in morborum principio medicamento conantur ſolvere, nihil de eo detrahunt quod acervatum eſt, atque inflammatum: quæ verò partes ſanæ ſunt, & morbo reſiſtunt, ſimul eliquant.* Sed pace horum oſtendam, hanc ſententiam noſtro non averſari inſtituto, ſed potius aſtipulari. Non enim pharmaciâ humorem, facientem phlegmonem, vacuare ſeu abſumere niti debet Medicus, ſed paratum ad fluxum revocare retrahereve. Itaque Hippocrates non hîc à pharmacia omnino abſtinendum eſſe præcipit, ſed monet, ne conemur inflammationem, partem aliquam occupantem, *purgantibus medicamentis* ſolvere: quoniam, antequam purgatione retrahas humorem fixum, phlegmonem facientem, diſſolvantur primo partes, à quibus primitus fit attractio, neceſſum eſt; ventriculus puta, venæ meſaraicæ, & quæcunque inter has & affectam partem conſtitutæ ſunt: unde, qui jam fluxus eſt humor, & parti affixus, ab eadem diſſolvendus educendusve eſt, vel ad vicinas derivandus, non ad longinquas revocandus: Qui vero ad fluxum paratus eſt, vel fluit, nunquam ad contraria incommode retrahitur. Quod autem intelligi debeat Hippocratis litera, non aliter ac explanavimus; recte intelligenti (præter ea, quæ exarata mox ſunt)

firmam

firmam fidem facient ea, quæ in capite præcedenti *de phlebotomia* recitavimus, & reliquæ Curationes ab Hippocrate inſtitutæ. Scribit enim *l. 2. de morbis, num. 53. Si eryſipelas in pulmone fiat, tuſſis habet, & ſalivam expuit multam, ne liquidam, &c.* Subjungit, *Hic morbus maximè fit ex ebrietatibus, & carnium eſu, & ex aquæ mutatione. Sed & ex aliis cauſis emergit. Huic pharmacum deorſum purgans, bibendum dato, & lac aſininum.* Et *lib. 2. de morbis, num. 11. Si quis levem anginam, quam paraſynanchen vocant, patiatur, huic venam ſecare oportet, & maximè ſub mamma: concomitatur enim hac parte ex pulmone ſpiritus calidus. Oportet quoque deorſum purgare medicamento, aut clyſtere.* Item ibid. *num. 16. Peripneumonia talia facit. Febris acuta tenet, & ſpiritum frequentem ac calidum reſpirat, &c.* Addit, *Alvum autem in quatuor aut quinque diebus ſubducere oportet, & hoc paulo amplius, quo & febres obtuſiores ſint, & dolores leviores.* Adhuc in eodem libro, *num. 21. Pleuritis ad dorſum in tantum ab aliis differt, &c.* Subjungit, *num. 22. At ſi æger bilioſus ſit natura, & non purgatus correptus fuerit à morbo, priuſquam ſalivam bilioſam expuat, etiam medicamento bilem probè purgato.* At in *lib. de natura muliebri, num. 53. Si inflammati fuerint uteri, ſambuci folia tenerrima in tritici recentis craſſiore farina coquito, & leviter tepida ſorbenda dato.* Et *lib. 2. de morbis mulie bribus, num. 54. Si uteri inflammati fuerint, menſes obtorquentur, &c.* addit, *Cum ſic habuerit, pharmacum infra purgans bibendum dato, & ſubdititiis utatur.* Ex his, ac pluribus aliis curationibus, ab Hippocrate

Sſ ſcri-

ſcriptis, nobiſque relictis, facilè judicare poſſumus, purgationes non ſpreviſſe in inflammationum principio, imò quidem in augmento, ſtatu, ac declinatione. Eſt enim eouſque ducendus peccans humor, quouſque exuperaverit, ſi vires ferant.

*Purgatio qualis?* §. 4. Talis debet eſſe purgatio, qualem humores oſtendunt. Nec ſub ſilentio prætereunda eſt, quæ *ex locis affectis* ſumitur *indicatio*: nam ſi purgationem, capite vel thorace vulneratis, vomitum irritantem, exhibueris, augebis affectum; ſecus autem, ſi crura ſint affecta. Nec ſpernendas eſſe cenſemus, quæ *à conſuetudine*, & *ambiente* ſumuntur indicationes. Sed & in ſanguinis exuperantia ſæpe pharmaciam conferre, & à ſenioribus didicimus, ratione deinde & experientia comprobavimus. Præterea, ſunt qui vomere conſueverunt, quos abſtinere omnino non conſulo, ſi pars perinde (ut diximus) affecta non obſtet, ut caput, thorax, & venter, quæ vomitu violenter agitantur extenduntur que: hic nanque harum partium vulneribus ſemper noxius. Verum cum corpora purgare medici muneris ſit, ſatis nos hic obiter dixiſſe de purgatione exiſtimamus: Quare nunc tempeſtivum videtur, ut ad revulſionem, quæ citra evacuationem fit, tranſeamus; non enim de aliis omnibus hòc in opuſculo diſſerere decrevimus, ſed de iis tantum, quæ frequentius uſurpantur.

CAP.

## CAP. XII.

### *De Revulſione citra evacuationem.*

SUnt aliqua quæ revellunt, nulla ſenſibili apparente evacuatione, nimirum *ligaturæ* & *balnea*, iis addimus *cucurbitulas* & *frictiones*: verum eæ mitius. Quibus auxiliis tuto in omnibus corporibus uti poſſumus, tum ante purgationem & phlebotomiam, tum poſt, dum ſcilicet fluxio moleſta, vel ſuſpecta eſt.

§. 2. In corporibus boni habitus, ſæpe ſine purgatione ac ſanguinis miſſione, iis per ſe contenti fuimus: In corporibus multi ac mali ſucci, cum poſt, tum ante, phlebotomiam. Reliquas partes vincîmus: ut, ſi vulnere in ſiniſtro brachio exiſtente, ex reliquo venam ſecuerimus, tibias vincire non dubitamus, ſtringendo vincula non ſecus, ac qui phlebotomare intendunt; quæ ubi moleſta, plurimumque doloroſa eſſe cœperint, ſolvenda veniunt, mox iterum religanda reſtringendaque ſunt, & ſic per vices repetenda. *Ligatura quomodo adhibenda?*

§. 3. Si ſymptoma aliquod grave affectam partem male habeat, ſimul cum ligaturis *Balnea* calentia proderunt, eiſdem partibus adhibita quibus & vincula: poterunt etiam ſola balnea, ſeu lavationes (citra vincula ſcilicet) uſurpari. Sit autem *aqua ſimplex*, & *calida* quantum ferri poſſit: in quam demerſis pedibus manibuſve, viciſſim hæc perfricentur, ut major fiat evocatio: *ſemel* aut *bis* in die introduci poſſunt, & ſpacio *horæ unius* vel *dimidiæ*, *Balnea.*

eoque tempore, quo vehementius ſymptomata urgent, etiam ſi nuper fuerit aſſumptus cibus. In iis perſiſtere poſſumus eo temporis curriculo quo fluxio perſeverat, ſive ad ſeptimum diem, ſive ultra perveniat.

*Frictiones.* §. 4. *Frictiones* magis derivare, quam revellere, dicimus, niſi vehementiores ſint: verum eæ cutem exulcerant, moleſtiamque gravem inducunt, mites vero leviter trahunt. Has tamen ſi feceris, (reliquis auxiliis non omiſſis) juvabis.

*Ventoſa.* §. 5. Idem & de *Cucurbitulis* dicendum eſt: nam hæ à propinquioribus tantum partibus trahunt; quare potius ad derivandum, quam ad revellendum, erunt idoneæ. Verum ſi urgeant ſymptomata, & cucurbitulas in contrarias, & interdum in vicinas partes, (non poſtpoſitis revellentibus) appoſueris, addes auxilium. Has tamen, & balnea, & frictiones, magis laudamus in tenerioribus, ac boni habitus, corporibus, quam in robuſtis & repletis, in quibus revulſiones ſine evacuatione (niſi inanitio conveniens præceſſerit) majorem fluxionem cauſant; eo quod ſolutis vinculis, vel à lavacro, ſtatim ad partem affectam impetum faciant fluxiles humores.

*Victus tenuis num revellat?* §. 6. Sed num & *Victus tenuis* ſub genere revellentium, aut retrahentium, ponere liceat? Nil obſtat hercle. Stomachus nanque cum prima pars ſit, quæ & cibum recipiat, & nutriatur, & inter reliquas partes primo fame cruciëtur, ſi cibum tardius, ac parcius æquo, ſuſceperit, à continuis ſibi partibus humidum

trahit,

trahit, & hæ ab aliis, & ſic ſuccedentes. Unde duplici ratione tenuem victum poſſe in his prodeſſe cenſendum erit, tum quod partes, quæ famem ſitimque primo experiuntur, ab aliis ſibi adjacentibus trahant; tum etiam, quod propter convenientem inediam, non modo non generetur nova humorum noxiorum copia, ſed, qui noxam fortè inferre parati eſſent, abſumantur. Verum hunc viribus patientis, ac conſuetudini, proportionandum eſſe, nemo ambiget, qui utique in medica facultate fuerit exercitatus. Tenuem autem victum dico, ſi æger *panatella*, vel *chondro*, vel *ptiſana* tota in *jure pulli*, vel *vituli*, vel *aqua & oleo*, vel *butyro* condita, parcè nutriatur. Pro potu *aquâ hordeacea*, vel *ſimplici* utatur cum *ſacchara*, primis maximè diebus, poſtea vero *paucifero vino* egregiè *aqua temperato*. *Victus tenuis quid?*

## CAP. XIII.

### *De Derivatione.*

DErivare intelligimus, cum humores, aliquam partem infeſtantes, in propinquam trahimus, vel ex propinqua educimus.

§. 1. Fit & hæc quandoque cum ſenſibili evacuatione, quandoque ſine hac. Cum evacuatione manifeſta, *veſicatione cutis*, *hirudinibus*, *ſcarificatione*, *venaſectione*: ut, ſi ſincipue affectum fuerit, à quo aliquid ad vicinas partes trahere conveniat, vel venas temporum *Derivatio quibus fiat.*

 tundi-

tundimus, vel quæ medias frontis regiones occupant; vel in ſummitate naſi, vel pone aures, vel collum, ventoſis appoſitis, ſcarificamus. Poſſumus & *errhinis* & *maſticatoriis* medicamentis ad fauces & nares evocare; Errhina tamen, niſi urgeat neceſſitas, cavenda ſunt, eo quod capitis noxam plerunque majorem faciant. Simili modo, ſi ab humero, vel cubitu, ægris derivare affectes, pro cubitu venas manus aperies; pro humero eas, quæ in interiore cubiti parte ſunt, tundes, ab eodemque latere. Idem cogita, ſi ad coxendicem ſit affectio, vel ad genu, quibus venæ poplitis, & juxta malleolos poſitæ, proportione reſpondent. Quod ſi tundere venam quicquam impediat, vel aperta nil, vel parum, profecerit, affectui circumpoſitam cutem ſcarificabis, vel veſica obduces.

§. 3. Cæterum hæc imperare, ac etiam facere, exigui laboris, & levioris induſtriæ eſt; non tamen æque facile ſcire *quibus*, *quantum*, *quando*, & *qua arte* iſthæc fieri debeant. Fieri itaque Derivatio debet, cum hærens humor, ſua multitudine, vel lentore, vel craſſitie, partem aliquam adeo obſidet, ut neque revellentibus, neque aliis opportune adhibitis præſidiis, cedat. Quod ſi pertinacius adhuc à Derivatione inſideat, ab ea evacuatione, quæ ab obſeſſo loco fit, petendum eſt ſuffragium.

CAP

## CAP. XIV.

### *De evacuatione quæ ab affecta parte fit.*

AB affecta parte educendus is humor eſt (omittimus hîc ea quæ in ſinu aliquo ſunt collecta) qui contumax factus, alias in partes revocari non poteſt, ſive id humoris cauſa fiat, vel cutis denſitate, vel obſeſſæ partis imbecillitate. Variis modis hæc evacuatio fit: nimirum, *evaporatione*, *veſicatione*, *uſtione*, *hirudinibus*, *ſcarificatione*.

§. 2. Evaporantia (quæ & reſolventia dicuntur) primo loco ſunt tentanda, inter quæ non ultimo loco, ſed quidem primo, eſt collocandus *fotus ex aqua calida*, cui, ſi liceat, *chamæmelum*, vel *nepeta*, vel *calaminthum*, vel aliud quidpiam id genus addi poterit. Præter fotus ſunt *illitiones*, *cataplaſmata*, *emplaſtra*, & alia temperate calefacientia exſiccantiaque: quorum munere niſi optato fine potiaris, ad *hirudines*, *ſcarificationes*, *uſtiones*, *veſicantiave* te convertes, corpore prius, ut par eſt, inanito. Accedamus nunc ad aliud, antedictis quaſi contrarium ſymptomatis genus, nempe ad ſanguinem nimium fluentem.

## CAP. XV.

### *De ſanguine ſupprimendo.*

SAnguis cum totius corporis alimentum ſit, quo deficiente ſimul, vitam deſciſcere neceſſum

ceſſum ſit; is cuſtodiam ſui nobis indicat, ſi vita frui debeamus. Quare navanda eſt opera (ubi abundantius fluit,) ut cohibeatur: quod multifariam fieri ſolet, *obſtruentibus* videlicet, *aſtringentibus*, *revellentibus*, & *ſecta in totum vena* fluente.

*Obſtruentia.* §. 2. *Obſtruunt* tenacia, lenta, ac viſcida, ut *gluten piſcium*, *gummi ceraſorum*, *amygdalarum*, *thus*, *aloë*, *maſtiche* & ſimilia. Hæc autem exiguo negotio ſanguinem ſiſtunt, ſi vas ruptum parvum ſit: aſt ſi hoc fuerit amplum, horum alicui miſcenda quæ *adſtringunt*, ut *lyſimachia*, *Adſtrigentia.* *malicorium* ſeu *cytinus*, *myrobalanus citrina*, *bolus armena*, *ceruſa*, *plumbum uſtum*, *gypſum*, *lithargyrum*, & alia id genus. Cæterum etiam (per accidens tamen) *reſtringunt* ea *quæ refrigerant*, inſuper & repellunt, ut *lactuca*, *endivia*, *cucurbita*, *polygonum*, *ſolanum*; quæ tamen potius extrinſecus applicanda, quàm introducenda. Ejuſdem generis eſt *ſedum utrunque*: imo & aſtringente ſeu auſtera quadam facultate eſt præditum: [excepta tertia ſpecie, quam (ut Dioſcorides *lib.* 4. *c.* 91. inquit) aliqui *andrachnem agriam*, aut *telephion* nuncuparunt; nam hoc acerrimum eſt: In maceriis & parietibus detectis humilibuſque luxurians, flore luteo: hoc à ſecunda ſpecie vix diſtinguitur (dum flore utrunque vacat) niſi guſtu, quod hoc ſtrangulatorium & ulcerans eſt; illud verò, nempe ſecundum, gratum & eſculentum. Placuit hanc digreſſionem facere, cum facile quis falli poſſet.] Redeamus igitur ad omiſſa. Adhuc magis *aſtringunt alumen*, *æris viride*, *calcanthum*,

*canthum*, *sandaracha*, *sublimatum* & ſimilia. Verum hæc doloroſa & cauſtica ſive cruſtifica ſunt: adhuc *valentius* ac *celerius reſtringit candens ferrum*. *Revellentia* hoc loco conferre poſſunt ea, quæ, citra evacuationem, ad ſe ſanguinem avocant, quorum omnium primas obtinent *ligatura* partium oppoſitarum. *Revellentia.*

§. 3. Si igitur *vena rupta* pateat, tutius eſt eam *ignito ferro* conſtringere. Si verò in alto deliteſcat, ut in brachio, coxa, vel crure, hoc medicamento vulnus reple, *Rec. Boli armenæ* ʒ iv. *maſtiches*, *thuris*, *aloës ana* ʒ j. omnia *albumine ovi* ſimul junge. Aliud, *Glutinis piſcium*, *maſtiches*, *boli armenæ ana* ʒ ij. *gallæ immaturæ*, *thuris ana* ʒ j. excipe *albumine ovi*: Poteris *pilos leporis* minutim inciſos, & *flores* ſeu goſſipium *ſalicis* vel *populi* admiſcere. In hoc genere vulneris, ad ſanguinem cohibendum, turundæ ſunt parandæ paulo duriores, ex leni tenuique carpto linteo, quæ aliquo dictorum medicamentorum imbuendæ ſunt, ac imponendæ, quo venarum oras comprimant. Alia medicamenta poteris tu ipſe componere, ſimilis, ac etiam majoris potentiæ reſtringendi, addendo *cytinos*, vel *malicorium*, & id genus alia, ex quibus parandæ turundæ ſunt multarum formarum, teretes tamen, ſed majores & minores, longiores ac breviores, ut prompte habeas quo extempore ſuccurras: ſiccæ autem hæ conſervandæ ſunt.

§. 4. Quod ſi alicujus horum ſuffragio voti compos non fias, ad ignita inſtrumenta propera: Celerius nanque, tutius, ac minore *Actualia Cauteria.*

noxia, intentum conſequeris, quem pharmacis urentibus, quæ ingentes, & multarum horarum dolores patiunt; unde interdum pacatus fluxus reviteſcit, cujus cohibendi (poſt cauſtica medicamenta) non tanta relinquitur candenti ferro virtus, atque ante illorum uſum, eo quod cruſta ab illis facta, non parvo ſit impedimento. Verum opus quod candenti ferro fit, hominem in Anatome exercitatum requirit, qui venarum ſitus ac poſitiones bene noſcat. *Inſtrumentorum forma* talis eſſe debet, qualem vulneris diverſitas poſtulat, quorum alia aliis ſunt magis accommodata: plura ideirco habere par eſt, cum *recta*, tum varia ſpecie *recurvata*: cum *magna*; tum *parva*; cum *capitata*, tum *ovali*, ſeu *ovi ſpeciem referentia*, necubi deſit quod operi ſit conducibile, ſive in altum, ſive ſuprema facie vena ſit, & ſive hæc parva, ſive magna, pro vulneris (ut antea diximus) exigentia. Sed, dum opus eſt facto, duo habebis ejuſdem formæ ac magnitudinis ſimul candentia, & ubi membrum, circunquaque vulnus, linteis, aceto & aqua madidis, belle obduxeris, unum prehendas, & in vulnus inſeras, firmaque manu in eam partem, qua ſanguinem fluere cenſes; innitaris, & hoc cum deferbuerit, in igneam reconde, alterumque protinus cape, & imprime uſque dum fluere deſtiterit. Sed, quo minus igne ægrum extorqueas, noſce primum, num à ſupernis, vel ab infernis, ſanguis profluat: nempe, num à parte humeri (ſi in brachio ſit vulnus) vel potius à parte manus:

*Forma cauteriorum actualium.*

*Iis utendi modus.*

manus: & ſi in crure affectio ſit, expendenum à parte ſuperiore, vel potius ab inferiore manet. Non enim exigui eſt momenti præſens admonitio: nam plerunque artifices ad ſuperna innituntur (naturalem (x) rationem ſequentes) operam illudentes; qui ad inferiorem venæ oram dum convertunt ferrum, ſtatim ſupprimunt. Quare priuſquam ferrum candens intromittas, digito vel manu premas, cum ſuperne tum inferne, ut intelligas unde ſanguis ſcateat. Quo igitur facilius credere poſſis ab infernis ut plurimum (è venis non adeo vaſtis) ſanguinem effundi; experiri poteris in phlebotomia, ubi preſſa venæ ſuperiore parte quandoque non cohibetur, inferiore vero ſtatim fluere ceſſat. Sed ad rem.

§. 5. Quod ſi vel oſſa, vel cavitas aliqua, vel languentis effœminatus animus prohibuerint, quo minus avitum finem aſſequaris; ad

(x) Naturalem rationem vocat Autor eam, quæ ex hypotheſi de ſanguinis per venas ad circumferentiam corporis decurſu deducitur; fallacem tamen eam eſſe, docuit doctrina Harvejana de ſanguinis per venas aſcenſu, & per capitis venas deſcenſu. Imò quamvis eam circulationis doctrinam, non cognoverit autor, praxis tamen eum docuit circulationis veritatem; nimirum, ab inferna venarum parte (intellige ubi fuerint diſſectæ) ſanguinis fluxum provenire. Hanc ſuam experientiam dicit confirmari ab eo, quod in phlebotomia venarum brachii videmus accidere, ubi preſſa venæ parte inferiore, ſtatim fluere ceſſat ſanguis; quod, ſicuti ex ſtructura valvularum in venis neceſſariò ſequi aſſeverarunt *Harvejus* libelli ſui cap. 13. & *VValæus Ep. ſecunda*; ita mirari vix ſatis queo, neminem ante prædictos viros ea de re penſitatius cogitaſſe, & utiliſſimam hanc doctrinam maturius patefeciſſe.

*Cauteria potentialia.*

*urentia medicamenta* properabis: Nam tunc tutior locus iis relinquitur, neque etiam tam dolorosa ſe præbent. Huorum compoſitiones tales erunt, *Rec. Balauſtiorum, maſtiches, terræ ſigillatæ, ſeu boli armenæ, ana* ℥ iij. *aluminis rupei, æris viridis, æris ſquammæ ana* ʒ j. cum *ovi albo*, vel *vino auſtero* compone. Aliud, *Rec. Lyſimachiæ luteæ, balauſtiorum, boli armenæ, ceruſſæ, ana* ʒ ij. *aluminis, viridis æris, ana* ʒ i ß. *Calcanthi* ʒ j. cum *ovi albo* vel *vino auſtero* miſce ad uſum. Si ex iis teretes paſtillos velis efficere, (quod optimum eſſet, ut ad opus haberes præſto dum res poſtulat) præſtaret omnia auſtero vino vel paſſo excipere, eo quod citius, dum in vulnere ſunt, diſſolvantur, quam qui ovi albo componuntur. Sed cum molle medicamentum velis, ſatius erit pulveres, ovi albo, aut craſſe diſſoluto glutino, excipere: conſtipant autem hæc magis ſuo lentore, quam ſapa, aut vinum. Aliud, *Rec. ceruſſæ* ℥ iij. *balauſtiorum, calcanthi, aluminis rupei ana* ʒ ij. *arſenici* ℈ iv. paſſo vel *auſtero vino* excipe, & fiant *paſtilli* teretes, ſeu (ut ajunt) *trochiſci*, qui in furno, vel alio quovis modo, exciccentur. Aliud valentius, *Rec. ſublimati* ℥ j. *calcanthi, viridis æris, minii ana* ʒ i ß. *pollinis tritici* ℥ iij. cum *ſucco omphacitidis*, vel *aceto acerrimo* fiant *turundæ* ſeu trochiſci. Ad præſens negotium conducere *Trochiſcos de minio Joan. de Vigo* experti ſumus, niſi quod citiſſime cadit cruſta ſeu eſchara per illos facta, unde iterum ſanguinis effuſio ſubſequitur; propterea, quo diutius eſchara hæreat, *iis addo calcanthum*, vel *viride*

*viride æris, vel utrumque. Trochiſcorum* autem dictorum (y) *deſcriptio* talis eſt, *Rec. Medullæ panis crudi bene fermentati* ℥ IV. *ſublimati electi & fortiſſimi* ℥ j *minii* ℥ ß. omnia tenuiſſime tundantur, & incorporentur cum aqua roſacea, & fiant trochiſci. Calcanthum addi poteſt ad parem doſim cum ſublimato.

§. 6. Horum (etiam & aliorum ſuperius inſtitutorum) *uſus* talis eſt: Inſigitur unus in vulnere, ut manantes oras diviſæ venæ, vel arteriæ, contingat, ibique relinquendus, donec natura hunc, una cum eſchara qua obducitur, ejicere affectabit: quod raro fit ante dies quatuor vel ſex. Quare interea vi evellendus non eſt: Nam ſi impatiens moræ, præcocem cruſtam extirpare tentaveris, operam perdes, & quidem non citra honoris labem, & ægri jacturam; non igitur huic maturandus, ſed potius differendus eſt exitus. Cæterum cum impoſueris, repellentia loco ſunt adhibenda, iterandaque, & digito eam partem venæ premere qua fluit, uſque quo eſchara fuerit præſtita, & etiam ultro, ſi facultas adſit: efficitur enim trium, aut quatuor horarum ſpatio. (a) Præterea, adverſis partibus vincula ſunt adjungenda, nec vulnus contrectandum *Utendi iis ratio.*

(y) Hi Trochiſci deſcribuntur à Vigone *part. 2. Practica lib. 5.* is vero recipit ſublimati tantummodo ʒ iij. ut & minii ʒ ij.

(z) Noſtri Chirurgi non tanto utuntur apparatu, ſed vel colcothar Vitrioli, vel fungum, (qui crepitus lupi appellatur) vel alium pulverem magiſtralem impoNunt, unà cum goſſypio, aut pexa ſtuppa, & vulnus obligant.

(a) Idem

dum trium, aut quatuor, dierum ſpatio, niſi putor aliter facere cogat.

§. 7. In vulnere vero, punctim, aut cæſim, facto, ſi vena diviſa eſt, ab initio partes (quoad fieri poteſt) diſſidentes ſtatim junge, & , ut ſic contineantur, omnem operam nava; nec turundam ullam, nec aliud quidpiam, in vulnus mitte, ſed ſinito, laxiſque faſciis ligato, & manu premito, aut premere facito: ratus, nil æque juvare in ſanguine cohibendo, quocunque in vulnere, quàm temperata aſſiduaque compreſſio manu facta, quouſque conſolidatæ, aut carne obtectæ, aut alio quovis modo obſtructæ fuerint venarum diviſæ oræ. Quare pro tam longa & aſſidua mora, (quæ ſaltem dierum trium, vel quatuor, quandoque etiam & ſex, erit) (a) homines aliquot eſſe oportet, qui mutuam operam ſubminiſtrent, manum interdum in frigidam mergentes. Quod ſi facultas hæc non adſit, & ſanguis fluere perſeveret, æque in cæſis vulneribus, atque in laceris dictum eſt, ſuccurras. Præter hæc vitandus calor, non modo affectæ partis, ſed corporis totius, aëris nempe, & alimentorum: eligendus ſitus parti affectæ congruus, nempe ſublimis, ſi hæc ferat; imperanda ſervandaque quies. Et quo minus æger laboret in alvo exponenda (quam neque lubricam, neque reſtrictam eſſe expedit) *lentes*,

(a) Idem quoque obſervatum fuiſſe à chirurgis, in vulnere Principis Auriaci Guilielmi I. excelſæ memoriæ, quod in regione colli acceperat, narrat hiſtoria Belgica.

(b) De-

*ones*, ſeu *humiles mutula* arte parantur, & clunibus ſubjiciuntur. Non parum juvat hæc animadverſio in omni magno ſanguinis fluore, ſed potiſſimum ſi ab inferioribus partibus fluat. Poſſemus hîc addere Galeni præceptum, nempe, *totius venæ tranſverſam ſectionem*, niſi in totum diſciſſa fuerit: verum ſi hoc juvare poſſit, & ipſa vena pateat, tutius (ut jam diximus) candens ferrum adhibetur. Nunc tempeſtivum eſt ut ad curationem nos convertamus.

## CAP. XVI.

### *De Curatione in genere.*

CUrationis igitur hujuſmodi vulneris *prima intentio* eſt, *auferre extranea* quæ jure videntur auferenda: *mox* ad curandi formam, quæ contuſo, lacerove vulneri conferre perpetuo novimus, ſe convertere, ut *contuſam* ſcilicet, *laceramque carnem à ſano* ocyſſime *ſejungere* intendas, medicamentis minime mordentibus; quale eſt, quod ex *mercurii pulvere* (quem *præcipitatum* appellant) paramus. Miſcemus autem *præcipitatum* vel cum *roſaceo*, vel cum *oleo ſimplici*, vel cum *butyro*, vel *recenti axungia ſuilla*: *ſemuncia*, puta *butyri*, *pulveris binas drachmas* adjicies, plus minuſve, pro contuſionis ratione. Nam quanto glans major fuerit, non modo vulnus majus reddit, ſed & altius circumquaque tundit. Parantur & alia medicamenta

*Vnguentum putridam carnem abſumens.*

*Ægyptiaci præſtantia.* menta ad hoc munus, ut *Ægyptiacum*, & ſimilia: verum hîc tantum illius memoriam facere libuit, cum inter reliqua hujus facultatis principatum obtineat, ſic ut aliquid miri præſtare videatur: contuſam enim, putridam, vel magis auctam carnem, cum minimo, vel nullo, dolore diſſipat; vulneri non modo nullum cruditatis veſtigium relinquens, ut reliqua, ſed cocta, temperata, beneque diſpoſita eadem reddit; quare illud præ cæteris omnibus merito anteponendum eſſe cenſui. Hoc igitur medicamento uteris *duorum dierum ſpatio*, vel (ſi magna ſit carnis contuſio) trium. Illinuntur autem eo, quæ in vulnus ponuntur, videlicet *peniculi* ſeu pulvilli, vel *turundæ*, vel *lychnia*, quæ funiculi, vel flammulæ ab aliis dicuntur, & alia id genus. *Semel* tantum in die ab initio curandum eſt vulnus, niſi magna putredo adſit. Aſt hæc non apparet, niſi etiam magna ſit laceratio. Poſtea iis quæ levius abſtergant, & moderatè ſiccent, quibus interea, dum contuſæ carnis aliquid adhuc impenderit, butyri momentum commiſceri poterit. *Detergentia.* Detergunt itaque, ac moderatè ſiccant *mel* cum *ſimplex* tum *roſaceum*, *ſyrupus roſaceus*, *ſuccus myriophylli*, *plantaginis*, *chelidonii*, & alia innumera: iis addere (ſi lubeat) poteris *terebinthinam*, vel *aloëm*: vel, ſi locus poſtulat, *euphorbium*, puta ad juncturas, & hyberno tempore; & in exigua quantitate: utiliter etiam admiſceri poterunt tum pulveres, tum *farinæ orobi*, nempe, *hordei*, *lupinorum*, *iridis*, *ariſtolochiæ* & alia id genus varia. Deterſo vulnere, carnis genera-

generationi incumbendum: facile nanque hæc gliſcit, ſi nil ſit quod prohibeat: quare, vitatis iis, quæ impedimento eſſe poſſunt, exiguis medicamentis eſt opus; Natura nanque opifex eſt gignendæ carnis, & obducendæ cutis.

§. 2. Sed, quod repetere non pigebit, cum hîc frequenter, non levi damno patientium, ignari artifices peccent, eſt, ne turundæ, vel lychnia ultra modum ſint craſſa, neque longa, neque dura, neque aſpera. Pungunt longa; craſſa extendunt, ſimul & prohibent quominus teter vapor, aut quævis alia putrigalo, è vulnere dejiciatur; hinc gangrænæ partium affectarum, jocinoris æſtus, & tubercula, quæ putria vulnera ut plurimum ſequi ſolent, hincque febres vix ſolubiles: Lacerant aſpera, eoque magis ſi dura ſint. Parentur hæc igitur lenia, lævia, tenuia, ex molli tenuique linteo, vel goſſipio, vel alia ſimili materia conſtructa; quo dolores non excitent. Hæc omnia ſummopere ſunt obſervanda in quovis vulnere, ſed in hoc maximè, & potiſſimè ſi oſſium fractura adfuerit, ubi non parva diligentia etiam adhibenda eſt in membri apto ſitu comparando, quo patiens citra dolorem, quoad fieri poterit, tempus peragat. Declivis igitur poſitio primis diebus cavenda eſt, & probanda ſublimis, ſi ferri commode poſſit. Deteſtandæ hîc prorſus ſunt ligaturæ omnes, quæ partem utcunque urgere poſſunt: ſimiliter & noxia vulneris contrectatio, partiſque motus. *Monitum Chirurgicum.*

*Quid præcautionis gratia faciendum?*

§. 3. Hæc compendioſe de initio curationis hujuſmodi vulneris ſint dicta, quæ ut fæliciorem conſequantur exitum, *proviſione* vacent fas non eſt. In prima igitur curatione ſtatim, cooperto vulnere, *tundatur vena* ex adverſa parte, ſanguinemque copioſius, ſi è vulnere parcius fluxerit, educes: Si verò multus ab hoc ſit effuſus, exiguum, vel prorſus nihil, exhaurire expediet; ſed vice phlebotomiæ *vincula* (ſi res dictet) vel *frictiones*, vel *balnea*, vel *cucurbitulæ* ad partes oppoſitas, ſuppetent. Quod ſi mali, vel multi ſucci, ægrum incurreris, poſtridie à ſanguinis miſſione, *medicamento purgante* alvum evacuabis. Et circumſtantes vulneri partes, ab initio *repellentibus*, (ut licet,) fulcias; *oxyrrhodino* puta, vel *oxycrato*, vel *decoctione malicorii* vel *cytinorum*, vel *myrti foliorum baccarumve*, *gallæ*, vel ſimilium. *Victumque tenuiſſimum* ab ipſo ſtatim principio imperabis, quem ſubinde pleniorem concedes, prout morbi magnitudo, ſymptomatum metuendorum præcurſores, virtutis robur, & patientis conſuetudo, indicabunt. Sed cum hæc ſuccincto generalique ſermone dixerimus, non alienum erit ſi ad exemplares curationes ſermonem noſtrum convertamus: Hæ namque magis ſenſum movent.

CAP

## CAP. XVII.

### *Curatio Vulneris Capitis.*

UT humano corpori animam, Natura rerum omnium genitrix, præfecit, ita & hujus ſedem (caput nempe) ſublimiore in loco conſtituit: Ab hujus igitur affectibus jure merito licebit nobis auſpicari.

§. 2. Ex bombardula ſclopetove, varia in capite vulnera infliguntur, quæ, quantumvis exigua fuerint, magni tamen ſemper ſunt æſtimanda: Non enim facile eſt hujus partis inflammationes corrigere. Hæ tamen parvo negotio inſurgunt, ſi negligens ſit æger, vel artifex: eo quod denſiore cute ſit obducta, quam non facile pervadunt humores noxii. Longè etiam majus negotium hæc vulnera faceſſunt, cum internis partibus injuriam communicant. Sed quidem tunc maximum ac moleſtiſſimum, cum ad commiſſuras, vel tempora, vel occiput, vel oculorum regiones, læſio fuerit accepta. *Hipp. præfat. in lib. de vuln. cap.*

§. 3. Agedum, ſi vulnus ſimplex fuerit, (nempe quod tantum externas partes urgeat) ſtatim undequaque *deraſis capillis*, ſemel, aut ad ſummum bis, hoc medicamento ipſum curabis. *Recipe pulveris præcipitati* optimè præparati ʒ j. *butyri recentis* ʒ ij. *olei roſ.* ʒ j. *croci gr.* ij. miſce, & fiat *unguentum*: quo peniculi, pro ratione plagæ, ex molliſſimo carptoque linteo concinnati, illinantur, eoque tenuiore denſioreve, prout in vulnere major vel minor extiterit *Curatio vulneris ſimplicis.*

terit contuſio: Nam ubi hæc major fuerit, liberalius, ubi verò minor, parcius ex medicamento ponendum erit. Circumjacentes autem partes *linimento*, ex *ovi albo*, *roſaceo*, *boloque armena* confecto, obducendæ. *Secundo* verò aut *tertio die*, relicto medicamento ex præcipitato, aliud introduces, in quo vis adſit concoquendi ulceris, detergendi, & leviter exiccandi, cujus hæc erit forma, *Recipe terebinthinæ claræ, in albo vino ter lotæ* ℥ ß. *mellis roſati* ℥ j. *butyri recentis* ʒ ij. *farinæ hordei*, *pulveris ariſtolochiæ rotundæ*, *radicis ireos*, *ana* ʒ j. *aloës* ʒ ß. miſce, fiat *unguentum*. Hoc autem uti poteris, donec laudabilis appareat concoctio; quæ, ſi ſanabile ſit vulnus, recteque id fuerit tractatum, diem quartum, aut ad ſummum ſextum, non excedet: quo tempore à butyroſis, oleoſis, & cæteris pinguibus, abſtinendum eſt.

*Digeſtivum vulneris.*

§. 4. Exiguo negotio ſimplicia & parva capitis vulnera ſaneſcunt, cum morigerum patientem, & peritum artificem, nanciſcuntur. Cæterum, quanto hæc faciliora ſe exhibent, tanto moroſiora, majoreque formidine plena, reperiuntur ea, quæ magna ſunt, & quæ cum aliqua internarum partium communitatem habent. Itaque ſi intrinſecarum partium offenſa ſenſum non lateat, vel ſaltem de ſe magnam faciat opinionem, continuo os (b) delibrare intende, ea ſcilicet parte quæ magis gravata eſt, hancque ſic retege, ut eximenda libere

*Qua ratione procedendum ſit, cum magnum eſt vulnus.*

(b) Delibrare ſignificat propriè decorticare, quod ſcalpris excoriatoriis præſtant Chirurgi.

(c) Si

libere educere, vel colliſa (ſi expediat) terebello perforare, vel rimoſa radere ſcalpereve poſſis. *Inciſionis* (c) *cutanea forma* duplex eſt, altera *trigona*, *tetragona* altera: ſed hæc poſtrema ad intentum noſtrum magis conducit, ea autem eſt quæ duabus lineis, orthogonaliter ſectis, depingitur. (*Vide Figuram in Tabula generali.*) In prima igitur cura (ſi fueris vocatus) *novacula* bene ſecante, ac manu ponderoſa, cutem ſic præſcindito, ut pericranium una diviſum ſit; mox *ſcalpro* plano, ac læviter obtuſo, os ipſum excoria: ad id etiam negotii aliqua ex parte ungues conferunt. Nudato oſſe, labra everte. Dicti ſcalpri ſchema vide in *Tabula generali huic libello ſubjuncta*. Huic ſcalpro excoriatorio obtuſa acies cum ſit, ineptum eſt ad ſcindendam carnem, & ad os etiam tundendum, ad deglubendum tantum accommodatum. Quod ſi glans in propriam cerebri ſubſtantiam introierit, ſalutis omnis ſpes exempta eſt: ſi verò cranium non pervaſerit, aliquid tamen de eo (quod crebro fit) à ſua ſede depoſuerit, hoc educere labora. Idem intellige faciendum eſſe, ſi in oſſe infixa glans ſit, ut exemplum mox dicendum explanabit. Quod ſi nihil hoc primo apparatu ſit extractioni promptum, *pulvillis ex carpto linteo*,

*Quid agendum, ubi glans in partis ſubſtantia hæret.*

(c) Si forte ab inſtrumento vulnerante inciſa ſit cutis per lineam rectam, non eſt protinus cogitandum de ſectione trigona aut tetragona, ſed ſuffecerit vulnus dilataſſe impoſitione multorum plumaceolorum, ex carpto lino confectorum, donec ſatis amplum ſpatium extiterit pro impoſitione Trepani, ſi forte ejus superveniat neceſſitas.

 (d) Hip-

*teo*, vel *molliſſima ſtuppa*, vel goſſipio paratis, & in *auſtero vino*, vel omphacio, vel *poſca madidis* ac compreſſis, *vulnus appleas*, oblitis iis primum medicamento, confecto ex *ovi albo*, *recenti roſaceo* vel *myrteo*, & *bolo armena*. Si verò in ſectione (quod plerunque caveri non poteſt) venam vel arteriam diviſeris, vel jam laceram offenderis, ſanguinem fluere ſinito, quantum vires patientis permittant; arteriam verò ocyſſimè comprime: Firmabis enim perfacile utramque *candenti ferro*. Inde, abſoluto opere, vulneri dicto modo medeberis; & ei carnoſæ parti, quam glans pertuſit, *præcipitatum* apponito: die ſequenti hac miſcella totum vulnus curato. *Recipe roſacei omphacitis*, ac recentis ℥ ij. *albumen* unius *ovi*, *boli armenæ* ʒ j. *croci gr.* IV. miſce, ac penicillis ſuperpone. Hoc eodem unguento circumſtantes partes vulneris munire, ſalubre erit, tridui, vel, ſi inflammationem metuas, quatridui ſpatio; in vulnere autem ſat erit bidui uſus. Mox ad coquentia hîc inſtituta ſe convertere. *Recipe terebinthina in vino albo ter, vel quater lota* ℥ ij. *vitella duorum ovorum*, *olei roſati* ℥ ß. *croci gr.* IV. *aloës* ℈ ij. miſce, & utere donec abſtergendi tempus advenerit, quod quartum diem non præteribit, ſi æque ſe res geſſerint. Sunt qui digeſtivis appellatis diem ſeptimum, ut firmum terminum, præſcribant: alii etiam & ultra hoc tempus, expectantes putridæ carnis, undique vulneris labia ambientis, ſegregationem; ignari, bonam carnem putridæ ſubjacentem

*Digeſtivum.*

*Digeſtiva quo, & quanto tempore, uſui veniant.*

tem indies putrefieri magis, niſi, quæ jam ſuppuravit, abſtergentibus amoveatur. Nos autem ratum terminum omittendi digerentis medicaminis uſum dicimus, dum videris vulnus concoctum iri: Hoc modo, nec tibi ſeptimum, nec alium quenque diem (ut craſſæ minervæ vulnerarii faciunt) præſtitues firmum. Ab hoc medicamine, cum abſtergere licebit, ad id recurres quod ſuperius inſtitutum eſt, conſtans ex melle & cæteris. Hæc de externarum partium capitis curatione ſint dicta.

§. 5. Ubi verò internarum aliquam malè habere exiſtimes, puta vel venam ruptam, unde ſanguis ſub cranio effuſus exitum poſtulet; vel genitum pus, quod contingit iis qui jam diu vulnus accepere; vel cerebrum oſſis colliſione prematur, vel ab aliqua oſſis fracti aſperitate pungatur, vel ab alio quovis modo affici videatur, ocyſſime ad oſſis ablationem, vel ejuſdem apertionem, accedere neceſſum erit: quam ob rem recto judicio perpendenda ſunt *ſigna*, quo non omittas ubi requiritur opus, vel agas ubi cavendum ſit. Oſtendunt autem in capitis vulnere læſionem intrinſecus ſuſceptam, ſenſui non manifeſtam, vertigo ſuperveniens, caſus, viſio plurimorum luminum, caligo, vel ſplendor, vel obſcuritas, ante oculos offuſa, dentium & totius capitis ſtupor & dolor, præcipue dum aliquid duri mandit; oculorum repentinus, vel etiam mox acceſſus rubor vel tumor; ſanguinis per nares & aures eruptio; vomitus cum bilis, tum cibo-

*Si vitium lateat interius,*

*Attendendum ad ſigna affecti cerebri.*

*Celſus l. 8. c. 4.*

rum, illico vel poſt occurrens; nervorum trepidationes, præſertim circa carpum, mox & contractiones; ſopor, ſtupor, vel reſolutio aliquarum partium, præſertim oppoſitarum, vel totius etiam corporis; inſuper & febris aſſidua. Verumenimvero non horum quodlibet per ſe eveniens, affectionem intrinſecam cerebri neceſſariam indicat. Cerebrum nunc intelligo, quicquid intra cranium continetur. Cadunt nanque aliqui, capite icti, citra cerebri offenſam: alios ſtetiſſe vidimus, quibus duram meningem ſauciam deprehendimus. Cæterum rarum argumentum eſt internæ injuriæ, reſolutio, poſt hanc perſiſtens vomitus, vel reliqua mox dicta ſi perſequantur: Quare in his decernendis prudentem Chirurgum, ſimul & peritum, eſſe par eſt, qui cuncta bene examinet, judicet, & agenda præſtet.

*Tempus perforationis cranii quomodo determinandum?*

§. 6. Ubi igitur os fodere confert, cunctatio omnis mala eſt: præſtat nanque ab (d) initio ad id confugere quam differre; *primo* puta *die*, vel *ſecundo*, quo ſanguis ſub cranio effuſus, nondum tamen coactus, facilius celeriuſque exeat, nec vagus cerebrum perturbet. Verum ubi à principio hoc opus omiſſum fuerit, in eoque aliquid ſpei ſuperſit, ineundum ſanè erit primo quoque tempore, rati ſatius

(d) Hippocratis eſt conſilium, *lib. de Vuln. cap.* imo dictat quotidiana experientia, ut rectè Pavius *commentator* Clariſſimus in *dict. lib, p. m.* 121. Quomodo auctorum diſcrepantes de hac re opiniones conciliari poſſint, tradit Io. Bapt. Sylvaticus *Controv.* 99.

(e) Ra-

ſatius eſſe tardo & ancipiti auxilio occurrere, quàm ægrum prorſus deſtituere: Non enim hos ſola Natura levare poteſt, ut multos quos vehemens, vel maligna febris, ſine vulnere. exercet; vel alios quos pleuritis, vel inſania, vel ſimile quippiam urget. Itaque non modo primo. ſecundo, tertio, aut quarto die forandum, ſive attollendum, ſive mutilandum os erit, ſed ſeptimo, vel octavo, decimo vel undecimo, vel aliis denique ſequentibus, ſi res indicet. Non enim hîc (ut imperiti faciunt) criticos dies vereri oportet. Critici dies in vulneribus tantum obſervandi ſunt ad præſagium, non ad curationem. In febribus autem atque aliis morbis, quos Natura ipſa perſæpe ſola ſuperare conſuevit, ad utrumque; nempe ad prognoſticum, & ad curationis rationem, cum alioqui metus ſit ne noxam inducas, ſi diebus iis, quibus natura aliquid moliri conſuevit, purgationem propinaveris, vel balneum adhibueris, vel venam ſecueris, vel aliud quippiam irrogaveris, quod naturæ opus impedire poſſit. Sed hoc in affectu nullum ſalubre naturæ opus expectandum eſt. Non enim ipſa os perfodit, non depreſſum & hærens (niſi in tenellis) reducet; non, quod pungit, in tempore evomit: Hoc ſane quandoque, & quidem crebro, aliis in membris præſtat; ſed non æque cerebrum inflammationes ferre poteſt atque illa. Dicamus igitur, hæc opera, citra dierum diſcrimen, eſſe obeunda, niſi quod quanto maturius fiet, id tanto melius cedet.

*Celſus præf. in lib. 7.*

*Critici dies an ſint in vulneribus capitis obſervandi.*

*Enumeratio instrumentorum, in capitis vulneribus uſitatorum.*

§. 7. Cæterum ad rem nunc non parum pertinere exiſtimamus, ſi terebrarum, modiolorum, cycliſcorum, ſcalprorum, ſerrarum, & reliquorum inſtrumentorum, ad calvariæ injurias dirimendas accommodatorum, exemplariá in medium duxerimus, & quidem paulo fuſius, quam in prima editione præſentis commentarioli fecimus, eo quod tunc de hac materia, aptiore in loco, iterum tractare decreviſſemus. Sed cum locus hic ad inſtans negotium ſatis aptus eſſe videatur, & cunctationem nullam juſtam admittant quominus in lucem prodeant, quæ ad vitæ diſcrimen cavendum multis conferre poſſunt, ſatius ob id eſſe duximus cætera, quæ ad præſens opus neceſſario deſiderari poſſe nobis videntur, hîc inſerere. Variis itaque modis eximendum eſſe cranium vitiatum uſus ipſe indicavit, quare & diverſa etiam ad id negotii inſtrumenta fabricare fuit opus.

*Terebra.*

§. 8. De *Terebris* igitur dicere auſpicemur, non de omnibus quidem, ſed de iis tantum, quæ huic negotio utiles eſſe poſſunt, vel etiam de iis, quæ à famigeratis authoribus fuerunt propoſitæ. Harum Celſus geminum genus notat, *fabrorum* unum eſſe dicit, alterum *lignariorum* eſſe cenſemus. Aſt fabrorum terebra duplex eſt, *una imo loco latam aciem habet*, *altera ſubacutam;* quibus etſi lignarii emblematum ſtructores interdum utantur, fabris tamen aptius accommodari videntur. *Utraque* harum, *duplici modo* à fabris *circumagitur*, ( quod pulchre à doctiſſimo

*Terebra Celſi. l. 8. c. 3.*

*Terebra fabrorum duplex,*

(e) Vidio

(e) Vidio deſignatur in ſuis *commentariis ad lib. Hippocr. de vulneribus capitis*) *uno modo habenato arcu*; *altero*, *baculo tranſverſim pertuſo*, *qua terebra truncus libere pertranſit*, *habena vinctus*. Quæ terebrarum formæ tritæ ſatis ſunt. Cæterum quæ *tranſverſo fuſte* agitur, temerarie uſurpabitur in animantium corpore: Quæ verò *arcu*, non prorſus damnanda; cum quod Veteribus, tempore Celſi, forte etiam & Galeni, inſervierit; tum, quod, aliarum defectu, adhuc item conferre poſſet. Præter hos duos modos, etiam & *ſola habena* circumduci poſſe, ut à doctiſſimo Vidio ſignificatum eſt, nil prohibet: Sed hæc omnium minime eſt apta. Additur & *quartus modus* omnium aptiſſimus (non modo his terebris, ſed etiam modiolis, de quibus mox dicemus, & terebris raſoriis) nempe *recurvo manubrio*. (*Vertibulum appellant Vide figur. general.*) Utra autem ſit harum Terebrarum, quâ aliqui ſeniorum videntur eſſe uſi? Galenum eam uſurpaſſe credimus quæ ſubacutam aciem fert. Celſus verò *loc cit.* aliud terebræ genus præter hoc propoſuit, quod lignariis videtur familiare, quod ſic ab eo deſcribitur; *Alterum capituli longioris*, *quod ab acuto mucrone incipit*, *deinde ſubito latius fit*, *atque iterum ab alio principio, paulo minus quam æqualiter, ſurſum procedit*. Hoc autem id eſſe videtur, quod in Gallia atque in Italia *viberchin* appellatur: Nam ad unguem

*Vidius p. 118. & 119. à Cruce p. 285.*

*Et duplici modo circumducenda.*

*Vidius p. 117. à Cruce ibid.*

*à Cruce p. 287. Ferrara l. 2. fig. 17. Vidius p. 122. Pavius p. 224.*

*Gal. terebra qua fuerit?*

*Vidius p. 118.*

(e) Rariſſimus eſt iſte Vidii commentarius, Pariſiis anno 1544. impreſſus in fol. Ejus defectu licebit conſulere *librum Septimum Chirurgiæ* Ioan. Andr. à Cruce, qui de Officina inſcribitur: & Vidium Iuniorem in ſua Chirurgia.

(f) Re-

guem huic Celſi deſcriptio accommodatur; quamquam hoc paſſim recurvo manubrio circumvertatur, à Celſo verò habena: Utroque tamen modo agi poteſt, modo non altius imprimatur. Hæc utique inter omnes adductas terebras præferenda eſt, modo breviſſimo mucrone conſtet, & non zona ſeu habena, ſed reflexo manubrio, circumvertatur.

*Pavius p. 224.*

§. 9. At, cum ſimilium terebrarum uſum periculoſum noverint, qui poſt Celſum, & ante Galenum, fuerunt, hi, quo minus periculi ſubirent, annulo has cingebant, ne præcipites in membranam conciderent, quemadmodum ex Galeni litera conſtat. Aliæ terebræ poſt Galenum fuerunt excogitatæ, quarum nonnullæ utiliſſimæ ſunt, aliæ vero prorſus inutiles. Utiliſſima eſt raſoria, (*vid fig. general.*) utraque nempe, & quæ ſubacuta eſt, & quæ obtuſa, ſed frequentius ſubacuta uſui venit, & celerius opus ſuum abſolvit. Aliam fere ejuſdem generis deſcribit Vidius*, quæ *tridens* videtur. Sed nullius uſus eſſe poteſt: quamvis hanc frugem ex ea ſe poſſe conflare putaret ejus author, quiſquis ille fuerit, nimirum, quod dente medio inſiſtente, (cum is paululum promineat) circumacta terebra minime illaberetur, & orbem ex calvaria reſcinderet, latitudinis ſpatii intercepti inter utrunque dentem extrinſecum. Quod fieri nequit, niſi dens ipſe medius utrinque, & cæteræ internæ partes, acies habeant extrinſecis aciebus ejuſdem terebræ reſpondentes: Nempe, ut omnes acies internæ eodem modo ſint diſpoſitæ, quo externæ.

*Abaptiſta Terebella cur inventa?*

*Pavius p. 225.*

*Terebra raſoria.*

*Vidius p. 121.*

*Terebra tridens Vidii, tanquam inutilis, rejicitur.*

externæ.

ternæ. Non tamen ſic diſpoſuit qui hanc excogitavit, aut pictura male relata eſt: Licet adhuc etiam ſic laborioſa eſſet; verum citra has acies prorſus inutilis, niſi interna ejus ſpacia non recta, ſed veluti concava ſint, & medii dentis ſummitas ſubſequente parte latior, aciebuſque munita, more terebræ ſubacutæ, nempe utrinque exadverſo diſpoſitis aciebus. (*Vid fig. gener.*) Sed præſtaret duas patatas habere, alteram cum dente ad medium, quæ viam pararet, ne fluctuet ſive illabatur: Alteram ſine dente, vel clavo medio, quæ opus abſolvat; (*quam Vide in fig. gen.*) Nam dens ipſe medius cum promineat, citius membranam attinget, quam externæ acies vitream, quæ interna oſſis eſt ſuperficies. Qui temere judicant de quavis re, parum intereſſe putabunt, inter hanc quæ dentem continet, & eam quæ à Vidio deſignata eſt, vel utranque harum noſtrarum exigui eſſe uſus: veruntamen utiliſſimæ ſunt, &, inſtar modioli, ſphærulam tollunt citra periculum, ceu modiolus etiam à me inventus, de quo mox dicetur. Aliæ conſtruuntur ad uſum ſatis ineptæ, quarum altera *inſtar limæ diſſecta* eſt, & hæc omnino vana, aut funditus laborioſa eſt: altera per *ſtrias aut ſulcos*, quæ etiam exigui, ſeu potius laborioſi, operis eſt.

*Terebra tridens utilis.*

*Terebra bidens utilis.*

*Tereb. inepta.* *à Cruce p. 286. verſa.* *Vidius p. 122.*

§. 10. Proximum eſt nunc de *Serris* agere. Harum nanque *duplex* eſt *forma*, altera (f) *recta*, *circularis* altera. Putavit Vidius (vir quidem de

*Ferrara l. 2. fig. 18.*

*Serrarum genus duplex.*

(f) Rectarum Serrarum figuram, vide apud Io. à Cruce p. 283. verſa. Pavium, p. 248. Ferrara l. 2. fig. 26. & 27.

(g) Ta-

de medicina optimè meritus) rectam ſerram (*Vide fig. gen.*) non poſſe conferre ad capitis auxilium: ſed fallitur: cum commodiſſime, & crebro aptetur, ſi arte, perinde atque nos conſtruimus, fabricata fuerit. Altera quidem in orbem eſt ducta, Χοινίκιον appellant Græci, quam Celſus vertit *modiolum*. Quem *Trepanum* nunc omnes nuncupant, nomen à Græco deductum τρυπάνη & τρύπανον, quod Terebram ſignificat. Diverſimode autem *modiolus* à multis in promptu habetur. Vidius depingit eum *longo & recto manubrio*, & ore latiore cætera modioli parte: ſed hic eſt omnium minime utilis, cum non habeat quo circumverti poſſit, & os ferat patentius. At hujus erroris noxiam nemo jure inficiabitur ſculptori eſſe incutiendam, cum dixerit Vidius, hanc teretem eſſe oportere: verum *teres* figura ea eſt, quam columnarem dicimus, nimirum, quæ à ſuprema parte ſui ad imam uſque, æquo circulo metiri poteſt. Quæ figura perbelle modiolo confert; cum non modo qui *latiore* eſt *ore*, ſed etiam qui fuerit *anguſtiore*, inutilis ſit, niſi *ſtriatus* exteriore parte fuerit, ut *meus* eſt. (*Vid. fig. gen.*) Cæterum, ſi inutiles ſunt qui anguſto, & qui latiore ſunt ore, alii teretes pleni ſunt periculo; niſi ab homine oculatiſſimo exercitatiſſimoque, qui mente ſit integra & perſpiaci, & manu firma, neque uſquam præcipitoſa, & corde benigno ac pio, in uſum ducantur. Hæc omnia in artifice ſimul eſſe juncta oportet, ſi res fœlicibus avibus exitura ſit. Nam quicunque minimus error (quamvis in graviſſimos,

*Vide Gorraum.*

*Modiolus.*

*Varia modioli figura.*

*Modiolus Vidii pag. 115.*

*Modiolus teres.*

viſſimos, non raro audaces ignaroſque Chirurgos, boni conſilii impatientiſſimos incidiſſe viderim) hoc loco, citra ſpem, ad funus ægrum protrudit. Sunt, qui *modiolum* habeant *manubrio inſitum, cui* (g) ſuprema parte *transverſum manubriolum eſt infixum*; ſed inepte etiam hîc circumagi poteſt. Qualis vero fuerit Hippocratis modiolus, vaticinandum eſt; neque etiam, qua arte per illum ageretur, intelligere eſt facile. Celſus vero habena vult circumagi, adeo ut putem hunc manubrio infigendum longitudinis plus minus ſex digitorum, in cujus manubrii ſummitate ſit capitulum ſublongum verſatile, quod ſiniſtra manu tenendum eſt; & ad medium manubrii zona ſeu habena, unica volutione circunducta, quæ utrinque arcui extremis alligata, modiolum ad motum arcus circumvertat utrinque; Talem eſſe ex Celſo colligimus, dum dicit, *loc. cit. Si vitium in anguſto eſt quod comprehendere modiolus poſſit, ille potius aptatur. Et ſi caries ſubeſt, medius clavus in foramen demittitur, ut eo inſiſtente circumactus modiolus, delabi non poſſit: deinde is habena, quaſi terebra, convertitur. Eſt quidam premendi modus ut feratur & circumagatur, quia, ſi leniter imprimatur, parum proficit: ſi graviter, non movetur.* Ex iis patet, eum velle modiolum, inſtar terebræ, converti. quæ eodemmet modo atque hîc deſcripſimus (nempe arcu)

*à Cruce p. 285.*

(g) Talis modiolus depingitur à Io. à Cruce p. 285. verſa; probatur inſuper ab Aquapendente in figuris ad librum operat. chir. & Scultetû armamentarii Chirurgici Tab. 2. fig. 6.

(h) Hu-

arcu) agenda eſt: ut etiam patet ex ejus verbis cum loquitur de animi diligentia, quam miniſter habere debet in terebræ uſu. (inquit) *Ergo tum lentius ducenda habena, ſuſpendendaque magis ſiniſtra manus eſt, & ſæpius attollenda, & foraminis altitudo conſideranda; ut, quandocunque os perrumpitur, ſentiamus, neque periclitemur ne mucrone cerebri membrana lædatur, ex quo graves inflammationes cum periculo mortis oriuntur.* Examinet nunc Medicus, Chirurguſve, quæ terebra ſiniſtra manu preſſa, habena circumduci poſſit, &, ſi valentius imprimatur, non circumagitur, ſi verò levius, non adigitur, hac propoſita aptius, vel æque bene! Aptius quidem, atque etiam tutius, convertitur manubrio recurvo, cui nulla habena eſt opus: Siniſtra enim manu ſuprema ſphærula, quæ verſatilis eſt, premitur, vel ſuſpenditur, & dextra flexum manubrium circumrotatur, quod ſecum modiolum circumducit.

*Modiolus ſimplex.* §. 11. Genus hoc *modioli ſimplicis* (ſimplicem dico, cum nullo annulo externo ſit munitus, neque ſulcatus ut noſter) periculoſum ſanè eſt: ſed profectò non æque ac terebræ, cum à Celſo tum à Galeno, comprobatæ: quamvis jam ante Galenum (ſed tamen poſt Celſum) aliqui, quominus dictæ terebræ periculoſæ eſſent, *circulo muniebant*, unde *Abaptiſta* dictæ ſunt, cum, appetente munimine, non amplius poſſent ſubmergi: Veruntamen & circulo munitæ, adhuc prægrandi non vacant periculo; cum fieri nequeat, ut ad amuſſim calvariæ denſitas ante opus agnoſcatur, *Abaptiſta terebra.*

quo

quo terebræ cuſpidis longitudo ad unguem præfiniri poſſit: hinc fit, ut operis exitus anceps ſit, eo quod leviſſima membranæ compunctio non minus ſit periculoſa, (imò interdum magis) quam tenuis diſciſſio. Aſt periclitari minore negotio artifex poteſt antiquorum Terebellæ uſu, quàm Modioli: quod illæ protinus immergi poſſint uſque ad annulum, vel ultro, ſi non adſit annulus; modiolus vero (cum prudens eſt artifex) non pariter; eo quod hic latius oſſis ſpacium comprehendat, quod aliquando altera parte craſſius erit, altera verò tenuius: vel, quod altera ex parte magis premitur modiolus, qua citius os pervaditur, altera parte firma exiſtente, quæ modioli præcipitoſum deſcenſum prohibet. Sed etſi hic minus illis periculoſus ſit, aliquos tamen evidentiſſime ſauciatos vidi, cervicoſo (ut iterum dicam) ſimul & iniquo artificum opere: Nam iis ſatis ſuccenſere non poſſumus, neque plus æquo eorum ineptias, aliena jactura præſtitas, ante oculus objicere, quo, ſi horum aliqui ſuperſtites ſint, quibus hæc legere contingat, pudore atque formidine aliqua, quaſi freno, coacti, plus induſtriæ inpoſterum adhibeant, quam conſueverint; & juvenes, ſive etiam ſenes, artis ignari, qui facilia juxta ac difficilia, periculoſa ac periculo vacua, æquali menſura metiuntur, temperatius ſe gerant, ſingula expendentes pro ratione artis, quo in tam difficili opere peragundo, fidenti ægro, citra injuriam, adminiculentur. Qui poſt Galenum venerunt, ut injuriam

*Periculoſiores Terebra modiolis.*

*Admonitio ad Chirurgos*

*Modiolus non ſubmerſilis.*

 juriam

juriam hanc à modiolo arcerent, (ducto exemplo à terebris abaptiſtis) huic etiam fulcimentum excogitaverunt, nempe *circulum*, qui *ſpira ſurſum deorſumque fertur* ex artificis arbitrio. Verùm neque adhuc ſic fabricatus, periculi multi eſt expers, præter id quod etiam tædioſiſſimus eſt; cum, quòd ſingula fere circumductione, (dum proximus operis finis eſt) annulum ſurſum ferre oportet; tum quod annulus proſpectum artifici utcunque impediat: hinc evenit, ut Chirurgi omnes malint eo fine, quàm cum hac tutela uti. Ego verò, dum Chirurgiam factitarem, & ſimilium patientium vitam plerunque in periculis æquè verſari viderem ob artificis operam, atque ob inflictum vulnus, omni induſtria mecum ipſe animo agitari cœpi aliquod inſtrumenti (h) genus ut fabricarem, cujus beneficio, *hac in re*, minore, vel (ſi fieri poſſet) nullo periculo, avitum finem conflare ars poſſet: quod tandem ſum conſecutus; quo aptius, neque tutius, hactenus excogitare quiſquam potuit, neque (ut ſuſpicor) poterit, cujus exemplar *in Tab. generali* contemplare. Et, cum ſimile illi habueris fabrefactum, experire in pyxilis cooperculo, vel in cadaveris calvaria, conferque hunc cum cætero, ut alterutrius præſtantiam judices: utroque autem ſum uſus, hoc nempe, & altero quem ſimplicem appellavi,

*à Cruce p. 289. Ferrara. l. 2. fig. 19.*

*Botallus Chirurgiam exercuit.*

*Modiolus Botalli.*

(h) Hujus nunc vulgaris uſus eſt, namque & ſtriatus exiſtit, & ſuperna parte latior, ideò neutiquam demitti ſponte poteſt: ſcobes quoque inter perforandum, optimè foras rejiciuntur.

(i) Plum-

pellavi, & perpetuo hercle citra patientis damnum, & quidem ut plurimum exitu fœliciſſimo.

§. 12. Accedunt *Scalpri*, quorum aliqui adiguntur, quos *cœlos* appellabimus; aliqui trahuntur, & hos *ſcalpros raſorios* nuncupabimus. *Cœlorum* igitur aliqui *plani* ſunt, aliqui vero *concavi*: hos Galenus *cycliſcos* appellavit. Adiguntur hi malleolo vel manu. Cæterum planum non frequenti uſui venire poteſt. Sunt autem hi fabrorum cœli, ſive ſculptorum, quibus ſulcos & ſtrias conficiunt in lignis, vel in materia duriore. *Raſorii ſcalpri* alii *circulares*, alii *ſubacuti* ſunt; uterque ligonem repræſentat, alii reflexam verſus manubrium cuſpidem habent, quorum omnium ſpeciem reperies *in figuris Tab. gen.* Accedit *lenticulatus gladiolus* (*vid. fig. gen.*) quo aſperitates calvariæ, internis fracturarum partibus, poliri explanarique ſolent: ſic enim denominatur, cum is gladiolus ſit, præfixum in cuſpidæ ferens telum lentis ſimilitudine, ut ejus ſchema declarat. Oblivioni præterea non eſt danda *ſciſſoria forceps*, quæ non paucis in locis conferre poteſt, præcipuè ad comminuendas externas orarum prominentias ipſius oſſis.

*Scalpri cœli.* *Cycliſci.* *Raſorii ſcalpri.* *Lenticulatus gladiolus.* *Scultetus Tab. 2. fig. 7. 8.* *Forceps ſciſſoria.*

§. 13. Hactenus in medium duximus ea inſtrumenta, quibus calvaria, nil dum pertuſa, vel non, quantum ratio ipſa expoſtulet, diviſa, foretur, ſcalpatur, ſerretur, mutiletur: Reliquum nunc eſt dicere de iis, quibus depreſſa *oſſa* erigantur, & quibus evellantur. Eriguntur ſeu *attolluntur* variis modis, prout oſſis

*Elevatoria. Sculp. Tab. 3.fig. l.2.3.*

ipſius vitium oſtendit, nempe, *hypomochlem* *vectibus*; &, ut ſic appellem attractoria vi tæ, vel (ſi concedas) *attractoria ſpira*. *Evulſum* *vulſellis*, tenacibus *forcipibus*, & id genus alii Superſunt *malleoli* pro adigendis cœlis & len ticulato gladiolo, quos diverſa ſpecie eſſe de cet, ut res ipſa expoſtulat: Nam pro lenticu lario, quem juxta os percutere oportet, lon gior & minor malleolus eſſe debet; pro cœli verò, quos vola manus, vel malleo, ad ma nubrii extremitatem plectere expedit, ponde roſior & latior: eorum vero materia plum bum (i) aptiſſimum eſt. Operæpretium præſta bimus, ſi horum (non quidem omnium, ſed præcipuorum, & utilium, quorumque uſus nunc eſt in praxi) exemplaria ante oculos ſternamus, ne alicui difficultatem pariant: (*quod fiet in Tabula, huic libro ſubjuncta, in qua Lector depicta reperturus eſt præcipua*) Alia equidem innumera præter hæc inventa ſunt, & alia adhuc plura ad uſum excogitari poſſunt: Cæterum raro invenies calvariæ injuriam, ferramentorum opem efflagitantem, cui belle, aliquo horum, occurri non poſſit, vel alio quopiam non multo diſſimili.

*Vid.fig. Aquapend.*

EXER-

(i) Plumbum eligitur, ratione gravitatis, & quia minus reſonat, veruntamen ejus unum ſæpe caput obvolvitur ſtuppa aut craſſiore panno.

(k) Sca-

# EXERCITATIO AUTORIS
## In Caput ultimum
## *Lib.* VI. *Meth. Med. Galeni.*

NUnc tempeſtivum videretur ut de horum uſu diſſereremus: verum non præter.. peris præcium fore putamus, ſi prius Galeni *ſtremum caput ſexti Methodi*, in quo ex profeſſo e *vulneribus capitis* agit, in medium duxeri-ius, legemque, non commentatoris, ſed eritatis indagatoris ſervaverimus, ſuperfluo more, & omni odio, prorſus vacui. Nam eque ulla ira (quæ procul à me eſt, præ-ipue adverſus Galenum, cui omnia, quæ in rtis opere probe ſum conſequutus, debeo) ominem unquam concitare debet ad inju-tum diſſidium, neque etiam ulla particula-is neceſſitudo, vel ſocietas, vel amor, ad eritatem, quæ multis conferre poteſt, re-icendam, maxime cum hæc citra amici njuriam retegi poteſt. Pergamus igitur ad Textum. *Autoris Integritas.*

1. *De iis* (inquit) *verò quæ in capite ccidunt Hippocrates certe integrum volumen cripſit, ubi omnia præcipit, quæ in iis ſunt genda: & nos, cum huic operi finem im-oſuerimus, enarranda ejus opera aggre-diemur.* *Textus.*

*Autoris propoſitum.* Quum decreverim hoc in negotio, non om ex parte Commentatoris officio fungi, ſe veritatis indagatoris, difficultatumque non nullarum diſcuſſoris: licebit propterea, ve ſaltem liberum nobis erit, obiter præterire quæ ſatis clara eſſe putabimus, & quæ ad opu adeundum, vel peragendum, minime confer videbuntur, ne longo ſimul & inutili ſermon Lectores conficiamus, quibus nos poſſe ſatiſ-facere breviore confidimus. Itaque non eſt quod multis inſiſtam quæritando, num inte-grum, vel exponendo quomodo integrum, vel non integrum ſit dictum Hippocratis opus.

2. *Ad præſens verò, quoniam in his com-mentariis, & quæ ſupra ea, quæ ille dixit, ſunt inventa, adjiciemus, & quæ indefinitè dixit definiemus; neceſſe eſt primum de cavis exciſoriis ſcalpris, quos Græci κοιλίσκους vocant; mox de iis quos à lenticulæ ſpecie φακωτὰ & φακοειδῆς vocant; poſt hos de an-guſtis ſcalpellis; demum de medicamentorum uſu, aliquid agamus.*

Facile hæc etiam prætereo, cum per ſe clar ſint. Inſtrumenta verò ipſa, de quibus ſe fa-cturum pollicetur, omnia ante conſpectum poſuimus, deque iis item dicemus ubi locus erit, ne eadem ſubinde repetere cogamur.

3. *Ergo de fracturis calvariæ, quædam uſ-que ad ſecundam laminam (quam Græci Διπλόην vocant) perveniunt: quædam uſque*

*ad*

*ad internam oſſium faciem: quædam etiam ſimplices fracturæ, quædam contuſiones, quædam veſtigia eorum quibus inflicta plaga eſt. Quæ igitur ſimplices fracturæ ad ſecundam uſque laminam perveniunt, iis, quos modò diximus, anguſtis ſcalpellis indigent. Expedit autem hos, ut numero multos, ita & magnitudine impares eſſe, necubi deſit, quod operi ſit commodiſſimum. Poſtea verò nudato (prout fieri ſolet) vitiato oſſe, utendum primo quidem latiore, ſecundo loco eo quod illo eſt anguſtius, mox ita reliquis, deinceps uſque ad anguſtiſſimum. Hoc verò in ipſa diploë eſt utendum.*

Aliquot hîc enumerat injurias calvariæ, ex cauſa externa productas: nempe fracturas, contuſiones, & telorum veſtigia, quæ Hippocrates teli ſedes nuncupat; mox fracturæ ſimplicis, ad ſecundam uſque laminam protenſæ, curandi modum per ſcalpros, aggreditur. Fracturam autem ſimplicem dicit eam, quæ citra contuſionem eſt facta, ſive ea altius procedat, ſive non: quod genus fracturæ à ſcindente telo fieri neceſſum eſt, vel etiam à pungenti: nam à re obtuſa ſimplex vix fieri poteſt. Pars hujus literæ, nempe ab hoc exemplo propoſito, uſque in finem textus, tota ſcatere difficultatibus (& dignis diſcuſſione) videretur, niſi clarior fieret. Difficultates autem tales eſſe poſſunt; quare anguſtis terebris utatur, ubi tantum fractura ad Diploin uſque pertin-

*Simplex fractura quæ?*

*Difficultates ex Gal. textu reſultantes.*

pertingit: Præterea, cum ſermo ipſe continuus eſſe videatur, nempe, ut quæ in fine textus ſunt dicta, referri videantur ad propoſitam fracturam, quare vult Galenus hîc ad omnium Terebrarum, nimirum à maximæ uſque ad minimæ, uſum devenire; cum minimam in extrema, ſeu infima oſſis parte, dicat eſſe uſurpandam, quæ pars (in hac fractura, quæ tantum primam oſſis laminam vitiavit) non eſt ſcalpenda? Dicamus igitur, quomodo his difficultatibus ſermonem hunc liberare poſſimus, cum ut Galeni doctrinam, pro virili noſtra, utilem ſervemus; tum ut ſtudioſorum mentem à tricis divertamus. Dicit igitur, in ſimplici fractura quæ ad ſecundam laminam acceſſit, anguſtis eſſe utendum ſcalpellis, non autem anguſtiſſimis: Nam ſaltem tria eſſe debent magnitudine diverſa, nempe lata, quæ ſat eſt æquare magnitudinem unguis pollicis; media ſeu minora, ſive anguſta (appelles ut velis, modo rem ipſam percipias) quæ plus minus medietate majoris ſint anguſtiora; & minima, ſeu anguſtiſſimo latiora. Licet tamen, imò quidem expedit, plura habere ex iis mediis, alia paulo majora & paulo minora alia, quibus ex arbitrio (ut res tamen indicat) uti poſſis. In fractura igitur propoſita utêris latis, ſi velis, primum, mox & anguſtis; vel, ſi ab anguſtis libeat auſpicari, nil prohibet, cum non habeas neceſſum ſulcare ſecundam laminam, quæ vitio caret.

*Declarantur.*

§. Aſt *primum*, (inquit) antequam ad ſcalpros accedas, *deglubere vitiatum os par eſt*, ab

eoque

eoqueperbelle cutem evertere, mox ad ſcalpros te convertere, quibus hoc ordine uteris. Incipit nunc ordinem uſus ſcalprorum explicare, nullo habito reſpectu ad ſimplicem fracturam mox propoſitam; ordo autem talis eſt: A latiori, ut dicit, incipiendum: &, quo altius procedere oportet, ad minores recurrere tunc opus eſt, ut in curatione dicemus.

4. *Poſt hæc tum protinus, tum ad finem uſque, ſiccis medicamentis eſt medendum: quæ ob id ipſum κεφαλικὰ Græcè, id eſt, capitalia ſunt dicta. Ea componuntur ex iri illyrica, & ervi farina, & manna, & ariſtolochia, & panacis radicis cortice: in ſumma omnibus, quæ extergere citra morſum poſſunt.*

Etſi omni in vulnere, punctim cæſimve recenter facto, ſiccantia medicamenta commendentur, hîc tamen (& quidem non omnino ſecundum rationem, & Hippocratis mentem, ut patet ex litera ejuſdem infra dicenda) adhuc ea plus laudat: qui quidem locus, quamvis non prorſus damnandus ſit, multis tamen ineptis chirurgis peccandi anſam non exiguam præbet. Quid enim aliud ignarum vulgus chirurgorum, hac fultum ſententia, præſtat, quam totum vulnus protinus hoc pulvere refercire? Quæ obſecro natura tam potens eſt, quæ citra injuriam tam ineptum medicamenti uſum ferre poſſit? Non quidem medicamentum ipſum pernitioſum ſua natura dico, ſed quia ignave uſurpatur: ſiccat nanque ſic inditum plus juſto: imò carnem ipſam liquat, &

*Error Chirurgorum ex Galeni textu natus.*

& cerebrum ſupramodum nonnunquam excalefacit, adeò ut aliquot interiiſſe viderim, potius (arbitror) ob talem cauſam, quam ob injuriam partium internarum ſuſceptam à telo; cum in iis nullum ſymptoma præceſſiſſet noxium, indieſque melius haberent, primis ſeptem vel undecim diebus, quibus ſe concrediderant villicis tonſoribus, vel iis, qui ſuſurramine vulnera curare ſolent, citra præ nimium cephalicorum (ut mirifici hi chirurgi proferre ſolent) uſum: mox verò, illis omiſſis, & accitis iis qui cephalicum hunc pulverem, & alia capitalia dicta medicamenta, plus æquo venerantur, brevi graviora ſymptomata ingruebant, quæ ad ſuperos infortunatum patientem delegabant. Quorum cadaverum capita pleruumque aperiri volui, ut innoteſceret, num injuria latuiſſet ab accepto vulnere *aliqua*, nimirum vel coactus ſanguis, vel *interna* fractura, vel aliquid ejuſmodi; in quibus nihil reperiebatur, præterquam pus, collectum ſub membrana, ex propria ſubſtantia cerebri corrupta effectum: quod utique potius auxilia noxia culpanda eſſe indicabat, quam vulneris magnitudinem, cum patientes morigeros eſſe conſtaret. Nollem certe quenquam putare; me agreſtes, ſeu villicos tonſores, vel eos qui ſuſurramine, ſeu præcantatione, morbos curant, perito artifici præponere, imò non parvo hunc illos antecellere pro certo habeo.

*Cervicoſus artifex ægro noxius.*

Cæterum ſumma pernities eſt exigua ars in cervicoſo & audenti homine, qui ſibi omnia licere putat, modo aliquot medica nomina

in

in medium ducere noverit, perinde atque (ut Hippocrates ait) qui Gnidias ſcripſerant ſententias. Aſt majore induſtria eget ipſe uſus rei, quam nominis cognitio. Quare hoc nunc mihi (& jure) dicere licet, quod quanto peritus artifex villicos & incantatores ſuperat doctrina & officio, tanto, inquam, ii ignaros audentes præcellunt opere: eo quod villicus, cum parum, aut nihil, ſe ſcire noſcat, raro etiam quicquam aggredietur quod gravare poſſit. Pro villico vel agreſti artifice, intellige eum, qui cum ignarus ſit, nulla jactantia, vel præcipiti audacia, vexatur: Qui etiam cantamine ſe quicquam poſſe conſequi putat, is ſuis ſuſurris fretus, non medicamentorum multitudine affectam partem urget, vel moleſta operimentorum copia ſtipat, vel injurioſa vitta cohibet, ſed quam placidiſſime poteſt illam tractat: interea plerunque Natura, viribus reſumptis, quæ ſui ſunt muneris ordine aggreditur, pro ſuaque virili perſequitur, & ad optatum finem perducit. Nunquam vero hæc miſera quieſcit, ſi moroſo aliquo morbo conflictata, ignarum audentem habeat adjutorem. Sed redeamus ad penſum. Nil hercle (ut vera fatear) ex hoc pulvere percepi, quod eum laude multa dignum facere poſſit: & multos fæliciſſimè, atque citiſſimè, curatos vidi, ex cranii fractura, citra hujus uſum. Cæterum non adeo illum contemno, ut deteſtandum putem, ſed parciſſime apponendum eſſe cenſeo, & eum tantum oſſi ſternere, non ſimul & oris cutaneis.

*De rat. Vict. acut. n. 1.*

*Villici Tonſores quales.*

*Conamen Naturæ in vulneribus.*

*5. Ipſa*

5. *Ipſa nanque generatio carnis, naturæ opus eſt: itaque ægro ad eam rem nihil opus eſt arte medica.*

Generandæ carnis vim potiſſimam ſibi ipſi Natura vendicavit. Verum non eo tenus, ut artificis & patientis ſuffragia ſpernere debeat. Ille nempe ſuppetiari alicui amico ad acquirendas congerendaſque divitias dicitur, qui, cum hujus agros depopulari, percoraque prædari quodam jure poſſit, ab iis tamen abſtinet, alioſque ab hoc facinore arcet, & de cæteris cavendis amicum monet. Sic artifex & patiens, ad gignendam carnem naturæ ſuffragari poſſe videntur, ille conſilio & inſtitutione rerum agendarum, hic promptitudine obeundi exequendique monimenti, ab artifice inſtituti, vel propoſiti. Non eſt quod hîc morer omnia recenſere quomodo hæc fiant. Nam ſicuti quies convenit ad gignendam carnem, & temperatus victus, ſic hujus generationem prohibent, & jam factam liquant, labor & victus adverſus: idem excogita tu de cæteris, cum medicamentis, tum aliis.

6. *Ut autem, quæ provenit caro, coaleſcat, circumhæreatque omni oſſis parti, id inde maxime eveniet, ſi neque ſordes ſuper eo ſit, nec oleoſa quæpiam pinguitudo. Id igitur eſt, quod ægris Medici ad carnis productionem præſtant, ut totus locus ſiccus ſit; tum, quælibet vitiati oſſis pars planè pura. Atque hæc*

*hac quidem omnium fracturarum, cum caro in iis produci incipit, communia ſunt.*

Explicat, quæ Medicus debet præſtare, quo os detectum carne cooperiatur: nempe, ut caveat ſordem diutius in ulcere moram ducere; vitet oleoſa & pinguia, & totum locum ſiccum ſervet. Cæterum, ſi hæc dicta expendantur, inſimulare videntur, Galenum non animadvertiſſe, vel non meminiſſe, oſſa retecta non ſolum extrinſeca carne tegi ſolere, ſed ab ipſis etiam oſſibus eam emergere, inſtar tuberum à tellure exurgentium, quæ eo loci, quo prodeunt, ſupremam terræ faciem aperiunt, & ex ea nonnihil à continenti diſjungunt. Simillimum accidit oſſibus carne denudatis, dum ad optatum finem res pergit: Caro nanque, in parvas quaſi glebas, variis in locis exurgit, & ſupremam oſſis ſquammam (λεπὶς inquit Celſus, *lib.* 8. *c.* 3. Græcis dicitur) à cætero oſſe ſegregat: quæ vulſellis eſt eximenda, & reſigenda, ſi aliquo in loco hæreat, quo caro ipſa leviore negotio increſcat. *Caro ab oſſibus quomodo oriatur?*

5. Hanc carnis ab oſſibus originem, ſat bellè Hippocrates notavit *lib. de cap. vuln. num.* 25. cum dixit, *Emergunt carne ſubnaſcente.* (de oſſis extractione agit) *Subnaſcitur autem ex duplicata oſſis lamina, & ex ſano oſſe, ſi ſuperna oſſis pars ſola fuerit corrupta. Sic vero quam citiſſime & caro ſubnaſci ac germinare poterit, & oſſa emerſerint, ſi quis ulcus quam citiſſime ſuppuratum redditum, purum faciat.* Ex iis manifeſte ſatis patet, aut intelligere facile poſſunt, qui experientia

rientia hoc non noverunt, oſſa ipſa nuda, non ſolum à circumjacentibus partibus veſtiri carne, ſed etiam ab ea quæ ſcatet ab oſſe ipſo; quod perquam frequenti obſervavimus experientia: & quidem non ſolum in calvaria hoc fit, ſed in cæteris etiam oſſibus. Nam hîc Natura facit non ſecus, quam in cæteris ægritudinibus, quæ ad optatum perveniunt exitum: Ipſa namque poſtremam manum ſemper adhibet: Nam etſi pharmaco purgaveris, & venam ſecueris in febricitante, tandem Natura, vel ſenſibilem, vel occultam adhuc ſecretionem, molitur. Sic in ipſo denudato oſſe ſemper aliquid reſegminis habet quod exturbet, etiamſi centies corraſeris. Itaque ut illa (poſt Numen) corporis ipſius eſt origo & focus, ſic omni in opere bono poſtremum opus ſibi arrogat. Hac ratione, *non* nimia ſolicitudine oſſium fragmenta ſunt exquirenda, vel moroſa deraſio eſt proſequenda.

*Expoſitio textus Hippocratici modo citati.*

§. Aſt poſtrema pars textus Hippocratici, mox adducti, obſcura utcunque eſt, quam clariore dictione aperire, ab re fore non puto, ab ipſa rei eſſentia ſumpto argumento: hoc igitur modo legendam eſſe cenſeo, *Sic verò*, vel, *Quare quam citiſſime & caro ſubnaſcatur, ac germinare poterit, & oſſa emergere, ubi quis ulcus quam celerrime ſuppuratum reddiderit, & purum fecerit*. Hæc litera, præter id quod eſt clarior, ſenſum refert ſanum & integrum, nec alienum ab Hippocratis ſententia.

*Conſectarium ex doctrina Hipp.*

§. Ex iis etiam elicere poſſumus, ſiccantia medicamenta non ſemper cranio eſſe utilia: quod

quod etiam confirmat Hippocrates dum dicit, *lib. cit. n.* 24. *Citiſſime enim diſceſſerit, ſi quis ulcus quam citiſſime purgaverit; & de cætero & ulcus & os, tum majus tum minus reſiccaverit.* Puto hîc dicendum, *tum magis tum minus*: quamvis litera ipſa, prout eſt, ſtare poſſit, tum majus ſcilicet os vel ulcus. Non utique Hippocrates protinus ſiccandum eſſe os dicit, ut Galenus ſuperius inſtituit, cui neque ipſa ratio, imo neque uſus aſtipulantur: nam ſi ſtatim os ſiccius reddas, quomodo caro ſub oſſe generabitur? pugnat enim ſiccitas. Præterea, quomodo, ſi gignatur, facilius emerget ab oſſis ſuprema facie reſiccata? Non parum equidem intereſt inter duritiem reſiccati oſſis & virentis; hoc nanque minore negotio fatiſcit, pullulante carne ſub eo.

§. Sed ſequamur *Coaleſcet*, inquit Gal. *tunc maxime caro oſſi ipſi, ſi ſordes atque oleoſa & pinguia ab ulcere procul abſint.* Sordes eſt craſſior ulceris ſanies. At non ſolum hujus exceſſus, ſed & ichor ipſe, impedimento erit, eo quod hîc non citra ulceris vitium appareat: quod autem, quæ enumerata ſunt, prohibeant, quominus caro oſſi agglutinetur, vel caro cum carne jungatur, vel defecta caro progignatur, experientia ſatis comprobat. *Sordes.* *Celſus l. 5. c. 26.*

§. *Hæc* (inquit Gal.) *ſunt quibus occurrere ægris ad carnis productionem Medicus poteſt.* Adde inſuper, præterea etiam os ipſum purum reddendo. Quantum enim remorentur ulcerum ſanationem oſſa vitiata, artifex quiſque novit: cum Natura non æque hæc à ſano facile ſejungat,

jungat, atque mollia corpora, carnem puta, vel nervos, & cætera ſimilia. Laborandum eſt igitur, dum licet, hæc radere, vel fodere, vel amputare, vel commovere, quo facilius, ac citius, Natura ſuum perficiat opus. Addit Gal. *atque hac quidem communia ſunt cum cateris oſſibus*, non autem capiti peculiaria, adeo ut in omni oſſe vitiato, ubi caro producenda eſt, hæc, quæ ſupra dicta ſunt, obſervanda veniant.

7. *Ex fracturis verò, qua ad cerebri uſque membranas pervenerunt, ſi ſimplex tantum fractura ſit, jam dictis ſcalpellis anguſtis utendum: ſin cum contuſione aliqua, quod contuſum eſt excîdi debebit: idque vel terebellis prius in circuitu perforatum, mox deinde ſcalpris admotis, vel protinus ab initio cycliſcis. Ac qua per terebellum quidem ratio fungitur, parum tuta eſt, propterea quod, dum audacius eam tractant, duram membranam, qua oſſi ſubſternitur, non raro violant: Quod verò per cycliſcos opus adminiſtratur, nec id quidem omnino vitio caret, cum quatiat immodice caput, quod potius quietem poſtulat. Mihi igitur hîc quoque placet, ſi magna ſint fractura, & oſſa, qua fracta ſunt, vehementer mota, cycliſcis uti; quippe paucis exciſionibus facies lenticulatis exciſoriis locum: ſin firma plurimum oſſa ſunt, foranda terebello ſunt.*

Supe-

Superius dixit, quomodo eſſet ſcalpendum os, ſimplici fractura ad ſecundam uſque laminam ſaucium; nunc accedit ad eam, quæ pertingit ad cerebri uſque membranam, nempe, ad oſſis totius penetrationem, illæſa membrana ipſa: protinus, ad eam fracturam quæ cum contuſione eſt, & quidem cum penetratione: ab iis, ad explicandam inſtrumentorum noxiam ſtatim ſe confert. Conſtat hîc Galenum ſimplicem appellare fracturam eam, quæ eſt ſine contuſione, cum illam quæ contuſa eſt, ex adverſo proponat.

§. Conati ſumus *textu tertio*, (ut Galeni doctrinam & literam ſalvaremus) differentiam facere inter anguſtos ſcalpros, & anguſtiſſimos: Sed nunc ſeſe nobis offert litera, quæ vel moderanda eſt, vel ſenſum penitus ſubvertet, vel Galenum inſimulabit oblivionis; quod ſane facere non conſuevit, præcipue in tam parvo intervallo. Dicerem igitur quam lubenter, legendum eſſe, *ſcalpellis anguſtiſſimis utendum*; alioquin dicere cogimur, Galenum nihil diſcriminis feciſſe in forma ſcalprorum, conferentium fracturis pertingentibus tantum ad ſecundam laminam, & eorum qui ad fracturas ſimplices, intro productas, ſunt neceſſarii: nam anguſtiſſimi, ſimplicibus fracturis ſunt fermè neceſſarii; alteri verò quæ ad ſecundam tantum laminam fertur, non modo non neceſſarii, ſed penè (ut infra dicemus) inutiles.

*Dubium in textu Galeni,*

§. Dicet forte aliquis (qui tamen Galenum non plus me colit, & literam, & ejus ſenſum,

non diu animo provolvit ) pro eodem eſſe intelligendum, quod nunc dicit *ex fracturis quæ ad membranam uſque pervenerint*; & quod *tertio* in *textu* ait, *Quæ ad ſecundam uſque laminam perveniunt*: cum fieri poſſit ut intelligeret Galenus, ad ſecundam uſque laminam pervenire fracturam, ipſa lamina in profundum uſque ſui ſauciata. Sed tales, atque aliæ leves fugæ, quæ proponi poſſent, neque utilitatis ſunt, neque Galenum ſuſtinent. Nam hunc conſenſum locorum adductorum, prohibent diſtinctio injuriarum calvariæ, facta in *tertio textu*, & ſimilitudo ſermonis. Quod ſi tu ſic intelligendam eſſe literam, prout dixiſti, contendas, ego, præter diſtinctionem mox ſignatam, (quæ ſufficiens per ſe eſt, talem communionem ſubvertere ) dicam etiam, hîc intelligendum eſſe cum vulnere membranæ, dum ad ipſam uſque membranam propoſuit fracturam: quod nil minus, quam hoc, putavit Galenus ipſe.

*Solvitur.* 5. Sed omiſſis vanis cavillationibus, ſenſum rei exponamus, authore ſalvo. Anguſtiſſimis itaque ſcalpellis erit utendum, ſi ſimplex fractura ad membranam uſque pervenerit. Quod ſi hæc cum contuſione aliqua ſit, os ipſum ( intellige contuſum ) excindi debebit. Exciſio autem hæc, inquit, duplici modo fieri poteſt; nimirum terebellis & ſcalpris ſimul, vel ſcalpris ipſis citra terebella. Primum modum Galenus ex Celſo conflavit, vel auditu, vel forte viſu, cum talis forma eximendi capitis oſſis, non fuerit expreſſa ſuo loco ab Hippocrate, quem ſe explicaturum auctu-

auϐturumque pollicetur. At modus hic ſatis, imo ſupra quam ſit æquum, arduus videtur. Fingamus igitur exemplar, ut latius res ipſa pateat. Eſto fractura, in qua ſit aliqua oſſis depreſſio, quod os eximere oporteat: ſit autem hoc latitudinis capitati æris, circularis figuræ; nihil tamen refert etiam ſi circulo non reſpondeat; nam ſicuti naque tela ipſa omnia ſunt ſphærica, ita neque horum ſedes circulares erunt. Sit igitur alia, ſi lubet, quadrilatera, quæ lateribus conſtet nulla proportione inter ſe ductis. Jubet nunc Galenus, hæc oſſa ſtipari circumcirca crebris terebræ operibus. Terebrarum autem ſpecies omnes ſuperius deſcripſimus. Utram præferat Galenus, fabrorum, ſcilicet, vel lignariorum, clare non conſtat: putarem tamen fuiſſe eam quæ fabrorum eſt, licet altera lignariorum ſit multo minus periculoſa, & uſui æquè accommodata (niſi etiam accommodatior ſit) atque altera. Celſus autem terebram lignariorum alteri apertiſſime præfert, cum dicit, *Terebra verò ea, quam ſecundo loco poſui, utendum*. Qualis autem ſit harum terebrarum uſus, cum apud Celſum, tum apud Galenum, hic explicatum vide. Propoſuimus jam duo oſſa demenda; circulare unum, & quadrangulare alterum; adde & tertium triangulare: qualia *vide in figura generali*. Inquiunt, oportere hæc multis foraminibus circundare, mox intercepta ſpatia inter utrunque foramen, cœlis cavis (quæ ſcalpros cycliſcos nominat Galenus) adimi: ſcalprorum verò ſchemata inferius ſunt poſita. Videtur

*Primus modus os perforandi.*

*Gallis Teſton.*

*Pag. 666.*

*L. 8. c. 3.*

hic Galenus aliquam facere differentiam inter ſcalprum & cycliſcum, dum dicit, *mox deinde ſcalpris admotis, vel protinus ab initio cycliſcis*; ſed unum & idem intelligit hoc loco. Equidem non omnes ſcalpri, cycliſci ſunt; cycliſci tamen omnes ſcalpri ſunt. Quid propriè pro cycliſco intelligat Galenus, declaravit ipſe *textu ſecundo*: adeo ut dicere poſſimus, Galenum appellaſſe hunc nomine generali, cum ſcalprum genus ſit; mox, ut clariorem redderet ſenſum, idem proprio & ſpecifico nomine nuncupavit, nempe cycliſcum. Sed repetamus dimiſſa. Cælos ſeu ſcalpros cycliſcos, quibus volunt integra ſpacia ſulcari inter utrunque foramen, malleolo adigunt, inſtar fabrorum, vel lignariorum ſculpentium ſtrias vel ſulcos, in lignis vel ferro: ſic autem ſenſim ab uno foramine ad aliud, uſque ad ultimum, os ipſum, operibus terebrarum & ſcalprorum ſimul, excavant ac refigunt: & hic eſt modus unus à Celſo propoſitus, à Galeno comprobatus, & ab Ægineta receptus.

*L. 6. c. 60.* *Modus alius forandi oſſis ſolis cycliſcis.*

§. Modum alium nunc Galenus proponit, cum dicit, *vel protinus ab initio cycliſcis*: quaſi dicat, ſi dictus modus non placeat, omittas terebras, & opus adeas, ac perficias, ſolis cycliſcis: nempe, excavando os ipſum vitiatum cælis circumquaque, quoad perveneris ad internam oſſis faciem. Aſt uterque horum horridus eſt, ut belle ipſe memorat. Quorum periculis ac incommodis enarratis, ſtatim accedit ad aliud genus exciſionis, quod lenticulato ſcalpro vult perfici, ſed propoſito etiam alio fracturæ

*Modus tertius oſſis eximendi.*

genere,

genere, nempe, in quo maxime oſſa vitiata ſunt mota.

§. *Mihi igitur* (ait) *hic quoque*, *&c.* Sermo hic obſcurus eſt valde, nec difficultatibus vacuus: ſed operam navabimus, ut explicitum demus. *Si contingat* (inquit) *in magna fractura, os ipſum vitiatum vehementer motum eſſe*, nempe plurimum à ſano ſejunctum, hîc *cycliſci* aptè *adhibebuntur*. Hæc hactenus ſatis eſſe clara videntur, niſi res ipſa difficultatem alicui faciat, unde poſtulet, ad quid cycliſcos, ſi oſſa ipſa vehementer ſint mota? Nam facile, præter horum uſum, aliis inſtrumentis educere poſſumus conſuevimuſque? Fieri ſanè poteſt ut plerunque id efficias, ſed etiam non raro oſſa, quæ à propria ſede vehementer commota ſunt, aliqua in parte etiam vehementer hærere adhuc poſſunt, quam partem vel cycliſcis, ut Galenus inſtituit; vel, horum vice, rectis ſerrulis, à me propoſitis, & olim excogitatis; vel raſoriis acutis ſcalpris, extenuare ſeu excavare oportet, quo lenticulare, (more Galeni) per eam facilius permeet, vel aliis inſtrumentis aptis, ac additis, ſine negotio cedat. Præterea, interdùm etiam evenit, vitiatum os prorſum à ſano ſejunctum, cui tamen eximendo cycliſcorum opera, vel ſciſſoriatum forcipum, vel alterius cujuſpiam ſimilis, eſt neceſſaria; & hoc potiſſime in fracturis iis, quibus depreſſa oſſa latiora ſunt, quam oræ ipſæ extrinſecæ, adeo ut per has (niſi magis aperiantur) illa educi non poſſint.

*Difficultas è textu Galeni.*

§. Sed en locum non omnibus clarum.

*Mihi igitur hîc quoque placet, ſi magnæ ſunt fractu-ra, & oſſa, quæ fracta ſunt, vehementer mota, cy-cliſcis uti: Quippe paucis exciſionibus facies lenti-culatis exciſoriis locum.* Multiplici ratione hæc litera obſcura eſt, cum quod inſtrumenti pro-ponit uſum, de quo nil, præter nomen, di-xit; tum quod id proponat ad aliud munus, quam illi conveniat. Nam *lenticulati gladioli uſus* eſt ad prominentias, acuties, vel *alias* aſperitates inferioris tabulæ, oſſi ſano *hæren-tes*, complanandas deradendaſque. *Verum* Galenus non ad hoc munus nunc illud intro-ducit, ſed ad ſcindendum dividendumve os fractum, quod ſano adhuc conjunctum eſt, altera tamen ex parte diviſum introque defi-xum. Licuit nunc ſic hanc fracturam deſcri-bere, quam ſcimus non aberrare à Galeni ſen-ſu, pro ratione propoſiti modi oſſis *educendi*. Difficiliſque etiam ſermo hic eſt, quia *diſſolu-tus* & vagus, nulloque continuo ſenſu com-poſitus. Verum hoc judicare tantum poteſt is, qui mediocriter artem, & dictionis vim, novit: Sed qui tantum alterum callet, vix id concipiet.

*Gladioli lenticula uſus.*

§. Aſt, ne videar ſub nube loqui, & citra rem difficultatem facere, quam nemo alius (puto) notavit; & injuria dictata fœcundiſ-ſimi medicinæ parentis notare, libuit literam ipſam coram ducere, quo meam culpam præ-ſtem, & debitam cenſuram ſubeam, ſi præter rationem tam dignum virum, hoc loco, re-darguere fuerim auſus. Quo igitur melius mentem noſtram aperiamus, & doctis, in ar-teque

teque peritis, ampliorem anſam demus nobis ſuccenſendi, & Galeni, ſeu veritatis ipſius, partes ſuſtinendi, hic literam, prout eam intelligendam eſſe putamus, exponemus. Galenus igitur, ubi terebrarum incommoda dixit, mox & cycliſcorum, quorum opera (citra terebras) amputari etiam os poſſe dixit ibi, *Vel protinus ab initio cycliſcis*; ſtatim iterum proponit cycliſcos: ſed quidem in fractura majore, ubi etiam vehementer oſſa ipſa ſint mota. Verum in propoſita fractura minime in cycliſcorum uſu perſiſtit, ſed in uſu lenticulati ſcalpri. Quaſi ſic dicas: *diximus, ſi fractura ad internas uſque partes pervenerit cum contuſione, os ipſum poſſe eximi terebellis & ſcalpris ſimul, vel ſolis ſcalpris: at ſi fractura magna ſit, & in ea vehementer ſint oſſa commota, mihi quoque placet in hac cycliſcis uti: nam iis* (cycliſcis ſcilicet) *paucis exciſionibus facies lenticulatis exciſoriis locum; quibus lenticulatis introductis, os ipſum commotum à ſano dividere laborabis.* Ecce literæ ſenſum, totum ſanè ſcrupis refertum. Cæterum putarem ſic potius eſſe legendum: *Si magnæ ſint fracturæ, & oſſa quæ fracta ſunt vehementer mota, lenticularis exciſoriis uti. Quippe cycliſcis, paucis exciſionibus facies illis* (*nempe lenticulatis*) *locum.* Si igitur ſic legatur, intelligemus Galenum alium proponere modum evellendi, ſeu potius exſcindendi oſſis calvariæ, diverſum ab aliis duobus ſuperius dictis, quem mox iterum cæteris præfert. Qualis ſit uſus lenticulati ſcalpri, infra declarabit. Sequitur, *Si firma plurimum oſſa ſint, ferenda terebellæ ſunt*: hæc per ſe nota videntur.

*Paraphraſis textus Galenici.*

8. *Quidam autem, quoniam uſque adeo aberrant, ejuſmodi terebella excogitarunt, quæ mergi non poſſunt, quas ab argumento ἀβάπτιστα dicunt. Circumcurrit enim paulum ſupra terebelli acutam cuſpidem, circulus quidam paulum extans. Sanè expedit complures id genus paratas habere, ad omnem calvariæ craſſitudinem: Nam craſſiori longior terebra convenit, (voco autem ita, cujus ſpatium, quod inter ſummam eſt cuſpidem, & circulum qui extans circumcurrit, majus eſt,) tenuiori brevior; eſt autem huic quoque ſpatium, quod intereſt inter cuſpidem, & quod circumcurrit, minus.*

Clara ſatis litera eſt, modo ſchemata ipſa inſtrumentorum videas, quæ reperies *inferius depicta.*

9. *Aliqui verò, ſive illos iis timidiores, ſive tutiores appelles, etiam iis quas χοινικίδας vocant, ſunt uſi. Tu verò, ſi neque improvidus eorum quæ fallere poſſunt, ſis futurus, neque pluſquam ſatis eſt timidus, commodiſſimè cycliſcis utere: & primo quidem aggreſſis latioribus, poſtea magis anguſtis, donec ad craſſam membranam perveneris.*

Difficultate non vacare hic textus videtur: nam vel dicendum eſt eum tacite arguere Hippocratem, vel non animadvertiſſe illum modiolo (quem Χοινικίδα vocant Græci) fuiſſe

fuiſſe uſum, quod facile ex Hippocratis litera diſcuti poteſt, dum dicit: *Verum terebrantem oportet, ubi jam valde parum abeſt ut os ſit perforatum, & os jam movetur, à terebratione deſiſtere, & ſinere ut os ſua ſponte diſcedat. Nam in oſſe perforato, & in perforatione relicto, nihil mali accidere poterit; tenue enim jam id, quod reſtat, ſit.* Etenim hæc tam clarè oſtendunt terebram Hippocratis fuiſſe modiolum, ut nulla alia explicatione egere videatur: Verum ut junioribus, & iis qui Chirurgiam affectant, laborem longioris diſcurſus minuamus, ea declarabimus. In nulla terebratione, præterquam in ea quæ modiolo fit, perforatum os in perforatione ipſa relinqui poteſt. En jam potiſſimum argumentum, ſuffragatum ab hoc alio conſequente, ingenioſiſſime à doctiſſimo Vidio memorato. *Et exempto* (inquit Hippocrates *loc. cit.*) *ſæpe terebello, ſpeculari tum alias, tum per admotum ſpecillum, circumcirca ipſius terebelli viam.* Aſt, quæ eſt terebelli alicujus via, quæ circumcirca ſpecillo explorari poſſit, præter eam, quam modiolus ſibi extruit? Facile quidem aliud, vel alia dicam inſtrumenta, quæ id præſtare ſatis facile poterunt, & à nullo alio (quod ſciam) excogitata. Id efficiet, ſi à modiolo à me invento, omnes apices auferas, uno tantum, vel duobus, vel etiam, ſi vis, tribus vel quatuor relictis. Idem præſtabit bidens, vel tridens terebra ſuperius declarata. Sed ad rem.

*Lib. de Vuln. cap. n. 29.*

*Terebellum Hipp. Modiolum fuiſſe, argumentis duobus oſtenditur.*

*Pag. 669.*

§. Ambigit hic Galenus *num tutiores, an potius formidoloſiores dicendi ſint, qui modiolis utuntur?*

Profectò, ſi utriuſque difficultates, ſeu incommoda, expendamus, nempe modioli & terebræ, facilius eſt ex modiolo cavere injuriam, quam ex terebris: rationes jam ſuperius exaratæ ſunt. Sequitur, *Tertiò*, &c. Hîc videtur plus laudare cycliſcorum uſum, quam terebrarum & modiolorum: forte quia modiolis uſus non eſt, vel infœlici exitu: quamvis etiam reformidet terebras, & ſcalpros cycliſcos, etiam pluſquam lenticulare, ut mox dicet. Addit ordinem utendi cycliſcis, quem jam ſuperius expoſuimus.

10. *Cæterum quod excidi oportet, id totum circulo cycliſcis nudandum non eſt, ſed ex ea maximè parte, quæ fractura eſt graviſſima. Nam præter alia, membrana ipſa ab oſſibus, quæ vehementer ſunt afflicta, celerrimè recedit, adeò ut nullus ſit metus eam, quæ jam ſejuncta eſt, tetigiſſe. Si verò unam ſemel nudaveris partem, ac ſcalprum, (qui in cuſpide præfixum habet obtuſam lævemque lenticulæ ſpeciem, aciem verò per longitudinem erectam) ſubmiſeris, ubi latam partem lenticulæ ſuper membranam ſtatueris, feries malleolo, ac ſic calvariam divides. Evenient enim ita agentibus, quæ requirimus, omnia. Nam membrana, ne ſi dormitans quidem quis agat, lata tantum lenticulæ parti occurrens, vulnerari poteſt. Quod ſi ſibi adhæreat calvaria, hujus quoque adhærentiam innoxiè dirimit*

*dirimit ipſa lenticulæ rotunditas; Subſequitur verò praeuntem eam à tergo ipſe ſcalper, calvariam ſecans. Quare, nec, qui minus cum periculo, nec qui celerius perficiatur, forandi modum alium invenias.*

Niſi veritatis amor, pietaſque adverſus patientes, me ſtimulaſſet, caviſſem hercle animo lubentiſſimo hoc Galeni caput in medium ducere. Verum quia ignorantiam potius noſtram (ut Galenus alibi dixit) accuſare debemus, quam veritatem occulere. impium propterea fore putarem tacere errorem, non modo meum, (ſi retegerem) ſed & alienum, qui in pernitiem aliquam multos impellere poſſet. Quare non poſſum non dicere, Galenum hîc abſurdiſſimum præcipere eximendi oſſis modum, quem nunquam ipſe uſu aliquo comprobavit, ſed breviſſimo tantum animi diſcurſu provolvit. Relinquam aliis judicium facere, qui talem modum ſectionis in cadaveribus poterunt experiri, literam nunc aperire pergo. *Autoris pietas & amor in proximum.*

§. Senſus hujus textus adhuc connexus eſſe videtur cum præcedente, ubi laudavit potius uſum cycliſcorum, nunc adhuc in eodem ſermone perſiſtens inquit, *Tu verò, ſi neque improvidus eorum, quæ fallere poſſunt, ſis futurus, neque plus quam ſatis eſt timidus, commodiſſime cycliſcis utere*, &c. Sequitur mox, *Cæterum quod excidi oportet, id totum circulo cycliſcis nudandum non eſt, ſed ex ea maxime parte, qua fractura eſt graviſſima.* Dicit igitur, etſi modiolum aliqui propoſuerint, quos neſcio an appellem timidiores vel tutio-

tutiores: Tu verò, ſi prudens fueris, ut qui proſpicias cycliſcorum injuriis, quæ ab artifice caveri poſſunt, omiſſo modioli uſu, cycliſcis utere. Cæterum non ut totum os ipſum educendum reſcindas circumcirca, prout ſupra diximus; ſed ſatis ſuperque eſt, tantum de membrana detegere, vel de oſſe cycliſcis demere, quantum ſatis ſit ad intromittendum lenticulatum ſcalprum, quo (ſcilicet) totum os refigendum à ſano divides.

§. Sed quis dicendi modus eſt hic? nempe dicere, *Tu qui improvidus non es, loco modiolorum, cycliſcis utere: cæterum tantum iis utere quantum ſat ſit ad præbendum aditum lenticulato, qui ubi introductus fuerit, ipſe rem totam efficiet?* Aſt longe clarius ſic diceretur. Tu qui improvidus non es, vice modioli, lenticulato utito. Cæterum huic cycliſcis ingreſſus eſt parandus, & eo loco potiſſime, quo fractura eſt graviſſima. Sic lectâ literâ, ſatis clarus eſt ſenſus. Aſt, num hic modus ſit amplexandus, vel rejiciendus, experiatur in cadaveribus ipſe artifex, qui honorem & gloriam fœlicibus operibus conſequi ſtudet: Inveniet namque aggreſſum facilem, progreſſum verò & exitum prorſus deteſtabilem. Non enim, qui hanc Galeni ſententiam opere fovere nititur, labori leviſſimo parcere debet, quominus ſe tutum reddat, facto periculo in cadaveris calvaria. Nam ſi id commodè non poſſis conſequi ex cadaveris recentis capite, quo modo conſequéris in vivente homine, in quo plura alia ſunt perimeſcenda?

§. Re-

¶. Reliquum nunc eſt, ut *utendi lenticulati ſcalpri modum*, à Galeno ſignificatum, deſcribamus. Eſt autem is, qualem adhuc hoc ævo ſervamus. Neque alius aptior modus invenitur, immittitur enim lenticula intra cranium & cerebri membranam, acie gladioli verſa ad eam partem, qua os ſecare intendimus; mox à dorſo lenticulatum gladiolum percutimus malleolo plumbeo vel ſtanneo, & ſic ſenſim eum adigimus. Aſt cum lenticula promineat ultra aciem gladioli, adacto gladiolo, ipſa lenticula ſemper præit; & ipſe ſcalper, cui lenticula eſt præfixa, malleolo adactus, calvariam ſecat: & hoc eſt quod Galenus dicit, *Subſequitur verò præeuntem eam à tergo ipſe ſcalper, calvariam ſecans.* Lenticulati ſpeciem (niſi noveris) reperies in *figuris ſæpius memoratis.*

II. *Maximè autem hunc in vehementiſsimis fracturis laudabis, quas utique recentiorum nonnulli Medicorum, Græcè ἐγγεισώματα & καμαρώσεις nominant. Ἐγγεισώματα quidem, quæ in medio ſui membranæ innituntur: Καμαρώσεις verò, quæ eandem ipſam partem exaltatam habent. Cæterum, quæ primùm ab integris fracturæ partibus diduci ægra cœpit, intro magis recedunt, ac membranæ innituntur. Quippe celerrimè in talibus, quod ægrum eſt, totum exciditur; utpote cùm promptiùs ſubintret lenticulati ſcalpri finis in iis, quæ plurimùm à naturali habitu receſſe-*

*receſſerunt. Quinetiam inſtrumento quod ὀςάγραν vocant, aliquibus oſſium, quæ vehementer ſunt comminuta, vel exaltatis vel converſis, ea potiſſimum parte, ut dimittatur lenticulatum ſcalprum, præparabimus.*

Præfert item hîc lenticulati ſcalpri uſum ad oſſa adhuc hærentia refigenda: quem modum (quod iterum repeto) omnino deteſtari debet, quiſquis patientis utilitati ſtudet. Nam præter vehementem concuſſionem, quæ longe vehementior fiet quam in cycliſcorum uſu, metus eſt, ne gladiolus juxta os frangatur, & lenticula intus maneat, quam ut auferas, ſubinde novum auxilium eſt implorandum. Aſt ſi gladiolum fortiorem facere putes, quominus rumpatur, vanum te inſtrumentum excogitaſſe intelliges. Galenus tamen hunc modum mirifice commendat in maximis iis fracturis, quæ ἐγγεισώματα & iis quæ καμαρώσεις Græcis dicuntur.

Engiſſoma. §. Ἐγγεισώματα dicta ſunt (ut vir doctiſſimus, & mihi amatiſſimus, D. Conſtantinus cenſet, & in ſuo fœcundiſſimo lexico affirmat, à γείσωμα Græcè, quod *ſuggrundam*, vel imbricem, vel imbricamentum Latini dicunt; quæ (k) interpretatio elegantiſſimè huic ſententiæ convenit, ut mox patebit. Καμαρώσεις verò ἀπὸ τῆς καμάρας, quaſi vertas *teſtudinatio*: unde

(k) Scapula in Lexico derivat ἀπὸ τȣ̃ ἐγγὺς, (*prope*) quod os fractum ad ſubjectam membranam appropinquet: quamvis Gorræus aſtipuletur etiam Conſtantino; imò utramque denominationem approbet.

(l)

unde concamerare dicitur, qui arcuato opere, & fornicis inſtar, ædificium conſtruunt. Adeò ut Galenus, nunc duas has cranii fracturas, inter ſeſe figuræ poſitione contrarias, dictæ ſectioni per lenticulatum factæ, commendet. *Καμαρώσεις* igitur dicentur fracturæ, quibus oſſis vitiati media ipſa pars ſurſum elevatur, & ſuperiore parte convexa ſit. Aſt hæc raro evenit citra totius capitis compreſſionem, quam divinum eſt à funere liberare. *Cameromata.*

§. Dicet hîc fortè aliquis, Num etiam Camaromata dici poſſint oſſis rupturæ, quæcunque enſe fiunt, quibus oſſa ipſa diviſa, non introrſum, ſed extrorſum vergunt, cum oſſis ipſius convexum externa parte vergat? quod nonnunquam vidi in frontis altera parte juxta tempora: Nihil refert ſanè, ſi hanc, vel aliam ſimilem, ſic appelles, modo curandi rationem in ea ſerves. Cæterum puto, non intelligendum ſic eſſe, cum tales fracturæ lenticulato auxilio non egeant, quo educantur. In Engeiſſomate ſecus evenit: nam convexum deprimitur & cavum fit, quam ſpeciem fracturæ ſic deſcribit Galenus, *Engiſſomata* (ſupple) *ſunt, quæ in medio ſui membrana innituntur.* Doctiſſimus Gorræus *in ſuo libro definit. med.* ſic definit, *Engeiſoma eſt cranii fiſſura, in qua os affectum, loco naturali dimovetur, & deſidet; atque ad inferiorem cerebri membranam pertingit, quam etiam urget premitque.* Auſim quidem dicere in hac litera aliquid deeſſe, ut ſenſus ſit verior, vel ſaltem clarior: cum non ſit neceſſum os ipſum ad inferiorem cerebri membranam *Gorræus emendatur.*

branam pertingere. Putarem igitur ſic dicendum. *Atque ad inferiorem partem* (videlicet ipſius depreſſi oſſis) *& cerebri membranam pertingit*; vel, *ad infra ſe poſitam cerebri membranam.*

*Litera Gal. emendata.* §. Sequitur Galenus, *Cæterum quæ primum, &c.* Hæc litera prorſus eſt obſcura uſque ad *Quinctiam*, quam ſic legendam eſſe crediderim. *Cæterum, quæ primum ab integris oſſis partibus deduci ægra cœpit, intro magis recedens, ac membranæ innitens: celerrime quippe in talibus, quod ægrum eſt, totum excidatur, utpote quod promptius ſubintret lenticulati ſcalpri finis, in iis quæ plurimum à naturali ſtatu receſſerunt.* Hæc litera ſic diſpoſita, luculentiſſimum ſenſum præ ſe fert, quem expedit nunc cum ſupra dicto textu copulare, ut totus ſenſus ſit integer. Inquit igitur: Cum talis modus auferendi oſſis per ſcalprum lenticulatum, maxime conducere videatur in Engeiſomate & Camaromate: tunc ſane in iis potiſſime convenit, ubi vitiatum os ab integro magis dividitur & intro fertur, adeo ut cerebri membranæ innitatur. Cum itaque talis fracturæ modus contigerit, celerrime hoc totum os ægrum excidendum eſt, eo quod urgeat membranam, quæ facile inflammari poteſt: præterea etiam, quia in tali fractura ſæpe hiantia ora reperiuntur, per quæ facile, vel nullo ferè negotio, lenticulatus gladiolus introducitur, nullá ope efflagitata à ſcalpellis cycliſcis, ut ſuperius poſtulabatur. Hic eſt ſenſus literæ Galeni mox adductæ.

*Paraphraſis verborum Galeni.*

§. Se-

5. Sequitur. *Quintum instrumento, &c.* Si fortaſſis, ubi oſſa vehementer ſunt comminuta, horum ora non tantum fatiſcant, quantum ſatis ſit ad introducendum lenticulati gladioli finem, tunc non cycliſcis, ſed inſtrumento *Oſtagra* dicto, aditum illi parabimus, quo ſubire poſſit. Quod autem genus inſtrumenti hoc ſit, exactè dicere non poſſum: Verum à rei ipſius eſſentia ſumpto argumento, credendum eſt, fore *vectem* aliquem *elevatorium*, vel ſcindentem *forcipem*, vel (ut belle doctiſſimus Gorræus dixit) aliud quippiam ſimile, quod os ſuo loco moveat. Nam Galenus nihil poſtulare ab hoc inſtrumento videtur, præterquam ut ingreſſum lenticulato ſcalpro faciat, quod præſtari poteſt aliquid oſſis comminuendo, vel *hypomochleato vecte*, ſeu alio quovis ex re nata fabricato inſtrumento, elevando vel deprimendo.

12. *Quo facto, ſuccedunt deinceps omnia, quibus eſt opus, cum ſecuritate ſimul ac celeritate: ut ferme dixeris celebre illud dictum in reliquis quidem omnibus probè ſe habere, dimidium facti, qui bene cœpit, habet: Hîc verò non totius dimidium, ſed vel totum, vel paulò minus toto habeas, ubi lenticulatum ſcalprum immiſeris. Atque hæc optima eſt fracturarum, quæ in calvaria ſunt, manualis tractatio, quam Chirurgiam vocant.*

Claro ſermone mirum in modum Galenus hîc lenticulati gladioli uſum, ad os dividen-

dum, laudat, ad ſyderaque tollit: qua in re magis confirmat quod antea diximus; nempe, eum præceptum eximendi oſſis inſtituiſſe rude horrendumque, quem non experientia (ut dicere ſolet ſe agere conſuevisſe) comprobavit, ſed repentino quodam animi diſcurſu. Nam præter id, quod dictus modus non laudandus, ſed deteſtandus eſt, etiam hic magnam vim facit in parando aditu lenticulato ſcalpro, quæ omnium fere operarum eſt facillima, præcipue in fracturis mox propoſitis. At cum litera per ſe ſatis lucida ſit, tempus propterea non conteremus in ea declaranda. Cæterum iis conſulimus, qui nunc bile commoti, verbo tenus Galenum obiter laudant, ut pacata ira (quæ & oculos, & mentem, obcæcat) periculum rei faciant, ne potioris cenſuræ mulctam ſubeant. Facile ſane hic Galenum excuſamus (veritate tamen declarata) cum meliorem modum, quem excogitare ſuo tempore potuerit, nobis ipſe propoſuerit. Præterea, cum tot tantaque recte, docte, ac perite ſcripſerit, mirum non eſt ſi hac in parte aliquid deliquerit, cum non diu Chirurgiam (ut ipſe fatetur) opere obſervaverit.

*Conſulit ſubitariis judicibus.*

13. *Quantum vero excidere conveniat ejus, quod affectum eſt, deinceps exponam. Quod vehementer eſt confractum, id totum eſt auferendum: Si verò ab eo fragmenta quædam longius excurrant, (quemadmodum aliquando cernitur accidere) hæc perſequi ad finem non expedit; Illud perſuaſum habentibus,*

*bus, minime futurum, ut ex eo noxa ſequatur ulla, modo reliqua omnia ritè ſint peracta: Nos enim non ſemel aut bis, ſed planè perſæpè, ſic facientes, voti compotes fuimus.*

Exponit hic, quantum de oſſe eximere oporteat: quare illud, *deinceps*, tanquam ſuperfluum, demendum eſſet, cum ſtatim rem ipſam aggreditur. Quod ſi aliquis contendere velit, poſſe ſtare, æquum erit ut id alio in loco ſtatuat, puta illic, *Quantum verò deinceps:*

§. Sed ad rem. *Ea*, inquit, *oſſa quæ vehementer ſunt confracta*, ſive, ſcilicet, *à ſanis ſint ſejuncta*, vel adhuc utcunque conjuncta, *auferenda prorſus ſunt*, exceptis tamen iis, quæ longius excurrunt. Hæc exceptio utiliſſima ſanè eſt, atque etiam tanquam religioſè ſervanda: licet ſecus faciant imperiti artifices. Non itaque hic locus jejunè nimium prætereundus eſt, cum ad rem perficiendam non raro poſſit eſſe utilis. *Ea* (dicit Galenus) *oſſa omnia ſunt tollenda, quæ vehementer ſunt confracta* (intelligo, ſive ea ſint à ſano ſeparata, ſive leviter conjuncta) præcipuè ſi cum vulnere cutis talia fuerint. Hanc nos diſtinctionem facimus, quia non in omni cranii fractura, ſine externo ulcere, conceſſimus oſſa eſſe evellenda, ut infra in curatione declarabimus. Neque etiam quæ cum vulnere ſunt, (ut Galenus ait) ea omnia ad extremum uſque fracturæ ſunt proſequenda, ut ineptiſſimè ſtupidi Chirurgi faciunt,

*Exceptio utilis.*

*Obſervatio notatu digniſſima.*

qui, ut ad extremos uſque cujuſcunque fracturæ limites perveniant, ampliſſimum, atque etiam lethalius vulnus, in carnoſa parte efficiunt. Carnoſam nunc partem dico, quicquid ſupra cranium continetur, objiciat nunc moroſus cenſor capillos.

§. Quo noſtrum ſermonem & utilem, & clarum magis, faciamus, dicamus primum, duas harum fracturarum extremitates eſſe conſiderandas, quas ſi ad quatuor velis ducere, nihil prohibet. Alteram intelligimus, cum ipſius vulneris longitudinem vel latitudinem conſideramus; alteram verò, cum ipſius profunditatem. At profunditatem (præcipuè ubi anceps eſt) *raſoriis ſcalpris* proſequi licet, uſque ad internam oſſis faciem, & non quidem rimæ cauſa, vel ut rimoſum os demas, ſed ut, ſi quicquam recta ad rimam ſit extraneum, idem per emiſſarium factum exire poſſit. Alteram verò, ſeu alias extremitates penitus perſequi, quandoque noxium eſt, ut mox duplici exemplo Galenus declarabit. Porrò ex rima (ut ipſe aſſerit) hoc nobis perſuadere debemus, nihil noxii ſucceſſurum, modo cætera ritè fuerint peracta: nimirum, ſi, quod membranam premebat, abſtulerimus, vel loco ſuo repoſuerimus, vel elevaverimus, quo premere amplius membranam non poſſit; vel, ſi quid ſit nimis elevatum, id loco ſuo depoſuerimus; vel, ſi quid in oſſe ſano ſit aſperum, illud complanaverimus, vel lenierimus, vel inter operandum non læſerimus, ab injuriiſque aliis, nempe aëris & ſimilibus cæteris, pruden-

prudenter ſervaverimus. Sed aliquis nunç dicere poſſet, Galenum non de rima loqui, ſed de oſſis fragmento: quod fateor. Aſt hîc dicendum eſt, ſi Galenus præ nimia ſollicitudine non vult eſſe indaganda fragmenta ipſa, quanto temperantius agere debemus in exquirendis rimarum extremitatibus?

§. Ad fragmenta nunc devenio, quæ multiplicia variaque eſſe poſſunt. Eſto vulnus, quale Galenus mox proponet, nempe ſupra ſquammata oſſa, & per longitudinem capitis, quam intelligo ab anteriore parte ad poſteriorem: dividatur hîc magna portio oſſis, enſe videlicet: quod os ſuperiore parte, (nimirum ad bregma) in totum ſejunctum ſit à cætero, aliis verò locis adhuc hæreat, puta in anteriore parte juxta tempora, in inferiore ad aurem, in poſteriore prope lambdoidem. Hoc os, ſi vulnus ipſum magnum ſit, (quale Galenus proponit, & ut nobis non multo diſſimilia vidiſſe contigit) utcunque movebitur ſi tractetur: hoc, inquam, fragmentum dici poteſt, & ſic à Galeno nunc appellatur. Quod cum imperitus Chirurgus, ſimul & audax, mobile aliquo modo videt, refigere ſtudet, vel ad extremam diviſionem utrinque retegere incumbit, quod nefarium eſt: Hoc (inquit Galenus) fragmentum, non licet perpetuo perſequi ad finem uſque. Imò non modo hæc, ſed nec minora, nec quæ à ſano prorſus ſunt ſejuncta, inſectari oportet, ſi exquiſitio ipſa inferre noxam poſſit: quod præceptum non modo utiliſſimum eſt in

injuriis calvariæ, ſed ſane quidem in omnibus aliis oſſium vulneribus: quod etiam paucis verbis memoratum eſt ab Hippocrate cum L.cit.num. 25. dixit, *neque periclitari oſſa auferre conando, priusquam ſponte ſua emergant, priore forma exoluta.*

14. *Indicatio verò agendorum, hic quoque, ex natura ipſarum partium affectarum, ſubminiſtrata eſt: Nam deligaturam, quam in aliis fracturis, ceu maximè phlegmonas arcentem, ratiò invenit, capiti adaptare non poſſis. Itaque, neque quod affluit reprimere, nec quod in agris partibus continetur, eximere queas: ſine quibus præſidiis nec reliquorum oſſium ullum ſervari ſanum poteſt.*

In affectuum capitis curatione, indicationem quam natura partium ſuppeditat, non plus ſpernere debemus, quam faciamus in cæteris membris. Veruntamen ea ratio curativa, quæ per ligaturas habetur, in capite pauci momenti eſt: in aliis vero membris, brachio, puta, crureve, maximi. Nam phlegmonas (intellige, ſi rite ſit uſurpata. cum hæc etiam crebro phlegmonas ipſas, & quidem vehementiſſimas, inducat, ut Hippocrates & Galenus perſæpe admonent) arcet, & membra fracta immota continet.

15. *Nam pone in brachio ad medullam uſque fractum os eſſe, neminemque poſtea pro fractura legibus id deligaſſe: Omnino neceſſum erit ſaniem, non ſolum quæ foris ſub cute & ſub*

*& ſub muſculis eſt collecta, ſed etiam quæ in medulla continetur, tum ipſam primum ac maximè corrumpere, tum cum ipſa os univerſum: quando etiam nunc quoque, omnibus ritè peractis, aliquando talia contingunt.*

Quantum ligatura, (ait) probè adminiſtrata, juvet ad multos morbos, præcipue tamen ad fracturas curandas, ſenſus ipſe edocet: cum videamus eas fracturas (utpote brachii) quibus ligatura nulla convenienti itum eſt obviam, non effugere puris collectiones varias, unde corruptelæ ipſorum oſſium ſimul eveniunt. Imò non duntaxat hæ, quæ ritè non fuerint deligatæ, talem putrefactionem experiuntur, verum etiam plerumque & aliæ, quibus & ligatura, & cæteris aliis remediis, probè eſt occurſum. *Ligatura beneficium.*

16. *Quomodo ergo non, vel magis, in capite ea accidant? cum nec diligaturam, quæ fracturis debetur, admittat; & omnis ſanies prona feratur, ſic ut ſuper membranam univerſa coacervetur? In aliis igitur fracturis deligatura, cum rite adhibetur, tantum abeſt ut ſupervacuam aliquam humiditatem colligi in læſo oſſe patiatur, ut etiam gracilius, quam pro naturali habitu, membrum reddat. In capite verò, ratio quæ per deligaturam eſt excogitata, nec poteſt ita, tum os ipſum confractum, tum quæ illi circumſtant, ſiccare, ut neque phlegmonem contrahant, neque pe-*

*nitus ullam efficiant ſaniem: Nec medicamentum eſt ullum, quod vel in aliis quidem partibus, citra deligaturam, os fractum, quatenus nunc dictum eſt, ſiccum, atque à ſupervacuis purum reddere valeat. Neceſſum eſt igitur nobis, primùm fracturæ aliquid nudare, quo videlicet detergere & abluere ſaniem à membrana liceat; poſt verò, cum phlegmones tempus periit, omniaque ſicca ad unguem ſunt, carnem producere, & cicatrice locum includere.*

Si, ubi ligatura ſolet eſſe maximo auxilio, adhuc putredo interdum caveri non poteſt, etiamſi ſimul cum illa nihil aliarum rerum, quæ ad artem ſpectant, omiſeris: qui fit tamen, ut in capite, cui deligatura parum, aut nihil, prodeſſe poteſt, & omnis ſanies prona feratur, adeo ut ſupra membranam coacervetur univerſa, talis putredo non fiat, vel etiam major? Reddit nunc hujus petitionis rationem: Verum prima pars ſequentis rationis utcunque pugnat cum fine præcedentis textus, ibi: *quando etiam nunc quoque, &c.* Eſt autem ratio talis. Sicuti deligatura ritè facta, alia membra non modo liberat à ſuperflua humiditate, ſed & eam quæ in alimentum converti debet, arcet: ſic & caput, vice ligaturæ, aliud genus auxilii juvat, quo minus corruptelam ſubeat, quo auxilio alia membra æque juvari minimè poſſunt. Itaque, quanto juvantur à ligaturis alia membra, tanto mi-

nus auxilium capiunt ab impoſitis ſiccantibus medicamentis; & verſa vice, quanto tenuius eſt ſuffragium, quod caput à ligaturis conſlare poteſt, tanto ſane eximius eſt, quod ab impoſitis medicamentis conſequitur. Quæ autem ſint hæc medicamenta, Galenus ſuperius enumeravit. Cæterum dicimus nos, non prorſum ligaturas inutiles eſſe capiti, neque imponi ſiccantia medicamenta aliis membris ſine fructu, ut experientia ipſa confirmat.

§. Addit, *Neceſſum igitur, &c.* Oportet igitur, quo vulnus capitis ſiccius reddas citra ligaturæ auxilium, primum fracturæ aliquid nudare, mox illud abluere ac detergere, ſubinde ſiccantia medicamenta apponere: ſiccatione, prout decet, facta, & phlegmones ſuſpicione præterita, carnem producere, & cicatrice vulnus obducere, properandum eſt.

17. *Non eſt hic ſermo nudus, rerumque vacuus, cujuſmodi eſt ille Sophiſtarum, qui operum artis neſcii, quærunt, cur capitis fractura callum non ducant? Ducunt enim, ô viri boni! voſque tam dementes eſtis, ut eorum quæ non ſunt, tanquam ſint, cauſas aſſignetis. Novimus enim aliquando ſincipitis os fractum: quod autem os huic oſſi protinus ſuccedit, Temporum os vocatur, in quo ipſas ſquammatim compactas commiſſuras eſſe accidit. In eo luculenta fractura longiſſimè pertinebat: quam ipſe quidem minime contingens, ſed tantum ſincipitis os exſcindens, hominem*

 *ſanavi,*

*ſanavi, ſic ut nunc quoque multos jam annos vivat.*

Jactat utilitatem ſui ſermonis, ad ſophiſtas ſe convertens, quibus improperat vaniloquium, quod illorum eſt fulcimentum: dicitque capitis os callum ducere, quod non cenſebant illi. Callum quidem facit os capitis, quo ferruminantur ea fragmenta, quæ natura adhuc ſervat, ſicuti in exemplis à Galeno adductis. Sed non modo in iis callus *fit*, ſed etiam, ubi de oſſe aliquid eſt amiſſum: Verùm callus hic, qui vice oſſis occurrit, tenuis eſt, ſicuti etiam cutis quæ vulnera obtegere conſuevit, quæ & ipſa multo tenuior eſt, quam ſana ipſa.

*Callus oſſis capitis.*

§. Ad textum. *Novimus enim, &c.* patet hoc exemplo, ut ſuperius diximus, quomodo fragmenta oſſium, præſertim in capite, non ſunt omnino perſequenda. Difficile eſt hic vaticinari, quamobrem os ſincipitis dempſerit, & num id diviſerit à ſquammato, vel potius aliquod fragmentum eſſet à ſuperiore parte proſus ſejunctum, inferiori verò adhuc conjunctum, ſed tamen fractum: Si hoc ultimum erát, perbellè fecit. Sed quicquid fuerit, cenſendum eſt, probe id fuiſſe factum.

§. Addit, *quod ſi ſincipitis, &c.* Dubio procul, ſi os ipſum diviſum omnino à ſano erat, aut modice continebatur, callum non obduxiſſet, eo quod cum calvariæ (de qua nunc eſt ſermo) particula aliqua eſt excoriata, & multo circuitu à ſano oſſe ſejuncta, nutriri

non

non poteſt, propter vaſorum, quibus alebatur, diviſionem: Reliquum igitur eſt eam interire, unde non modo non nutrietur iterum, ſed putreſcet, reliquaſque ſibi circumpoſitas partes corrumpet, præcipue ſubditam ſibi cerebri membranam, quæ neque minimas (niſi perquam raro) ferre injurias poteſt. Propterea credendum eſt, os ſincipitis, nunc à Galeno memoratum, eductum fuiſſe, ob id quod deſtitutum eſſet omni ſpe ferruminationis ſeu conjunctionis; quod maturius auferre ſatius fuit, quam differre.

18. *Nam, ſi nulla, ex læſis partibus, ſanies intro conflueret, ſuperfluum eſſet os exſcindere. Ergo illi, prout ſolent, nugantur. Ego verò in alio, ſimiliter ſe habente fractura, cogitaram ſupremum os dimittere, atq; quod à lateribus erat, qua ſanies defflueret, eximere: mox, cum craſſitudinem ejus & duritiem æſtimaſſem, utilius fore judicavi, ſupremum os potius eximere, quam ob defluxus ſollicitudinem, cerebrum valenter concutere. Cogitavi præterea accidere poſſe, ut, ſi à latere magnum fieret in oſſibus foramen, prominoret fortaſſis hac parte cerebrum. Eſt porrò & in lateribus, non uno in loco, etiam nervorum, horumque non levis momenti, quidam exortus, cùm in ſupernis capitis ne minimus quidem uſquam oriatur nervus. His admonitus, abſtinui ab eximendo oſſe, quod in latere*

*capitis*

*capitis eſſet. At callum ſemper duxit, modo rite curaretur.*

Obiter hic dicit, quare os capitis perforandum ſit: quæ ſanè cauſa ſufficiens non eſt, eo quod ob alias etiam cauſas id perforare oporteat, & non perpetuo ob eam, quæ nunc propoſita eſt, ut loco ſuo dicemus. Aliud nunc adducit exemplum, alteri (ut dicit) perſimile, quod feciſſe videtur, ut probet item, vulnera capitis callum gignere. Aſt per hoc etiam intelligitur, non omnia fragmenta eſſe funditus exquirenda. Cæterum ab iis duobus exemplis multa deſiderari poſſent, ut aliquam facerent doctrinam, quæ facile prætereo, ne clariſſimi fœcundiſſimique medicinæ parentis Galeni, moroſus cenſor videar. Accedam igitur ad alia, cum litera hic nullam, vel exiguam, præ ſe ferat difficultatem.

19. *Ac jam, quod diſquiramus, hoc ferè ſupereſt, quæ-nam ſit, poſtquam foratum os eſt, tùm medicamentorum, tùm univerſæ diligentiæ noſtræ præcipua omnium ratio? Utrùmne blandiſſima, & quæ maximè voluptati cubantis ſubſcribat, (veluti qua nunc plerique utuntur) an quæ huic maximè eſt adverſa, nempe quæ per medicamenta, quæ vehementiſſimè ſiccent, perficitur? cujuſmodi & Meges Sidonius laudat, & civis quidam noſter ſemper eſt uſus, ſic ut etiam emplaſtrum, quod Iſin vocant, illico nudatæ membrana*

*branæ imponeret, & ſuper hanc foris oxymelis. Sanè is ſenex erat ſatis exercitatus in hac artis parte. Cæterùm neque alium quempiam iis uſum vidi, nec ipſe uti ſum auſus. Tantum tamen teſtificari Eudemo poſſum, (nam id ſeni nomen erat) magis fuiſſe ſervatos qui ab illo curabantur, quàm qui ab iis, qui blandis utebantur.*

Quæ medicamenta putaret fore utilia oſſi detecto, ſuperius, ſub initio capitis, enumeravit: nunc ad ea quæ ad cerebri membranæ curationem conferre putat, accedit. Inquit igitur, Megetem Sidonium vehementer ſiccantibus medicamentis fuiſſe uſum. Quæ autem hæc ſint, non enumerat, neque mihi etiam ſuccurrit, num de iis fortè alibi quicquam dixerit; duabus compoſitionibus exceptis, quibus ait Megetem fuiſſe uſum ad ozænas, quæ *Ozæna* ſunt narium ulcera, ex acrium & putreſcen- *quid?* tium humorum influxu (ut Galenus ait) generata: quæ medicamenta dicit ſe collegiſſe ab Aſclepiade: eaque deſcribit 3. *comp. medic. ſec. loc. c.* 3. At ſi aliquod horum duorum ſit, id erit quod primo loco notatur, & ſic inſcribitur, *Aſclep. ad ozænas quo uſus eſt Meges. Seminis ericæ, myrrhæ, nitri rubri, putaminis mali punici ana* ʒ iv. *croci & coſti ana* ʒ ij. Hæc eſt compoſitio, quæ quandoque poſſet conferre, ſi nimia humiditas, ſeu potius caro aliqua humidior & decolor, ſuper membranam oriatur. Cæterum, etſi medicamentis ſiccantibus

ipſe

ipſe quoque ſuorum uſus fœliciſſimo ſucceſſu, puta *aqua vita*, dum nil ſuper membrana eſſet præter naturam, non tamen minus fœliciter, imò & crebrius, ſum expertus, leviora ac temperatiora non parum conducere, ut *roſaceum mel* & *roſaceus ſyrupus*, & alia id genus, quæ nulla exficcatione evidenti ſunt ſociata. Sed ubi aliquid ſupervenit vitioſum, quod ſui ablationem indicat, ad ſiccantia generoſe, ut ad *præcipitatum*, recurrere æquum eſt, & ad alia ſimilis facultatis.

§. Inquit præterea, quod *amicus quidam ſuus medicamentis ſiccantibus Megetis utebatur, etiam & Iſide Epigoni*, cujus Iſidis deſcriptio in fine hujus commentarii poſita eſt: Quod medicamentum ſine formidine membranæ cerebri nudo adhiberi poteſt: tenuiſſime tamen extenſum leniſſimo linteo vel ſindoni. Plures poſtea aſſerit fuiſſe ſervatos, opera hujus qui his ſiccantibus utebatur, quam aliorum, qui fortè contrarium curationis genus colebant. Ratio autem eſt, quod cum membrana ſicca ſit temperie, humidis non delectatur: ſed etiam nimius uſus ſiccantium formidine non vacat.

120. *Aggreſſus verò fuiſſem aliquando ipſe quoque experiri ejuſmodi curationis rationem, ſi perpetuo in Aſia manſiſſem. Sed, cùm Romæ plurimum agerem, civitatis morem ſum ſecutus, permiſſa iis, quos Chirurgos vocant, maxima ejuſmodi operum parte. Caeterùm ipſam rei naturam æſtimans,*

*talem*

*talem quandam determinationem, longa noſtra experientia confirmatam, concipio: Qui auditorius meatus dicitur, non ſolùm uſque ad cerebri duram membranam pertinet, ſed etiam nervum contingit, qui in ipſum à cerebro deſcendit; Is autem, quanquam ita poſitus in vicino, tamen vehementiſſima (ſicuti dictum eſt prius) medicamenta tolerat. Nyl igitur miri ſit, ſi, poſt forationes, craſſa cerebri membrana, antequam notabiliter phlegmone occupetur, valentiſſimis gaudeat medicamentis, ceu ſiccam naturaliter ſubſtantiam habens.*

Ait, ſe medicamenta, oppido ſiccantia, experientia non comprobaſſe, quod lubens feciſſet, ſi occaſio ſeſe illi obtuliſſet, poſtquam alios feliciter iis uti viderat. Veruntamen etſi hæc uſu non comprobaverit, per alios tamen experientia facta, ſic eſſe confirmet; dicendum, eſſe hanc fore rationem, nimirum, quod gaudeat ſiccis membrana, quæ temperie etiam ſicca eſt. Confirmat præterea, iterum poſſe hæc medicamenta conferre, ſumpto argumento ab aure ſeu meatu auditorio, qui cum ad duram membranam pertingat, & nervum contingat, à cerebro ſtatim exortum: (nempe à quinti paris majore propagine productum) tolerat tamen, imo & efflagitat, medicamenta vehementer ſiccantia, adeo ut mirandum non ſit, ſi dura membrana ab illis juvetur.

§. Abſolutus eſt hic Galeni diſcurſus de vulne-

vulnerum capitis curatione, in cujus initio pollicetur ſe ea, quæ Hippocrates dixit, enarraturum, & quæ ab illo eſſent indefinitè dicta, definiturum explicaturumque. Cæterum; quicunque judicio pollet, & artem callet, aliter ſentiet, eo quod longe clarior, fructuoſior & brevior (ſi curativam tantum partem ex Hippocratis commentariolo à cæteris ſejungamus) ſit Hippocrates, hoc præſertim tractatu, quàm Galenus ipſe. Aſt videor tantam bilem ſatis concitaſſe multis, quos precibus obſecro ut hoc meum conſilium æquo animo ferant: nempe, ut diſcant prius bene agere, quo de agendis integrum judicium inferre poſſint; rati, non ambagibus curari morbos.

*Celſus in præf. morbi non eloquentia, ſed remediis curantur.*

*Finis Commentarii ſeu Exercitationis.*

§. 14. Sed jam tempus inſtat ut de inſtrumentorum, ſuperius declaratorum, uſu, deque cætera curandorum Vulnerum Capitis ratione, agamus, auſpicati ab affectuum præſentis negotii diſtinctione.

§. 15. Calvaria & cerebrum, eiſdem generibus affectuum ſubiguntur quibus alia membra, nimirum contuſionibus, fracturis, ſciſſionibus, puncturis & fluxionibus; ad quas accedunt, tumores, nonnunquam & roſiones; quæ omnia majora minorave eſſe conſueverunt, pro ratione magnitudinis virium ipſius cauſæ: Nam graviorem contuſionem, & fracturam gravem, exiguus lapillus, aut aliud

genus ſubſtantiæ durioris, (imò quidem & mollioris) in cranio poteſt efficere, ſi multa vi fuerint impulſa, perinde atque globulus à baliſta, vel ſclopeto, vel aliis id genus inſtrumentis. Verùm neque hæc perpetuo magnum malum, ſeu contuſionem magnam, faciunt; vel quia delaſſata eorum vis eſt, ob diſtantiam impellentis, eo quod omnis violentus motus remittatur quo magis à motore recedit; vel, quia obliquo curſu illidunt, ut plerumque vidiſſe contigit ex ſclopetorum vulneribus: omitto nunc alias cauſas, nempe pulveris imbecillitatem, & loricarum oppoſitionem, & cætera hujuſmodi, quæ ſub mox enumeratis reduci poſſunt. Grave nanque vulnus, & fracturam gravem, intelligimus hîc, cum ea ad intimas uſque calvariæ partes accedit. Aſt quemadmodum à parvo telo exitiales fracturæ fieri poſſunt & ſolent, longe facilius ac etiam frequentius à magnis ac valentioribus, majores & formidoloſiores injuriæ fient; ut puta à majoribus globulis, lapide & percuſſione majori. Sed hæc dicta ſint univerſaliter, non modo de tundentibus, ſed de ſecantibus, pungentibus, & cæteris injuriam ferentibus, inter quæ enumerandi ſunt etiam caſus ſeu lapſus: Nihil enim intereſt, vel te cadente caput fregeris, vel quovis modo alio.

§. 46. Contuſiones igitur (nam de cranii injuriis nunc noſter eſt ſermo) aliæ cum fractura, aliæ citra fracturam ſunt; & harum aliæ cum cutis vulnere, aliæ etiam ſine hoc. Ubi verò contuſio, vel fractura, citra vulnus *Contuſio eſſe quotuplex?*

 ſunt,

*Quæſtio difficilis, an in fractura ſine vulnere, cutis ſemper ſit dividenda?*

ſunt, æquidem anceps Chirurgi opera eſſe debet: nempe, num cutem dividat & os retegat, vel diſſolutioni potius & exſiccationi, citra ſectionem, inſudet. Quæſtio ſanè hæc, quamvis ardua difficiliſque ſit, à multis tamen levis putabitur, & ex tempore ad ſectionem decernetur ob ſequentes cauſas: nimirum, quod putrefiant contuſa; quod ſanguis in loco contuſionis collectus, & extra ſua vaſa repoſitus, (ἐκχύμωμα Græcis dicitur) is etiam corrumpatur; quæ plerunque de proximo ſequuntur aliæ noxæ: Tacemus hîc dolores qui ab extenſione, & noxam quæ à contuſi oſſis compreſſione, ſolent concitari: præterimus etiam Hippocratis aliquem conſenſum, quæ omnia ſimul eandem ſententiam confirmant. Profecto rationes hæ ad rem maxime conducunt & vim non parvam habent. Cæterum non enerves ſunt quæ adverſam fovent (l) ſententiam: Nempe, quod illæ oſſium contuſiones atque fracturæ, magis periculoſæ, & curatu difficiliores ac diuturniores ſunt, quæ cum vulnere ſunt, quàm illæ (ſi ſint paria cætera) quæ ſine vulnere. Quamobrem peritiſſime ſapientiſſimeque locutus eſt Galenus *com. 3. de fracturis text. 43.* cum inquit, *Sciendum enim tibi eſt, omnia quæ ſub cute ſunt, cute admodum gaudere, nihilque quod ſubjectum ipſi eſt, eo denudari abſque detrimento poſſe. Sed quid mirum, ſi ea quæ proprium & cognatum ex cute tegumentum habent,*

*Rationes affirmantes.*

*Rationes pro Negativa.*

(l) Idem Septalius habet *l. 8. animadv. textu 109. & ſqq.*

(m) Ce-

*habent, eo ſemper delectantur, ab aliis verò omnibus malè & moleſte afficiuntur? Unde ego ſæpe, cum partes cutis minime præciderim, ſed quod detractum fuerat extrinſecus ſuperimpoſuerim, glutinari id animadverti, quodque magis mirandum eſt, cum ſtatim ex ictu nigrefactus locus eſſet.* Aſt dicet quiſpiam, Galenum hîc loqui de fracturis, quæ vulneratam jam cutem habent, à quibus neque cutis, neque caro, eximenda ſunt, cum & oſſa, & nervi, & tendines, & cæteræ partes aliæ, proprio ac naturali tegumento magis delectentur, quam alieno; quod fateor. Verùm ab iis etiam colligimus, cutem non ſemper eſſe aperiendam, ubi ea nil penitus diviſa eſt, ob Galeni adductas rationes, quibus tamen nec fiderem, nec eas ſanè efferrem, quamvis Galeni vel Hippocratis eſſent, niſi eas uſu quandoque confirmaverim. Has igitur Galeni mox adductas extollo, cum eas videam rem ipſam attingere, & negotium confirmare, quod plerunque experientia ipſa comprobat. Quod autem verum ſit quod poſtremo loco dicit ibi, *unde ego ſæpe, &c.* certe fateri non auſim, imò contrarium potius putarem: cum nunquam id experientia viderim, nec ulla ſatis potens ratio videatur ad id confirmandum. Cæterum, quod oſſa minus, vel nihil, à proprio tegumento nudata, citius ſaneſcant ferruminenturque, uſus frequentiſſimus approbat. Quis autem artifex triennium Chirurgiam aut medicinam factitavit, qui id experientia non cognoverit? quippe qui multas, vel aliquas fracturas ſine vulnere, non viderit, in quibus

multa fracta oſſis à trunco ſejuncta ſentiebantur, longe citius ac melius curati, quam exiguam oſſis contuſionem, vel fracturam cum vulnere, vel cutis laceratione? Nam in fractura ſine vulnere, oſſa ab aëre & pure non alterata, facile ferruminantur, ſi arte phlegmone prohiberi poſſit: in altera verò, firmi oſſis expoliationem expectare oportet, quæ quoque non fit niſi poſt menſes multos, præcipuè ſi dura magnaque ſint. In capite verò, quia tenuia ſunt, vix ſecundum menſem prætereunt citra naturalem deterſionem, ſeu expoliationem.

§. 17. Sed hic dicet aliquis, verum hoc eſſe, nimirum, quod oſſa fracta ſine vulnere citius curentur: ſed de cæteris oſſibus non conſtare. Idem ſane accidere oſſi capitis res ipſa indicat. Narrabo ego ſyncere quod vidi. Cum chirurgiam factitarem, puerum curavi annum agentem ſuæ ætatis plus minus ſeptimum, qui ex podio, altitudinis circiter pedum duodecim, conciderat in caput, ubi bregma, una cum frontis oſſis ſuprema parte, ſibi adeo confregerat, ut fragmenta oſſium inter ſeſe diviſa, manifeſtiſſime tactu perciperentur: cutis tamen nullo loco erat ſeparata ſeu vulnerata, quod in ſolum planum concidiſſet, nec pileus è capite deceſſiſſet. Puer hic agebat ſub tutela cujuſdam D. Ancillæ, quæ olim Aſtæ puellas inſtruebat acu pingere, divertebatque tunc temporis in foro Gardinenſi, in hoſpitio quod quondam dicebatur domus Placentiæ, in qua podium erat parte

*Cura mi-randa.*

interna

interna domus, & ſupra portam. Ad hujus igitur curam accitus, ubi tam grandem calvariæ confractionem percepi, totus animo confuſus conſtiti: puer autem loquebatur, animoque conſtabat dum appuli, (quamvis ſtatim à caſu exanimis, & ſine loquela, effectus eſſet, mox & evomuiſſet quæ in prandio ſumpſerat, & bilem ſimul) pulſu integro, ſed paulo frequentiore quam pro natura eſſe debuiſſet. Multa hercle animo mecum ipſe pervolvebam, interea dum medicamenta expectabam à pharmacopœo deferenda: nempe, num cutem dividerem, & oſſa evellerem, vel ſinerem: tandem potior ratio prævaluit. Non ſecui, ſed tantum caput totum obduxi medicamento confecto ex abundanti *bolo armena*, & *myrtillorum baccis contritis & exceptis duplo roſaceo*, & *una parte aceti*, & *altera albuminum ovorum*; quo genere medicamenti quatriduum ſum uſus: mox ad ſiccantia temperate, me converti: tandem, citra ſectionem, convaluit, & multos annos poſt ſalubriter vixit, quem etiam vivere puto; nominis ejus non memini, quod dudum ſit. Quæ autem ratio occurrerit, quæ ſectionem diſſuadere debuiſſet, (à qua perpauci abſtinuiſſent) hæc eſt, quod cum tam grandem oſſis ruinam obſervarem, putabam fore vanum aperire, niſi & oſſa ipſa freſa penitus abducerem, quod opus nullum Naturæ robur ferre potuiſſet: præterea, quod cerebrum concidiſſet, neque etiam id tutum ſervare ab aëris injuriis potuiſſemus, quod autumnali tempore eſſet, & eam domum urgeret

ret egeſtas: quanquam difficillimum fuiſſet à tali injuria ſervare etiam opulentiſſimum. Accedebat puerilis ætas, quæ tenellis oſſibus, & textura rara cum ſit, ferruminationem nobis faciliorem, & occurrentium humorum diſſolutionem, objiciebant: ad hæc, ſi aperiendum mihi foret, ſatius eſſe cunctari, quam eo tempore præſtare, quo animo conſtabat, & cæteris malis ſymptomatis vacabat, quo anſam tollerem criminandi operis: quod quidem opus præſtitiſſem poſt, ſi vel febris, vel grave aliquod aliud ſignum, invaluiſſet. Res hæc creditu difficilis eſt, non tamen omnibus artis peritis. Memini, dum medicinæ ſtudiis incumberem in celebribus Academiis Ticinenſi primum, mox Patavina, me hanc hiſtoriam narraſſe peritiſſimis Chirurgis ſimul & Medicis, D. Petro Martyri & Gabrieli *Falloppio*, quorum unus (uter fuerit certe non ſuccurrit) faſſus eſt, alias fracturas non multo abſimiles, curaſſe citra ſciſſionem cutis, & fœliciſſime proceſſiſſe. *Alias* ſanè vidi minores, & contuſiones etiam, in quibus cavitas, ſeu oſſis depreſſio, percipiebatur, quæ ad integrum ſtatum reducebantur ſine apertura. Hæc ſane argumenta ſatis valida eſſe videntur, ut primo poſſint reddere dubia, nimirum ea, quæ aperturam probant neceſſariam.

§. 18. Verùm objiciet hîc alius, num tuis credendum verbis? Neminem ſane cogo meis dictis fidere, ſi ratione ſint vacua, imo etiam & ſi rationem habeant comitem. Quod autem hiſtoria expoſita vera ſit, & alios curate

vide

viderim, nil (per hominum fidem) videri verius poteſt. Cæterum quod iis meis experimentis quiſquam fidere debeat, ut omnes ſic curari poſſe putem, id prorſus empiricum, & ab omni ratione alienum eſſet: cum nihil in medicina ſit ſtabile, unde ex re nata mutare conſilium & præſidia, operæ precium ſit.

§. 19. Sed præter hæc, ex Galeni ſcriptis item facile colligere poterimus, Aſclepiadem tales interdum fracturas curaſſe citra aperturam cutis, ut 2. *comp. med. per genera, c. 17.* ubi nigrum *Ariſton* quod optimum *catagmaticum* dicit, deſcribit. Inquit enim de iſto, *Hoc pharmaco uſus ſum in fracturis oſſium multorum, ita ut eorum plura moverentur & innatarent, hominesque adhortarentur ut, quæ innatabant, auferrentur. At hac Ariſte id effecit, quod præter omnium opinionem eſt viſum: trementia etenim oſſa, & quæ ab aliis erant ſeparata, illis copulavit, & callo firmavit. Hæc recipit. argenti ſpumæ, bituminis, ſingulorum denariorum pondo ducentorum, picis aridæ, ceræ, ſingulorum denarium pondo centum; reſinæ terebinthinæ, denarium pondo quinquaginta; aluminis ſciſſilis, propoleos, ſingulorum denarium pondo triginta; guttæ ammoniaci denarium pondo vigintiquatuor, æruginis denarium pondo decem; olei ſextarios quatuor.* Hanc compoſitionem ſcripſimus, quia ad ſequentem faciet. Patet ex iis, hanc fracturam fuiſſe curatam citra inciſionem, eo quod paulo infra, dum *Moſchionis Catagmaticum* deſcribit, ait, *benefacit etiam fracturis cum vulnere.* Hinc dicere poſſumus, illam fracturam citra vulnus fuiſſe. Sed argumentum valentius ac veriſſi-

veriſſimum eſt hoc, quod nemo vidit unquam glutinatum fruſtum oſſis, undequaque à ſano ſeparatum, ſi cutis diviſio facta eſſet ab oſſe ipſo, vel alio quovis modo, quæ ad oſſa ipſa fracta uſque pertingeret. Non aperire igitur quandoque utile erit, quandoque etiam inutile & lethale. Ducamus itaque hîc exordium, & ad cæteras ſubinde ſpecies ordine ſequamur.

*Contuſio fracturave ſine vulnere.* §. 30. Si igitur contuſio, ſeu fractura calvariæ, fuerit citra vulnus ullum externum, & nullo ſymptomate malo ſolicitetur æger; (eſto quod aliqua præceſſerint, quæ poſtea quieverint.) medicamentum noſtrum, ſupra commemoratum, conducet, non diſſecta cute. Quod ſi ecchymoma, ſeu ſugillatio, vel, ut clarius explicem, ſanguis eo in loco plurimus fluxerit, cutemque nigram ſanguine, ut in contuſionibus apparet, reddiderit, utile erit illico *ſcarificationibus cutaneis* eum evacuare; vel, ſi à principio non fueris, id præſtare poteris ſecundo, aut tertio, aut etiam quarto die, apposito poſt ſcarificationem *cataplaſmate ex farinis*; & ſi res bene ceſſerit, poſt triduum, vel quatriduum ad aliud, quale *nigrum Arillæ* paulo ante dictum; vel ad aliud ſimilis generis te conferre poteris, vel etiam, ſi lubeat, perſeverabis in primo, ex *bolo armenio*, ad ſeptimum uſque diem, præſertim ſi non ſcarificaveris: Nam repellit, concoquit & diſſolvit. Ab iis, *fotuum* uſus, leviter ſiccantium citra calorem, conducet: ut ex *decocto agrimoniæ, lapathi acuti, & betonicæ* ex ſpongia. A fotu, *Emplaſtrum diapalma*,

*palma*, vel antedictum catagmaticum, vel *cataplaſma ex farinis lupinorum, hordei, orobi & fabarum*, in ſapa & *lixivio* diu coctis, uſurpari poterit.

§. 21. Si vero accidentium aliquod malum ſuperveniat, vel exiſtens perſeveret, nulla excuſatio eſſe poteſt, quominus os retegas quantum ſatis eſſe videbitur, ut os perforare poſſis, vel de fracto aliquid educere, ſi res exigat. Ubi igitur os excoriaveris, & labra everteris, & os à telo obtuſo, ſeu ſphærico, depreſſum repereris, membranam ſubſtratam cogens; tentandum eſt idem attollere, *instrumento ſpira* (m) *tripede*, cujus uſus talis eſt; Terebra fabrili vel clavo qui in medio modioli demittitur paratur foramen exiguum ſive anguſtum; non profundius quam prima lamina calvariæ denſa eſt, in quod cuſpis ſpiræ immittitur, ac vertitur tranſverſo manubrio ut inſeratur tenaciter; mox tripes æqualiter accommodatur, ut firmius conſiſtat, & ſuo annulo cingitur, quo, verſo ductili ac ſpirali annulo, cujus beneficio infixa ſpira ſurſum una cum oſſe trahit, non titubet: quod ubi traxeris, & loco repoſueris, curandum vulnus eſt, ut ſuperius declaravimus, ubi detegendi oſſis modum oſtendimus. Interdum os ipſum depoſitum, hac dicta ſpira trahi non poteſt, quod ſit fir- [illegible] mum

*Curatio oſſis depreſſi.*

*Spira tripes quo modo in uſum ducenda?*

(m) Celebertimus Hildanus *Cent. 2. obſ. 4.* uſum hujus inſtrumenti (cujus delineationem & utendi rationem Vide apud Cl. Pavium *l. de Vuln. cap. p. 96.* & Scultetum *Tab. 3. fig. 3.*) improbat validis rationibus: & in ipſius locum alia ſubſtituit Elevatoria. Noſtrates Chirurgi nunquam hac Tripede uti ſolent.

mum nimis: quandoque tantum ſuprema lamina trahitur, inferiore manente adhuc depreſſa.

*Os perforandi ratio.* §. 22. Nonnunquam etiam, etſi recte repoſitum ſit, non ceſſant tamen noxia accidentia, nempe febris, vel ſopor, vel quorundam nervorum trepidatio, vel aliquod aliud ſuperius enumeratorum, ad quæ animum intentum habere licet, quæ oſſis pertuſionem adhortantur. Itaque, ſi os ipſum adhuc depreſſum maneat, & latum ſit admodum, nec trepidans, ſed firmum, in media parte ſui, quà maxime hærebit membranæ, modiolo latiore perforabis; vel minore, prout neceſſarium videbitur: *Modioli habendi plures.* nam ex iis plures in promptu habere par eſt, nempe latiores & anguſtiores: latior ſat fuerit, ſi orbem oſſis deducere poſſit quantus eſt argenteus ſolidus regius; anguſtiſſimus verò, quantus eſt parvi digiti unguis. Aſt, ſi depreſſio exigua ſit, vel fere nulla videatur, accidentia tamen moleſta adſint, *Terebra raſoria.* ſat fuerit *terebra raſoria* foramen exiguum in cranio efficere, puta quantus eſt latus orobi. Si verò (ut quandoque contingit) pars oſſis inferior, vel aliud quippiam appareat, (puta coactus ſanguis) quæ latius oſculum exigant, *modiolo* aperiendum erit. Et quia modiolus eodem in loco accommodari non poterit, niſi clavus in medio poſitus habeat quo *Modus retinendi modioli, ubi deeſt os.* inſiſtat; oportet cavitatem factam adæquare orbiculo ligneo, vel plumbeo, ad amuſſim concinnato, in cujus medio ſit jam factum foraminulum, ad recipiendum clavum modioli; & rem ſic peragere.

§. 23. Si

§. 23. Si os depreſſum fractum fuerit, & à ſano prorſus ſeparatum, & cute expoliatum, curabis id *vulſellis* educere, ſi citra vim id poſſis efficere. Quod ſi internis membranis hæreat, vel ad commiſſuras, vel aliis locis per venulas, quæ in oſſe ex membrana cerebri infiguntur, non ſtatim hæc vi refigere opus eſt: memores præſtantiſſimi Hippocratici præcepti, dicentis, *Neque periclitari oſſa auferre conando, priuſquam ſponte ſua emergant*. Et hoc duplici ratione, cum ut refigentes ea viribus, laceremus aliquid membranarum; tum ut evellentes ea ſtatim, partis detectæ natura non æque gaudeat alio tegumento (ut ex Galeno paulo ante audiviſti) atque ſuo proprio, licet id ſit deciſurum. Aſt ſi hæc membranam premant, niſi commiſſuræ ſint, evellere ſatius eſt; ſi commiſſuræ ipſæ depreſſæ fuerint, tentandum eſt omni ingenio *vectibus* eas erigere. Et ſi os firmum, (quod plerumque apparet) externis partibus ſit anguſtis oris, & fractum introque pulſum ſit latius, quod educi vel attolli non poſſit, oræ ſani oſſis, qua parte magis prominent, & tenuiores ſeſe offerunt, mutilandæ *forcipibus ſcindentibus*, vel ſimili alio inſtrumento demendæ veniunt, ut defixum os erigi vel extrahi libere poſſit.

*Oſſis depreſſi ac fracti eductio.*

*Num. 25.*

*P. 722.*

*Vectes.*

§. 24. Si calvariæ injuria à pungenti telo fuerit illata, ut quæ ad internas uſque partes tendere credatur, ſtatim hic *modiolus* accommodandus eſt, modioli clavo in teli ſede poſito. Quod ſi teli ſedes latior ſit quam clavus modioli firmari poſſit, ſedes ea plumbo vel

*Punctura in oſſe.*

buxo,

buxo, ut jam diximus, eſt æquanda: Plumbum hic præferimus, cum materia ſit quæ celerrimè cultro (ne quiſquam putet liquidum eſſe infundendum) aptatur, vel buxum quod inter ligna denſum & firmum eſt. Sed hoc deficiente, quodvis aliud lignum ſolidum ſatisfaciet: non enim hæc ab aliis ſcripta reperies: Verum res eſt quæ quandoque nobis fuit triſti; & quæ multis parvo ingenio Chirurgis negotium moleſtum objicit: ut puta, ubi os perfoderis parvo modiolo, & quidquam reperias quod majus oſculum, eodem in loco, eodemque centro, efflagitet, quomodo firmabis majorem modiolum ut oſſis orbem ſeces capaciorem? Certè non alio modo quàm hoc, vel quàm ſimillimo aliquo alio, puta orbiculis argenteis vel ferreis. Sed dictas materias accommodatiores reperies, promptioreſque quocunque in loco.

*Si depreſſum os longum.* §. 11. Si verò os depreſſum longum ſit, quod accidit à vulnere inflicto obtuſo gladio, vel haſtili telo, halabarda dicto, vel alio quopiam ſimili; & oſſi ſano utrinque fortiter hæreat, *ſerrula* ſecare commode poteris. Sit igitur os eximendum longitudinis & latitudinis; (*ut in figura inferius ſpectanda*) per longitudinem utraque parte *ſerrula* ſeparabis: ad capita

*Serrula.* verò coelis cycliſcis, vel potius planis, malleo adactis. Nam cum exiguum ſit ſpatium, parva etiam concuſſio fiet: Vel coelorum loco, modiolo uti poteris, & hic modus præſtantior eſt. Non aliter facies ſi lubeat, ubi os æque latum ac longum fuerit, nempe ad angulos appli-

cito

cito *modiolo*, & interpoſitis ſpatiis *ferra ſectis*. Hæc verò Galenus mandabat cœlo cycliſco dividere, ſed is noxam fert concuſſione prænimia. Aſt perquam belle idem os demere poteris ſolis modioli operibus, *quemadmodum figura oſtendunt inferius*. Hic enim modus ſatis facilis eſt ac tutus, à fratre meo, & à me, non raro fœlici experientia comprobatus, ſic ut ſuperſtites adhuc vivant aliquot, tali auxilio & opera noſtra, adjuti: inter quos Caſtagnedus Hiſpanus miles quinquagenarius, bellico malleo aut (ſi mavis) bellica clava percuſſus, modioli opera repetita liberatus eſt. Item à calvaria infantis bimi, magno lapide percuſſi, triplici perforatione, quantum oſſis eximendum erat, eduximus, & valuit: molitoris erat filius, qui divertebat in ſuburbio divæ Mariæ novæ, & caſu à Germano milite vulneratus. Vixit, ac etiam vivit Chriſtophorus Calcearius, quem adjuvimus, quinquies repetito modiolo, ut defixum os eximeretur: ætatis erat annorum circiter viginti: in bregmate vulneratus halabarda, (ut ajunt) habitabatque eo tempore in ſuburbio divi Pauli. Alios ſanè, præter hos, in medium ducere poſſemus, niſi hæc ſufficere putaremus exempli cauſa. Quod autem de vulnere in longum facto diximus, idem intellige poſſe præſtari: ſi id latius fuerit quam unica opera modioli auferri poſſit, puta hoc modo: verum hanc oſſis quantitatem commodius eximere poteris latioris modioli ſi is exter, unica opera, vel gemina, ſi longius latiuſque eximendum os ſit, qualiter *inferius*

*Curationes aliquot fœlices.*

*inferius* conſpicies. Quare ex modiolis, ut antea aliàs diximus, licebit plures habere, cum majores tum minores; cum inſtrumenta ſint, quæ omni in loco comparari non poſſint, & interdum (imo quidem ſæpe,) hominem à periculo liberare valeant. Poſſet & hæc eadem oſſis quantitas, terebris & cælis cycliſcis, ut antea declaravi, ſeu cælis planis more Celſi & Galeni, vel ſerris, more noſtro, auferri; verum modiolus id præſtat facilius & etiam tutius.

*Fractura ſimplex & ultra ſecundam laminam utraſtanda.* §. 26. Si ſimplex fractura ſit, quæ ad ſecundam tantum laminam pertingat, & os rectum ſit (ſimplicem fracturam intelligimus, more Galeni, ſcindente ſcilicet telo, citra contuſionem, factam;) *ſcalpris* radere poteris, *mediis* primo, mox *anguſtis*. Ubi verò ſciſſuram ultro ferri videas, more Hippocratis *atramento appoſito*, *radendo* perſequere, uſque dum omnem atramenti labem exemeris, etiam ſi ad internam uſque faciem tendat: quæ ſi eo uſque pervenerit, attenuatam jam vitream per *raſorios ſcalpros*, *lenticulato gladiolo* (ſi introduci valeat) quoad poteris, amputa; vel *vecti* rumpe, mox lenticulato complana: nam in ſimili ratione vitrea ad utramque partem fiſſuræ tenuiſſima fit, quæ facile vecti rumpitur, vel lenticulato ſcinditur. *Lenticulatus* autem *gladiolus* adhibetur, ut iterum repetam, non ad amputandum denſum os, ſed tenuiſſimum, & aſperitates orarum (præſertim internarum) de dolandas: quo & acuties, à repetitis modioli operibus, obtunduntur, vel aſperitates, à qua-

*Vectis.*

*Lenticulatus gladiolus.*

à quavis fractura vel perforatione relictus, adimuntur.

§. 27. Evenit interdum, ut tela fixa in oſſe maneant, ut ſagittæ ferrum, vel globulus ſclopeti, quæ ſtatim non ſolum ea ipſa ſunt auferenda, ſed eorum ſedes modiolo educenda, quo contuſum vel depreſſum totum auferas. Sed præter rem non erit curationem à me factam exponere. Poſtridie à conflictu, vel potius clade, Cereſolenſi, (quo tempore Chirurgiam exercebam) Hiſpanus miles ad me confugit, qui in dextro bregmate plumbeam glandem infixam habebat; cui actutum manus adhibui, &, quantum oportebat, cranium nudavi, glandemque protinus *corvino roſtro* refigere laboravi: Hanc tamen adeo tenaciter os mordebat, ut potius in fruſta divelleretur, quam integra poſſet educi. Quare ſtatim *modiolo* antiquorum (nondum eo tempore ſtriatum meum excogitaveram) operam ſum aggreſſus: Sic globulum modiolo latiore cinxi, quem eduxi una cum cyclo tenui calvariæ, cui infixus erat: poſtea depreſſum os extraxi, quod cerebrum premebat: continuo poſt membranæ, quæ coacto ſanguine erat cooperta, ſuperpoſui *roſaceum mel*, admixto *triplo roſacei olei*, & ſic proceſſi, uſque dum ſanguis ſuppurari ſejungique cœpit, biduum nempe, quo tempore medicamentum vice verſa compoſui, nimirum *triplum mellis* imponebam: poſtea *ſolo melle* curavi ad dies aliquot: cui poſtremo addidi *hordeaceam farinam* & *ireidem*: quo pharmaco ad cicatricem uſque perduximus.

*Cura notabilis de glande oſſi infixa.*

pus. Ab initio phlebotomatus purgatuſque fuit; ſic fauſto Numine in ſanitatem reſtitutus eſt.

§. 28. Quandoque verò glans oblique collidit, & cranium tantum radit, quorum aliquot, citra oſſis artificialem raſionem, nec perforationem, curavimus, ac curare fecimus: alios, raſoriis ſcalpris, ad membranam uſque ſcalpimus; nonnullos alios, modiolo recta ad teli ſedem aperuimus, & ſæpius quidem fœlici ſucceſſu, ex quibus aliquot *alios* ſuperſtites nominare poſſemus. Aliquos etiam ſola illiſione leviſſima à globulo facta, cum in fronte, tum in aliis partibus capitis, præ negligentia tam patientium quam artificum, interiiſſe vidimus: quibus omnibus, recta ad os ictum pus collectum reperiebatur ſub membranis.

§. 29. Verùm non modo ex iis obiiſſe *diem* vidimus, qui à glande ſclopeti leviter erant vulnerati, & citra omnem oſſis fracturam, ſed alios etiam multos, qui ab aliis telis erant affecti, lapidibus nempe, fuſtibus, caſu, vel illiſione alia levi. *Juvabit* exemplar, nuper eventum, introducere. Adoleſcens annos egerat plus minus ſeptemdecim, cum in ſiniſtro bregmate, parvo lapillo, à puerulo alio ſecum ludente, vulnus recepit. Hic cuidam Chirurgo ſe ſtatim concredidit, qui ineptiſſima gravique manu, ac aſperis linteis, ſic crudeliter vulnus exiguum, ac tantum cutaneum, tractabat, ut id indies magis recrudeſceret, & carnem ſanam conſumeret. Puer autem in

*Cura perperam facta.*

reliquis

reliquis omnibus ſe benegerebat, negotiabatur, & (ut ſui moris erat) hero ſuo inſerviebat. Vidi ego hunc, dicti vulnerarii manibus ſubmiſſum, cum vulnus recens eſſet; quem, tam impie artem exercentem, amice monebam: reſpondebat is nebulo ſtatim, Chirurgum oportere eſſe crudelem, non pium. Hunc reviſere deſtiti, quòd morbus exiguus eſſet. Circiter decimumoctavum diem ab accepto vulnere, ad me ſe contulit patiens, ut luſtrarem quomodo ſe res gereret; huic cutis circumquaque ad cranium uſque ſinuoſa erat, & ſinu quidem vaſto, in quo pus multum colligebatur, ex carne ipſa colliqueſcente, & humore, qui eo ferebatur, putreſcente: quod pus tantum exire poterat dum manu premebatur. Hoc ipſe videns, cavitatem hanc ad inferiorem partem aperiendam eſſe monui, quo putredo, & calor ipſe extraneus, cerebrum ſuppoſitum non afficeret. Id ſe facturum pollicitus eſt vulnerarius: Nullam enim eo tempore ſedem habebamus permanentem, ſed ſimul cum Regio exercitu omnes ultro citroque ferebamur, quod mihi facultatem adimebat viſendi eum frequentius. Circiter diem quartum & vigeſimum accitus, ad illum me contuli. Febriebat hic jam à quatriduo (ut aſtantes retulerant) febre aſſidua, graviter oculos aperiebat, ſoporoſus, oculis tumidis, & viribus propemodum dejectis; urinæ ſanæ, ex quibus tamen (ut fuſius aliàs dicemus) nullum ſignum ſumere poſſumus bonum iis in affectibus. Sinus autem adhuc integer erat fœtido-

que pure. refertus, quòd ignavus ille (neſcio quidem num præ arrogantia, vel formidine potius) nil eorum, quæ juſſeram, præſtitiſſet. Hæc omnia cum viderem, non dubitavi cerebrum affectionem jam conflaſſe ex vicina putredine: unde illico cutis & oſſis perforationem adeundam eſſe perſuadebam, putans ſatius eſſe anceps auxilium experiri, quam ægrum morti prorſus decernere. Aſt ſtupidus ille, cum audiſſet os perforandum eſſe; Niſi febris eſſet, (inquit) vulnus facile curam ſuſciperet: vigeſimaſexta expiravit. Juſſi poſtea cadaveris calvariam aperiri. Annuit hilari animo vulnerarius, fretus mortem contigiſſe febris injuria, non capitis affectu, cum ſciret in principio os à vulnere ne minimum quidem fuiſſe offenſum: Quo facto, os quidem integrum, omniſque injuriæ expers reperit. Invenit tamen non parvam puris copiam, inter cranium & membranam; quam ex ſupernis partibus ſtillaſſe non poterat non cenſere: Vidit & cerebrum totum ea parte liquatum, & in pus verſum: quod nullam aliam ob cauſam factum fuiſſe putare debebat, quam cervicoſa lethalique ſua ignavia. Hoc more præcipites ægros dant, qui craſſa quadam & fallaci experientia artem medicam & vulnerariam exercent: quod utique non contingeret, ſi ii in Galeni Hippocratiſque libris inſudarent, aut ſaltem artis peritis parérent, ac inſervirent, quoad artem utcunque didiciſſent. Quod tamen ſemper facere abhorruit audax ac tumultuaria audentium turba. Non nobis

*Monimentum.*

deſun

deſunt alia multa ſimilia exempla: ſed hoc ſufficiat, cum ut crimen in memoriam revocent ii, qui proprii delicti ſunt conſcii; tum ut juvenes ad artem diſcendam concitet, moneatque, præſtantius eſſe ſibi famam alieno conſilio comparare, & ægris utile obſequium præſtare, quàm ſtupido ſuo phantaſmate, utriuſque jacturam facere. Non juviſſet quidem hîc os perfodere ad vigeſimumquartum, quod nimia jam corruptela eſſet labefactatum; ſed profuiſſet (credo) ſi vigeſimo, vel illico ab ineunte febre, vel aliquo aliorum ſymptomatum ſuperiùs enumeratorum, fuiſſet præſtitum: quod ſcite ab Hippocrate ſignificatum eſt, dum dixit, *Quapropter ubi intellexeris febrem invadere hominem, & ex aliis ſignis aliquot ipſi accidere, non cunctari oportet, ſed os uſque ad membranam perforare, aut ſcalpro deradere.* L.cit. num. 28.

§. 30. Non certè indignus eſt textus hic aliquo diſcurſu, nec etiam prætereundus citra diſtinctionem. Vidimus hercle ſanitati reſtitutos aliquot, capite vulneratos cum oſſis læſione, quos febris præhenderat, quibus os fodere non paſſi ſumus. Non enim omnis febris perſuadet oſſis foſſionem, ſed ea tantum quæ à vulnere concitata eſt. Aſt unam ab altera poſſe diſtinguere, hoc opus hic labor eſt. Quæ autem à vulnere fit, etſi plerunque tertio quoque die acceſſiones habeat majores, (quod eſt commune cum reliquis omnibus febribus bilioſis,) tamen hæc habet quaſi ſpecifica; nempe, horrores incertos, tum duratione, tum magnitudine, tum adventu, qui diebus

*Quando perforare os conveniat, & quid perforationem impediat?*

*Qua febris indicet oſſis foſſionem?*

*Febris ex vulnere ut cognoſci queat?*

vulneri decretoriis vehementius frequentiuſque repetunt; adde, quod iis & febris ipſa eveniat in die decretorio: ſudores etiam irrumpunt incerti, & citra levamen. Sed adhuc hoc habet ſpecialius, ut raro urinas tingat, ſed ſanæ belleque coctæ hæ apparent, colore integerrimo, ſeu, pro patientis conſuetudine: addamus alia nonnulla quæ ſequuntur, videlicet nervorum aliquas trepidationes, præcipue juxta carpum; ſomnolentiam; oculorum gravitatem; difficilem viſionem luminis, vel alia ex ſuperius enumeratis. Et hæc ſunt quæ Hippocrates dicit *& ex aliis ſignis, &c.* Quare dicendum non eſt, febris adeſt; ergo forandum: vel, non adeſt, ergo non forandum: ſed febris eſt ex vulnere producta, ergo foranda eſt calvaria: vel etiam, quamvis febris non adſit, ſed aliquod aliorum potentium ſymptomatum, ea foranda, modo vires conſtent, ne opus adeas die obitus; unde auxilium citra rem infamia polluas. Quanto igitur maturius fiet, tanto ſanè melius, quod etiam ab Hippocrate prætermiſſum non eſt, dum dixit, *num.* 21. *Poſtquam autem os ſcalpro raſeris, ſiquidem ad perforationem tendere oſſis ſauciatio videatur, perforare oportet, & citra perforationem triduum non excedere.* Aſt contingit interdum, ut anceps animi ſit artifex, cum nullum videat accidens potens, quod id opus perſuadeat, præſertim quod facile id incutere calumniam poſſit, ſi eo tempore ineatur, & poſtea gravius habeat. Contingit etiam, ut tardius quandoque accerſaris: non tamen, etſi

*Cur interdùm differatur perforatio?*

etſi tertius dies præterierit, derelinquendum eſt opus, (ſi obire id fas ſit;) quod etiam ab Hippocrate omiſſum non eſt, dicente, *num.* 29. *At ſi non ab initio curationem aſſumpſeris, ſed ex alio traditam ſuſceperis, ita ut poſterior tarde ad curationem devenias, terebello exſculpto ſtatim os ad membranam perforare ac exſcindere oportet.* Oſtendunt autem hæc, non omittendum auxilium, etiam ſi ſerum: nam ſæpe beneficio auxilii ancipitis, & tardi crediti præſidii ſuffragio, optatis potimur, ut mox de agreſti muliere narrabimus. Dicamus igitur, ſive in principio, ſive diebus ſequentibus, vitium cerebri ſenſu, vel per ſymptomata, manifeſtetur, & vires ferant, os eſſe retegendum perforandumque. *Concluſio.*

§. 31. Sed adhuc hoc non eſt tacendum monumentum, in quo quandoque præcipitare ignaros vidimus: nempe, *in cutis ſectione*, ubi oſſis fractura magna eſt, in qua oſſium fragmenta prorſus mobilia, & inter ſe ſejuncta, ſunt: quod frequenter accidit iis, qui à magnorum lignorum, aliorumve telorum, percuſſione, vel caſu violento, vulnerantur, & in bregmate potiſſimum, & in adoleſcenti maxime. In aperienda hîc, inquam, cute, nimis ponderoſa manus novaculam adigit in cerebrum, per fragmentorum hiatus: quare ſumma animi attentione hîc agendum eſt. *Monumen. Chirurgicum in cutis apertione.*

§. 32. Aperta igitur, ut decet, cute, & oſſe retecto, *fragmenta educes*: quæ facile prodeunt, nulla vi præſtita circa commiſſuras, quas *Quid aperta cute faciendum?*

 etiam

etiam cavere oportet in uſu modiolorum & ſcalprorum. Vitatis inſuper latioribus ſectionibus juxta tempora, quà jugulares venæ, & arteriæ externæ, pertranſeunt: nam horum ſectio timoroſa eſt, & ab Hippocrate etiam memorata. Difficilis eſt etiam ſectio magna juxta aures, & maxime formidabilis in imo occipite, propter magnorum tendinum ad cervicem ſectiones. Timendæ etiam ſunt tractiones fruſtulorum oſſis, (dico etiam extra ipſas commiſſuras) ob parvas ac multas *venulas*, quæ à dura meninge in calvariam inſeruntur, quas natura poſtmodum ab ipſo oſſe, quod prorſus à ſano eſt ſejunctum, ſeparat. Et hoc maxime obſervandum in maximis ampliſve fracturis, cum ob cauſam nunc dictam, tum ob aliam etiam ſuperius memoratam, & à Galeno confirmatam; nimirum, ne cita *mutatione* tegumenti cerebrum ægrotet. Quare, quæ fortiter adhuc hærent, hoc loco educenda non ſunt; ſed attollenda, ſi ſint depreſſa. In iis fracturis magnis nulla eſt opus foratione, neque in aliis, à quibus ſanguis libere, ex fracto oſſe, exire poteſt. Nam potior ratio, quæ forandum os indicat, eſt, quo cerebrum ſpiraculum habeat liberum ad excernendum id, quod neque per commiſſuras, neque per alia emiſſaria naturalia excernere poſſet. Foramus etiam interdum, (ut alias dictum eſt) ut depreſſum os eruamus.

*Oſſu foratio à quo potiſſime indicetur.*

§. 33. Cæterum dum radimus, vel cælis ſcalpimus, vel lenticulato complanamus, vel vitream hoc eodem dilatamus, vel terebris,

vel modiolis negotium præſtamus, *obturandæ aures* ſunt *goſſipio*, vel lino, vel alia re ſimili, caputque ipſum ambabus manibus, ab homine aliquo ad hoc munus apto, firmandum, ne hoc titubet, nec ſtrepitus ab ægro percipiatur: cavenda interea frigoris, etiam & interdum caloris, injuria. *Dum cranium foditur aures obturandæ.*

§. 34. In modiolorum uſu ſumma adhibenda eſt diligentia, etiam ſi opus fiat ex eo, qui noſtræ inventionis eſt, qui omnium eſt tutiſſimus: nempe, ut non fores ſuper commiſſuras, ſed utrinque, ſi læſio ſuper illis fuerit; *Læſio in commiſſura, periculoſa.* &, quocunque in loco foraveris, ſæpius modiolus ſuſtollendus eſt, & aqua lavandus, cum ut refrigeres, tum ut ſcobem leves: præterea, ſpecillo, ſeu potius *tenui* vecti recurvo, explorandus circus eſt; nam ſæpe una parte os totum deciſum erit, ſecunda tabula, altera parte, ferme tota integra perſiſtente: quod duplici ratione fieri poteſt, una ob artificis cauſam, quo forſitan modiolum ad perpendiculum non continet; altera, quia cranii partes non omnes æquali ſunt craſſitudine. Hoc autem præceptum, licet ab Hippocrate ſit inſtitutum, & per ſe etiam omnibus debeat eſſe notum, non ad amuſſim tamen obſervatur: ex quo fit, ut hoc loco plerique peccent. Ubi igitur os aliqua ex parte prorſus diviſum eſt, & cætero circuitu adeo attenuatum, ut vecti rumpi poſſit, modiolus deponendus eſt: &, ſi ſanguis aliquis ab internis exierit, antequam oſſis orbem abſtuleris, (quod perſæpe fit) non ab re fuerit id ipſum os ad aliquot *Monumen.* *L. cit. num. 29.*

*Ibid.* dies permittere. Quod conſilium Hippocratis eſt, dicentis, *Nam in oſſe perforato, & à perforatione relicto, nihil mali accidere poterit, tenue enim jam id, quod reſtat, fit.* Ratio autem hæc eſt, ne patiatur cerebrum à novo, à ſuaque natura alieno tegumento; (ut alias dictum eſt) ſic ut tutius ſit paulatim ab uno extremo ad aliud proficiſci, præſertim ubi jam ex perforatione ſanguis aliquis exierit, quo fortè non parum cerebrum levabitur, niſi ipſe emanaverit ex ſauciata ab artifice membrana. Attentiſſimo animo tale opus agendum eſt in tenella ætate, ob tenuitatem & teneritatem cranii.

*Cura membrana adhibenda.* §. 35. Itaque ſi oſſis fragmenta abſtuleris, vel arte ſecta dempſeris, & aſperitates omnes recte lenticulato lævigaveris, membranam retectam *ſindone rubro*, vel albo, vel cæruleo, vel etiam nigro, vel tenuiſſimo linteo, obtege: marginibus dicti lintei vel ſindonis ſubſtratis omnibus oris diviſi oſſis, quo cerebri membrana, quæ in perpetuo motu eſt, non divellatur. Intromittitur perfacile ſpecillo recurvo, & non quidem capitato, ſed plano potius ac tenui, non acuminato, ſed obtuſo, inſtar ſummitatis folii roriſmarini coronarii. *Dod. l. 9. c. 4.* Tela igitur ad id operis concinnata, pro ratione mutilati oſſis, ſive ea lintea ſit, ſive ſerica tenuiſſima, imbuenda eſt *melle roſato*, cui *triplum olei roſacei*, vel duplum, ſit admixtum. Idque ſi membrana ſaucia non fuerit: nam tunc olei loco *terebinthina* electa, quam *Venetam* in Gallia appellant, vel terebinthus eſt imponendus primis diebus, ſine alterius rei addi-

additione; poſt addito *melle roſaceo*, cum aliquid coctionis præ ſe ferre vulnus videbitur. Si verò ſanguis coactus ac niger hæreat, qui vulſellis eximi citra noxam non poſſit, *terebinthinam*, *mel*, & *oleum pari pondere* uſurpa, momento *croci* addito, puta *gr.* IV. pro *uncia* dictæ miſcellæ. Sanguine hoc ſoluto, *melle & terebinthina æqua portione* utere, demptis croco & oleo. Quandoque aliquid *aquæ vitæ* in ſimilibus uſurpavimus, vel *terebinthinam in aqua vitæ* ter *lotam* & fœlici ſucceſſu. Quod alii ſiccioribus iis utantur, ut Galenus meminit de Megete Sidonio, non inficior: Verum novi, naturam potius & hîc & ubique gaudere temperatis, quam vehementi aliqua facultate præditis: dico enim, ubi ea aliqua intemperie, vel vitiata carne, vel pure non ſit preſſa, quæ etiam valentiora exigunt præſidia, ut leve *Ægyptiacum*, *præcipitatum* & ſimilia. Perinde atque fœliciſſimo exitu vidi in agreſti quadam muliere quadragenaria, lapide in ſiniſtro bregmate percuſſa. Hanc villicus tonſor tractavit uſque ad diem nonum, quo tempore de ejus ſalute prorſus deſperabatur: ad quam accerſitus Secundus Botallus frater meus, in arte Chirurgica exercitatiſſimus, (nam tunc eo manuductore Chirurgiam & ipſe faciebam) & edoctus cuncta per aſtantes & patientem, illico cutem, quæ parvo tantum vulnere affecta erat, ad decuſſis formam dividit, ab oſſe diſſolvit, ac evertit, poſtridie modiolo perforat. Os quidem integrum erat: cæterum cerebrum immobile eo loco offendimus, nigrum *Curatio fœlix.*

ac durum, quaſi cruſta in carne facta videretur, unde de ejus ſalute non parum diffidere cœpimus. Verum hîc non perterritus frater meus, *melli roſaceo duplum Ægyptiaci* dicti medicamenti addidit, & ex hoc in emiſſario parum indidit, ſerico membranam texit, & cavum os goſſipio implevit, reliquum curavit ut vulnera ſimplicia. Eodemmet die ſanguinem è brachio eduxit: poſtero purgavit: res in melius cedere viſa eſt. In eodem medicamenti genere perſeveratum eſt ad *triduum*, quo pus ſatis laudabile ſeſe obtulit: hinc ſolo *melle roſaceo* curari membrana cœpit; huic aliquot dies poſt *iridis rad.* & *hordei pollen* additum eſt, ut ſiccaret utcunque magis: ſic ad finem uſque optatum res pervenit: unde majore ſum admiratione affectus, quam ex aliis aliquot, quibus à principio meninx ſauciata erat. Habitabat hæc, dum ægrotaret, in ſuburbiis divæ Mariæ Novæ, ad porticos Camirani: Vulnus receperat in agro, juxta ſacellum ſanctæ crucis.

§. 36. Quum igitur ipſa membrana ſana fuerit, ad validiſſima medicamenta recurrere fas non eſt: quæ tamen ſpernere non oportet, ubi res ipſa requirit, & non quidem ut exſicces, ſed ut detergas, corruptumque aliquid factum à ſano ſegreges. Nam in vulneribus ſimilibus, dum lata ſervantur, pus vel ichor colligi non conſuevit; cum carptis linteis, vel goſſipio, ſoleant referciri, quæ ſatis (niſi quandoque nimium) vulnus ipſum, ſupervacua humiditate liberant. *Syrupus* etiam *roſaceus*,

cum

cum ex infuſionibus, tum ex *ſiccis roſis* peroptime membranæ accommodari ſolet, cui (ſi aliqua corruptela adſit) tantillum *præcipitati* vel *ægyptiaci* miſcere poteris. Convenientiſſimus eſt uſus *ſyrupi roſati* æſtivo præcipuè tempore, vel ſolius, vel *terebinthina* addita, vel *ol. roſaceo*, ſi diſciſſa vel lacera membrana non ſit, nam tunc oleoſa vitanda ſunt.

§. 37. Interea ſimilia vulnera, dico quæcunque aliquo oſſe ad membranam uſque ſunt mutilata, bis quoque die curanda ſunt æſtivo tempore, hyberno verò ſemel ſat fuerit. Animadvertendumque eſt, ne nimia everſione labiorum aſſiduus aliquis dolor oriatur, unde fiat fluxio: etenim ſic facile inflammatio ob talem cauſam concitabitur, perinde atque, ex ligaturis noxiis, aliis in membris. Aſt ubi membrana detecta eſt, adeo ut putes, quicquid evenerit, non opus eſſe majore oſſis apertura, ſtatim labia everſa paulatim relaxa: nec curioſus ſis nimium circa raſionem alterius oſſis circumpoſiti; nam hoc natura tutius ac melius deterget, quam tu facias ſcalpris.

§. 38. Laborandum eſt igitur, quanto celerius poteris, os ipſum carne tegere, præcipue, cum omnia belle ſe gerere indicant. Sed nihil æque tam cito carnem pullulare facit, cum ab ipſa membrana cerebri, tum ab ipſomet oſſe, quam depoſitio everſorum labiorum, ea cura adhibita, quæ vulneribus cruentis debetur. Impoſito (poſt *ſindonem*) *pulvinulo ex concerptis linteis*, vel ex goſſipio, loco avulſi oſſis; quo cerebrum non eo promineat, ſi ea parte caput incli- *Oſſis detecti incarnatio.*

inclinetur; reliquo deinde vulnere obducto *pulvinulis, terebinthina* reſperſis, vel cui ſit additum *luteum ovi*, cum tantillo *croco*: poſtea, appetente coctione, *melle* vel *ſyrupo roſaceo* loco vitelli addito, vel etiam *farina hordeacea*, ut ſupra dictum eſt. Vulnere ſubinde tecto, præſtantiſſimo, & laude quidem digno *baſilico ung. capitali Joan. de Vigo*, qui in arte Chirurgica vir fuit diligentiſſimus, vel *emplaſtro de betonica*, vel *barbaro*. Emplaſtri verò de betonica formam, vel etiam baſilici dicti, licebit conflare ex *lib. Joannis de Vigo, part. 1. l. 3. tr. 1. c. 4. chirurgiæ.*

*Carioſum os an ignito ferro attingendum?*

§. 39. Cæterum, quæ vitiari ſolent oſſa ex interno malo, puta ex corruptis humoribus, ut in lue venerea contingit, alio utcunque ab hoc diverſo modo tractari debent, ut proprio loco diximus. Sed quomodo radenda, ſcalpenda, forandave ſint, ex hoc tractatu elicere par eſt: non enim aliis inſtrumentis in illis, aliis in his utimur, niſi quod quidam audent illic *ferrum ignitum* commendare, quod non probo: cum nullam fœlicem, neque infœlicem curam ex iis viderim. Sunt tamen qui mihi dixerint, ſe id præſtitiſſe fœlici exitu: Verum non facile omnibus ſcriptis vel dictis credo, niſi experientiam videam; cum horum unus, qui ſic os capitis urere ſe dicebat, alia mihi adhuc narraret miranda magis: nempe, quod quendam ſanitati reſtituiſſet, ſectione apoſtematis cerebri, poſt vulnus facti, quod recitare forte non erit inutile. Tractabat hic eo tempore, (tertius annus nunc agitur) quendam capite vulneratum, quem ad decimum-

*Cura infœlix.*

octavum

ctavum uſque diem curaverat villicus tonſor, quod etiam in villa eſſet patiens. Chirurgus hic ad illum accerſitus, protinus (& omni quidem jure) cutem diviſit, & calvariam modiolo ſtatim aperuit, quod patiens in paralyſim adverſæ partis jam ante ejus adventum incidiſſet. Accerſitus ego ad ægrum, factum laudavi: Cæterum chirurgo & aſſiſtentibus dixi, me nihil amplius de ſalute ſperare, quamvis mente & viribus adhuc non parum conſtare videretur æger, (parte reſoluta excepta) nec febre, niſi perquam exigua, conflictaretur, eo quod pro rato tenerem, jam factum eſſe apoſtema in ſubſtantia cerebri, ſumpto indicio à ſymptomatis, & à membranæ tenſione, ac immobilitate palloreque. Hic ſtatim inquit, Si apoſtema foret, adhuc magis de ejus vita ſperarem: nam in altero ægro, (addit) poſt effoſſum os trepano ſeu modiolo, cognovi apoſtema eſſe in cerebro, quod illicet ſcalpello pertuſi, ex quo affatim pus fœtidiſſimum exivit, & liberatus eſt. Cui ego protinus, clarum eſſe dixi, in hoc, quem præ manibus habebat, apoſtema extare; neque eſſe ambigendum, ſi membranam foderet, quin ſtatim abunde pus exiret: quod ſi verum eſſet experimentum à ſe narratum, præſtantius eſſe ut idem genus præſidii in hoc repeteret, cum nulla prorſus ſpes vitæ in cæteris auxiliis ſupereſſet; quod jam amicis & aſſidentibus nunciaveram. Hoc tamen aggredi non fuit auſus, licet æger neque princeps eſſet, neque affines haberet apud ſe, neque aſſidentes, qui Chirurgo contradicerent:

cerent: Nam in iis formidabile eſt tale ſubir negotium, etiamſi deſperata ſalus ſit, niſi parentibus eſſet ſtimulatus artifex. Obiit æger biduum poſt, nimirum ſub finem vigeſimi diei, cum ingenti apoſtemate in cerebro, cujus ſummitas ad oſſis emiſſarium prominebat, tantum membrana interpoſita intra cranium & pus. Juxta Aureliam hoc evenit in oppido Artne dicto. Erat patiens nobilis quidam Pedemontanus, Cataphractus, Chirurgus verò non prorſus obſcuri nominis eſt. Digreſſi nunc ſumus, rerum ſimilitudine ducti, ut oſtenderemus, nonnullos præcipere, vel laudare aliqua, quæ, dum fas eſt, ipſi attingere non audent.

*Quæ cura debeatur oſſi cranii carioſo?*

§. 40. Sed redeamus ad inceptum. *Si cranium* vitiatum ſit à cauſa interna, utpote quod tuberoſum ſit, vel carioſum, & *cutis* ſit diviſa everſaque, & vitium ſupernas tantum partes occupet, & modicum ſit, *terebra raſoria latiore* radendum eſt ad ſanum uſque, & ut vulnus ſimplex calvariæ non penetrans curandum. Si verò altius procedat, nempe ad faciem uſque internam (quod crebro viſitur) totum ipſum eximendum eſt, *modiolo*, vel *ferrula*. Poteſt interdum & *ſcalpris* ſive *cælis*, manu, vel malleolo ligneo vel plumbeo, adactis, demi, & ſatis commode, quod in iis plerunque adeo putre videatur, ut pene friabile ſit, & nullo negotio effodiatur; quare in iis etiam potius inſtrumentis propoſitis utendum eſſe decernerem, quam candentibus: *cum* videamus Hippocratem timuiſſe modioli calo-

rem

rem ab ejus motu acquiſitum, quod his verbis ſignificavit, *Terebrantem autem frequenter eximere terebellum oportet, caliditatis oſſis gratia, & in frigidam aquam immergere.* L.cit.n.29.


§. 41. Dicere hîc aliquis poterit, eſſe magis formidandum calorem exiguum in modiolo, quam candorem in aliis, eo quod modioli uſus raro adhibeatur, niſi ad intimum uſque os ſit exſcindendum, cauteria verò tantum, ubi ad ſecundam uſque tabulam vitium eſt? Cui facile etiam reſpondere ſic licebit: raro ex lue venerea, vel etiam citra hanc, os capitis ſolere ſuprema tabula vitiari, (excipimus hîc vulnera & contuſiones, de quibus exaravimus ſuperius) quin & ſecunda etiam aliqua ex parte decidat: Præterea quod, etſi modiolus totum os ſecet, non tamen ad cerebrum perveniat opus eſt. Sed ut alias rationes, quæ adhuc adduci poſſunt, jure prætermittamus, & ad rhombum (ut ajunt) veniamus, faciat aliquis periculum in cadaveris calvaria recenti; primam tabulam candenti ferro urat, manu ſeu digito ſubmiſſo ex altera oſſis parte: experietur ſanè, digitum tam vehementem calorem, ſeu potius ardorem, non poſſe ſuſtinere citra uſtionem. Quid igitur membrana cerebri? feretne citra noxam? Sed eſto, quod quandoque id præſidium, citra injuriam, fuerit uſurpatum: tutioribus tamen, & quidem utilioribus, inſiſtendum eſt potius, quam ſuſpectis. In iis ergo, ubi membrana nudata eſt, ſat fuerit *ſyrupo* vel *melle roſaceo* mederi: non enim tam facile membrana *Argumentum ab experientia.*

brana hic accendunt, atque in vulneribus.

§. 42. Aſt quia non ſatis eſt Medico, ſeu Chirurgo, facere quæ muneris ſunt ſui adverſus morbum, ſed navare operam debet ut convitia calumniaſque caveat; operæ precium erit narrare, quæ maxime ſuſpectum finem faciant, & quæ prorſus ſpe vacuum, & quæ palmam ſeu victoriam polliceantur: quibus tamen ultimis minus credere ac fidere debemus, quam mala formidemus. Nam multos interire vidimus ex iis, qui ad multum tempus integram ſalutis ſpem exhibebant; paucos tamen, vel forte nullos, evadere ex aliis, quos lethale ſymptoma aliquod gravius invaſerat. Commune namque hoc eſt ſcitum, nimirum, leviore negotio conſtructa deſtrui, & recta cadere, & ſana corpora ægrotare ſolere, quam jam ſic affecta in priſtinum ſtatum reduci valeant. In præſagiis igitur promendis cautum eſſe prudentia eſt. Nam *exiguum quodcunque vulnus capitis parvi faciendum non eſt*, ſed maximi, ut Hippocrates continuo à principio ſui libelli de vulneribus capitis memoravit. *Bona ſigna* ſunt, cervicem atque reliquum capitis non gravari, mandibularum motum innoxium eſſe: quies pro ratione conſuetudinis, nocturni præcipue temporis: dierum criticorum lapſus, citra majus malum, quam dies anteacti fecerint; animi aſſidua conſtantia: Vulneris conveniens ſtatus, nimirum quod ipſum tumidum plus æquo non ſit, neque etiam prorſus expers, ſed tumore levi obductum; carne florida & bono colore reſtauratum; pus lauda-

*Medico attendendum ad ſigna varia, ut prognoſin inſtituere poſſit in his vulneribus.*

*Bona ſigna quæ?*



mala
ia,
ia,
ſeſta.

quidem & [illegible], aliquarum videlicet, &

*Medico*
*tendend*
*ad ſigna*
*varia,*
*prognoſin*
*inſtituera*
*poſſit in*
*vulnerib*

*Bona ſigna-*
*qua?*

colore reſtauratum ; pus
lauda-

laudabile edens, nempe quod temperate album, & mediocriter tenax ſit, omnis acris fœtoris expers: os moderate humidum, membrana mobilis motu cordis; colore albo, qua venæ purpureæ clare diſtinguuntur, præſertim ſi de oſſe ſit exempta notabilis quantitas; ſupra quam inde caro rubicunda oritur. *Mala* ſunt ea, quæ naturam non parum gravari indicant, quorum aliqua ſuſpectum exitum faciunt, aliqua prorſus malum atque infœlicem. *Suſpecta* ſunt, crudum vulnus eſſe; hoc ipſum tumore duro, vel magno & molli, ſtipari; capite gravari; inclinari ad ſomnum; mandibulas non oppido ſolutas eſſe; ſcapulas laſſitudine, vel ſtupore aliquo premi, febre urgeri. Suſpecta hæc dicimus, quia crebro ab arte vincuntur: perſæpe etiam exitium extremum inducunt, quaſi emiſſarii ſint futuræ calamitatis, quibus ſi proſpiciat peritus ac ſagax Medicus, ſæpe prudenter ſucceſſores, vel auxiliarem morbi manum, cavet: Hæc namque ut plurimum, (ſi perſiſtant) phlegmones cerebri auſpicium indicant, cui occurrerè opportunis præſidiis nonnunquam ars poteſt, cum nihil obſtet, quominus nondum inſinuatus humor, alio revocetur; quod fieri non poteſt, ubi jam inculcatus eſt, præcipue in cerebro. Unde calamitoſa, & quidem *funeſta* ſigna, ſequuntur: nempe, nervorum trepidationes juxta carpum, mox & per alias corporis partes; convulſiones; ſtupores: ſenſus vel motus, vel utriuſque, non parva depravatio; imò quidem & abolitio, aliquarum videlicet, &

*Signa mala duplicia, vel*

*Suſpecta,*

*Vel funeſta.*

pleramque omnium partium oppoſitarum: (hanc paralyſim ſimpliciter dicunt; illam verò reſolutionem tantum partis: ) ad hæc & quandoque citra hæc delira loquuntur: interrogati, nullo dolore, neque animi mærore, ſe premi dicunt: iter ſe facturos ſimulant; feſtucas & floccos legunt; ſopore quandoque premuntur; flammeos ac turgidos oculos habent: rigoribus incertis invaduntur: ſudoribus nonnunquam totum corpus, quandoque caput ſolum, aliquando pectus madet, & iis calidis interdum, per vices etiam frigidis. At, hæc non omnia in una patiente viſuntur, ſed aliqua unum, aliqua alterum ægrum exercent: quæ verò neceſſaria in omnibus videntur, ſunt, immobilitas membranæ, durities, pallor, vel nigrities ejuſdem, ulceris ſiccitas, vel puris albioris emanatio, quæ etiam plerunque à Chirurgis (niſi poſtremis diebus, videlicet dum ſpes ferè omnis deperdita eſt) obſervantur. Verùm deliria, communia ferè omni extremo morbo ſunt. Cæterum etſi in febribus plerunque nil mali indicent, tamen hîc lethalia ſunt.

*Signa in omnibus quæ ſpectanda?*

§. 43. Quo igitur malos rerum adventus prohibeamus, & primos hoſtes arceamus, ſuprema induſtria nos uti decet, ut non modo rite omnia agamus quæ ad affectam partem ſpectant, ut puta calefaciendo vel refrigerando, humectando vel ſiccando, radendo vel forando, repellendo vel diſſolvendo, vel alia denique præſidia convenientia & opportuna ægræ parti porrigendo; ſed etiam ea præſtemus,

mus, quæ per adverſas partes hoſtes trahere ac revocare poſſunt: quæ porro hæc ſunt, venarum ſectio, alvi dejectio, cucurbitulæ, frictiones, ligaturæ in adverſas partes. *Venæ* igitur *ſectio* ſtatim à prima cura adhibenda eſt, & de ſanguine copioſe eſt educendum, pro virium ratione: Si verò ſanguis plurimus è vulnere fuerit effuſus, ſat erit ſectionem facere revulſivam, ut *cap. nono* declaravimus, vel loco hujus, ligaturas ad artus. Ea vena primum ſecanda eſt, quæ in brachio *cephalica* appellatur, vel *communis*, & ex brachio affectæ parti propinquiore. Poſtridie alvus *medicamento* ſubducenda paulo liberaliter, ne moti humores, & non educti, ad caput ferantur: quare medicamenta, & quæcunque alia quæ vomitum movent, averſanda: Deteſtanda etiam ea quæ ſternutamenta concitant. Ab iis ſi leviter diebus ſequentibus *crura fricentur* ante cibum, non inutile erit, vel vinculis ſtringantur, ſi caput grave ſit. At ubi res non bene procedere videatur, animadvertendum eſt ad omnes antedictas cauſas, nempe, num caput, vel vulnus, prematur, vel calefiat nimis, vel ab alia re urgeatur. Quod ſi horum nihil fuerit, ad venæ ſectionem quæ *in fronte* ſunt *venarum*, recurrere fas eſt, & ad novam purgationem, & ad *abſtinentiam*, quam ſtatim ab initio imperare expedit, vino prorſus interdicto, donec inflammationis timor præterierit. *Clyſteres* etiam quandoque ſpernandæ non ſunt: neque etiam contemnendæ *cucurbitulæ* ſcapulis applicitæ; & *pedum lavatio* ex aqua calida, quantum ferre

*Proviſio adverſus imminentia mala*

*Per venæ ſectionem.*

*Per purgationem.*

*Vomitus cavendus.*

*Sternutatoria mala.*

*Victus.*

*Clyſteres.*

*Cucurbitulæ.*

*Lavatio pedum.*

ferre poteſt: nam hæc non parum divertunt à ſupernis. Oculatum igitur in his omnibus Chirurgum & Medicum eſſe oportet, cum hujus partis vulnera plerumque ex inſperato mortem inducant, & frequentius ſane quam ulla alia corporis pars. Pergamus ad reliquas partes infra caput poſitas.

---

## CAP. XVIII.

### *De Cura Vulnerum Thoracis.*

THoracis vulneris curatio nullo alio diſcrimine ab ea, quæ aliarum eſt partium, ſejungitur, quam differentiæ partium ratione: nam affectus idem eſt in omnibus partibus. At hæc diverſitatem habent inter ſe non exiguam; quare & curationem hîc nos, utcunque cæteris diſſimilem, cogimur deſcribere, prout partium diverſitas poſtulat.

§. 2. Itaque, ſi vulnus duntaxat ſit externum, non ſecus ac reliqua vulnera, ſimplicia hîc dicta, curandum erit: videlicet, medicamento ex *præcipitato*; vel, ſi hoc non adſit, alio quopiam ſimili facultate prædito, & hoc bidui ſpacio: mox ad ea quæ leviter abſtergunt exſiccantque, ut *mel roſaceum*, vel *ſyrupus roſaceus*: & hæc per ſe, vel quibus ſit addita *terebinthina*, *ariſtolochia* aut *hordei farina* & ſimilia. Utile præterea erit, detergentibus medicamentis (ſaltem ad 4. vel 5. uſque diem) *butyri* momentum miſcere, deinde illud auferre.

Forma

Forma autem talis erit: *Rec. mellis roſati* ℥ j. *terebinthinæ, butyri recentis, ana* ʒ iij. *farinæ hord. ariſtol. rotun. ana* ʒ j. miſce, & turundas pulvillosve perungas, quæ vulneri imponi debent. Super vulnus verò hoc aliud appone. *Accipe album unius ovi, olei roſati* ℥ j. *boli armenæ* ℥ i ß. omnia diligenter rudicula ſimul componantur, & linteo, ad tres digitos circumquaque vulnus ambienti, in poſca infuſo, ac expreſſo, extendatur, & parti applicetur: frigidum, ſi æſtas ſit; tepidum, ſi hyems. At loco hujus, ubi pus apparere incœperit, *Emplaſtrum ex chalcitide*, vel *tripharmacum ex oxelao & argenti ſpuma* confectо, ſuper linteo extenſum, ſic ut ſpatium tantum unius digiti circum vulnus amplectatur, appones. At, ubi abſterſum conſpexeris ulcus, nullaque abundante humiditate moleſtum, ut vulnera cæſim facta, quibus carnis aliquid deeſt, curabis: Ad cujus intentum tale medicamentum laudamus, *Rec. ſucci myriophylli, mellis roſati, terebinthinæ, ana* ℥ j. *farinæ fabarum, farinæ hordei, ana* ʒ ij ß. *thuris, aloës, ariſtolochiæ rotundæ, ana* ʒ j. ad ignem omnia rudicula commoveantur, incorporenturque, ex quo turundæ intingantur, vel ex *iſidem Epigeni*.

§. 3. Si verò intra thoracem glans permeaverit, lethale eſt, quamquam organa interna nullam offenſam ex vulnere ſuſceperint. Non penetrant autem ſine aliqua oſſis læſione, niſi hordeolum plumbeum tantum ſit, quod vulnus infert; nam hoc intra coſtarum ſpatia permeare poteſt, illæſis oſſibus; glans verò

non ſic, ſine coſtarum, vel reliquorum quorundam oſſium thoracis, fractura. Hinc fit, ut dolores excitentur, & phlegmonæ fiant, ad quas frequenter mors ſubſequitur.

§. 4. Verùm enim vero Medici non eſt, univerſos affectus ſanare, ſed tantum quæ artis ſunt, eorum nihil omittere: ob id enim neque ope deſtituendi ſunt ægri, neque ſpe ſpoliandi: ſæpe enim deploratos vivere vidimus; &, ſi moriantur, minore tamen anxietate interea anguntur, ſemper aliquid boni ſperantes. Secus autem qui à Medicis deſeruntur. Sagax igitur artifex, neque deploratum penitus deſtituet, neque ſerò, quod prænovit periculum, vel mortem, prædicere cunctabitur. Agedum, ſi pulmo, vel metaphrenon, vel pericardium, vulnere ſint affecta, ſalutis ſpes nulla relinquitur: curandus tamen eſt æger. (ut jam dictum eſt) quo minore mœrore reſiduum temporis vitæ ſuæ tranſcurrat. Si vel cor, vel magnarum venarumve aliqua ſint lacera, eveſtigio moritur: Actutum enim, cum ſpirituum vel ſanguinis effuſione, anima ipſa effluit, quare neque opus medicum deſideratur. Penetrationis autem ſigna, ſanguinis ſputum: infallibile autem, per vulnus reſpiratio. Pulmonis verò vulnus oſtendunt, tuſſis aſſidua, ſanguis ſpumoſus per os vulnuſve emiſſus: At cordis, nigri: magnarum venarum, venoſi, ac multi: magnarum arteriarum, ſeroſi ac rubri ſanguinis emiſſio: ad quas extemplo mors ſequitur.

*Signa vulneris penetrantis.*

*Signa pulmonis vulnerati.*

§. 5. Sed ſi vulnus penetrans ſit, ſine organorum

norum intrinſecorum læſione, ſalutis adhuc ſpes multa habenda eſt: quare, ſi glans intra ceciderit, ſic ut per vacuum erret, ocyus laborandum eſt ut educatur: aliter, nunc metaphrenon, nunc pericardium, prout æger movebitur, comprimet, ac aſperitate ſua vellicabit. Collocabis igitur ægrum ſic, ut infima parte vulnus exiſtat, mox *ſpecillo* flexibili, aureo puta, vel argenteo, vel æreo, circum vulnus molliter perveſtigabis. Verum ſi illa non appareat, jube ægrum huc atque illuc moveri. Sit is ſuper lecto vel menſa ſtratus, ac vulnus pronum ſemper: &, cum glandem inveneris, *ſpecillo* in cuſpide *lato*, & *reflexo*, verſus oſculum placide trahe, quæ *gruino*, aut *corvino roſtro* præhenſa, educatur. Quod ſi parumper vulnus ampliare oporteat, per coſtarum longitudinem ſectionem facias, non majorem tamen, quam glandis exitus requirat. Hic autem eſt modus aucupandæ glandis in thorace, & in inferiori ventre: non, ut imperiti quidam faciunt, qui ſedente ægro, recto ſpecillo, aut quovis modo flexo, glandem venantur, ultro citroque per thoracis ventriſque cavum illud, nulla experientia, nullaque induſtria, vagum ducentes.

§. 6. Educta igitur glande ac ſanguine; (exit autem ſanguis, niſi concretus ſit, ſine labore, ac ſola vulneris inclinatione) vulnus hoc unguento curabis, *Rec. olei roſati omphacitidis* ℥ iij. *terebinthinæ* ℥ j *pulveris præcipitati* ℈ iv. omnibus invicem bene miſtis, turunda intingatur. Hoc autem primis duobus diebus ſatiſ-

*Penicillus qualis eſſe debeat?* faciet, non ultra. At, quod ſilentio prætereundum non eſt, cum in hoc plures errent, præcipue qui Anatomen ignorant. ſit *turunda* ex *linteo molliſſimo*, non magna, ne premendo liberum reſpirationis motum impediat; nec longa, ne pulmo ſuo continuo motu, ac carnis mollitie, illius affrictu exulceretur. Satis igitur ſuperque erit, ſi longitudine pleuram attingat, magnitudine quantum oſculum, ad pus (ſi fiat) vel ſanguinem (ſi intus remanſerit) educendum, patens conſervet. Supra autem (donec pus apparere libere cœperit) miſturam uſurpabis ex *ovorum albo*, *roſaceo omphacitide*, & *bolo armena*: vice hujus, (vulnere coctionem indicante) vel *barbarum*, vel *ex chalcitide* confecta *emplaſtra* ſuperpones: turundis verò, à ſecunda die, hoc medicamento illitis; *Rec. butyri recentis* ℥ ij. *mellis roſati* ℥ ß. *terebinthinæ claræ* ℥ iij. *aloës*, *farinæ hordei*, *pulveris ireos*, *ana* ℥ j. miſce. Elapſis octo diebus butyrum amove, & mellis doſim dupla Intra thoracem, ſi ſanguis coactus ſit, vel pus colligatur, (n) *metrenchyta* injici poterit *mulſa ſimplex*, vel in qua ſint cocta *liquiritia*, *carica*, & *paſſa uva*: In hyeme addito modico *praſii*, vel *minoris centaurii*, vel *lupinorum*.

§. 7. Sed

(n) *Metrenchyta* inſtrumentum eſt, dicatum liquoribus in uterum injiciendis; differt autem à vulgari ſiphone, quod latius ſit, & conoides ſua extremitate, plurimiſque foraminibus donatum, ut liquor quaquaverſum diſpergi poſſit.

(o) Egre-

§.7. Sed præter hæc, vulnus quandoque non penetrare à principio videmus, quod ſuccedentibus diebus tranſpirabile fit, quoniam putreſcit interior membrana, ſi contuſa ſit. At diverſo modo à ſupradicto non curatur, niſi quod in hoc turunda penetrans imponi non debet: imò, quam ocyſſime fieri poteſt, ad incarnationem, & cutis regenerationem, properandum eſt: Non enim ex hoc ſanguinem, vel pus, à thoracis cavo educere ſperamus; Secus autem, ubi à principio pervaſerit. Atqui neque omnino vacat periculo, ſed medium eſt inter hoc & illud, quod carnoſam partem tantum, ſine penetratione, infeſtat.

§. 8. Cæterum providere, ne ingraveſcat ſanabilis affectus, non parva res eſt. Porrò providendi ingenia, artifici mediocriter exercitato, ſtatim ſe exhibent, cum cauſas prænoverit. Sunt autem magna ex parte fluxiones: eæ namque tanto moleſtiores redduntur, quanto plenius, vel mali ſucci, patientis corpus fuerit: quæ item invaleſcunt magis, ſi externarum cauſarum aliqua adhuc ſuperveniat; ut puta, immoderatus motus, inordinatum ac malum victus regimen, & cætera quæ ſub iis ſunt. Sit igitur hoc tibi proviſionis principium; primo, circumpoſitas affectui partes repellentibus munire, illita parte *oleo mellino*, vel *myrtino*, vel *amphacitide roſaceo*, vel omnibus, vel quibuſdam ex iis miſtis: Linteum vel pannum, omphacio vel oxycrato madidum, ac preſſum, ſuperpones, & ſæpius renova-

*Quid ab initio faciendum, quo arceantur ſymptomata? Repellentia.*

renovabis; frigide ſi æſtas, calide ſi *hyems* fuerit: & hoc, quamdiu phlegmones adventum timemus; nimirum, quouſque cœperit vulnus ſuppurari. Statim igitur, tractato vulnere (modo ne cibus nuper præceſſerit) *venam ſecato*, ex oppoſita patientis parte, *mediam* vel *baſilicam*. Quod ſi prima die id factum non ſit, & pars affecta quoquo modo phlegmone moleſtari incœperit; ab eadem parte venam tunde, & tantum ſanguinis evacua, quantum patientis vires indicabunt, non ſpreto quod ab ambiente ſumitur indicio. Corpus deinde *purgato*, præcipuè ſi malis ſuccis ſit refertum, tales educendo humores, quales prædominium habere comprehenderis. At maxime attendendum eſt, ne vomitum moveant pharmaca, præcipue cum in aliquo ventre inflictum fuerit vulnus: Caput enim replet, & thoracem, univerſaſque partes, violento motu vexat, ac quandoque lancinat. Nam hæc repetere forte quandoque juvabit. *Medicamentorum* autem *forma* tales erunt, *ad bilem* primò reſpicientes: *Recipe rhabarbari electi, & ſubtiliter pulverizati* ʒ i ß. cum *julapio violato* fiat *bolus*, quem capiat hora electa, & ſtatim ſuperpotet infraſcriptam potionem: *Rec. ſyrupi roſati laxativi* ℥ ij. *aquæ bugloſſæ tantundem*, miſce: capiat continuo poſt aſſumptum bolum. Si autem hyberno tempore fuerit, *Recipe rhabarbari elect.* ʒ j. *agarici optimi* ʒ ß. *cinnamomi* ℈ j. omnia in ſubtiliſſimum veluti pollinem redacta, cum *melle roſaceo* fiat *bolus*; capiat hora electa, cui repente ſuperpotet infraſcriptam potionem,

*Venæſectio.*

*Purgatio.*

*Vomitus apprimè cavendus in hoc caſu.*

tionem, *Rec. mellis roſati colati* ℥ iij. *aquæ bugloſſæ* ℥ ij. miſce. Hæc ſint ſatis de purgationibus. Aliquot item infra deſcriptas comperies ad propoſitum. Id noſſe nunc ſatis erit, *agaricum*, *rhabarbarum*, & ſimilia, ſi in bolis diſponantur ( ut fecimus, ſic ut amaritudinem guſtus non percipiat, ) vomitum non facile ciere: Secus autem, ſi in potibus diſſolvantur, vel infundantur. Verum in corpore boni habitus, facta ſectione venæ, fortè ſat erit *vincula* adminiſtrare, & alvum *clyſteribus* movere.

§. 9. *Situs* pariter ad proviſionem non parum conducit. Præſtat autem, ut affecta pars ſuperne collocetur, ne pulmones ( ſi circa eorum regiones vulnus ſit ) illud aſſiduo ſuo motu exaſperent, & ſibi-ipſis etiam injuriam faciant. Si namque ſanguis, vel pus, ſint in thorace collecta, ſat erit interdum ſe ſuper vulnus invertere, quo hæc liberius exire valeant, non perpetuo ſuper illud inſiſtere. Pauca loquatur æger, propter laborem: nam longo ſermone defatigantur omnes thoracis partes. Tuſſis præterea ne infeſtet, laborandum eſt. Aër temperatus ſit ubi ægrotus moram trahit, ne intrinſecæ partes thoracis, frigidiore aëre, quam fuerint conſuetæ, triſtentur: Facile ſiquidem tuſſi exagitatur refrigeratus pulmo. Quare ocyſſime curandus eſt æger, ne diutius per vulnus aërem trahat. Nam etſi is calore vel frigore non noceat, infeſtabit tamen ſua ſiccitate, qua facillimè pulmones moleſtiam ſuſcipiunt. Parciſſime *nutriatur*, quoad

*Ægri collocatio.*

*Sermo brevis.*

*Tuſſis.*

*Aër.*

*Aph. 24. l. 5.*

*Cibus.*

quoad de ſymptomatis veretur : puta *panatela in jure pulli*, vel *cum oleo olivarum dulciſſimo*, vel *oleo amygdalarum dulcium*, vel *recenti butyro*. *Potu mulſum*, ſi non abhorreat; aliter *aquam cum* abundanti *ſaccharo*, & *caricis*, vel *paſſis uvis*, vel *liquiritia* leviter coctam. Elapſo ſymptomatum timore, *pullinis*, *vitulinis*, *hœdiniſve carnibus*, *aviculis*, *ovis*, & ſimilibus, ac *vino paucifero* parcè nutriatur, ſic ut ad conſuetudinem paulatim regreſſum faciat. *Animi motus* non modo hîc, ſed in omnibus reliquis curis coërcendos eſſe cenſemus : quemadmodum & *moderatos ſomnos* conciliandos, ſi moleſtæ fuerint vigiliæ, ut in vulneribus juncturarum ſæpe accidit.

*Animi motus.*

*Somnus.*

*§*. 10. Verùm enimverò non raro, ( præſertim tamen in vulneribus punctim vel cæſim factis ) ſanguis collectus, ac coactus, *in thorace* retinetur, qui poſtea ægris negotium faceſſit, ita ut, niſi artis peritia ſuccurratur, ad interitum ſine ſpe ſalutis labantur. Quamobrem fore nunc juſtum exiſtimavi, quo ingenio iis opem ferre liceat, explanare, ut eos artifices metu exuamus, qui formidine oppreſſi, quod ipſa ars potiſſimum exigit, minus tentare ſolent; ut nonnullos, quos in hoc caſu, ac in aliis, in quibus non erant exercitati, & monui, & objurgavi. Quum igitur ſic ſanguis in thorace remanſerit, qui per vulnus commode educi non poſſit; vel quia hoc parvum eſt, & ſupernis partibus inflictum, vel quia in loco eſt, qui plagæ dilatationem, ſine majoris noxæ periculo, ſufferre

minime

minime poteſt, ut circa ſpinam, exitus alius tunc parandus eſt.

§. 11. Sed ut is in loco minus moleſto, & opportune fiat, idcirco ſigna indicantia, & locum aptum ad inſtitutum hoc, prius exponere licebit. Proinde, ſi ſanguis in thoracis cavo collectus fuerit, pondus ſuper ſepto tranſverſo, dum rectus manebit, percipiet æger: & ſi pronus, vel ſtratus, huc atque illuc ſe circumvolvat, prout movebitur, illum fluere ac refluere ſentiet: reſpiratio magis impedita erit, cum rectus perſtiterit; vel, ſi ſtratus in partem ſanam vertatur: ſanguinis quicquam, vel puris, cum ſputo miſcebitur, non tamen ut ſanguinem per ſe expuat, niſi pulmo ſit vulneratus: Tuſſis; color faciei ad plumbeum vergens; oculi cavi fient; & reſpiratio quoquo modo putida. Hæc cum apparuerint, ſanguinem, vel pus, in thorace eſſe intelligere oportet, exitum liberum poſtulantia. Pus autem in thorace ſimiliter colligi poteſt, etiamſi ab accepta plaga ſanguis illuc minime deſcenderit; ex pure ſcilicet, quod à proprio vulnere, perperam curato, in cavum effluit. *Indicantia ſanguinem in pectore ſigna.*

§. 12. Exitus itaque fieri poteſt inter tertiam & quartam coſtam, incipiendo ab inferiori parte, vel inter hanc & quintam, vel adhuc inter hanc & ſextam: ſed ſupra hanc incommodiſſime evacuari poteſt quod in thorace continetur: & infra tertiam ſuſpectiſſima, imò & lethalis, eſt inciſio, propter ſepti tranſverſi contiguitatem. Ab ea verò, quæ inter tertiam & quartam eſt, facillime expurgatur, & non *Locus apertura thoracis.*

multi

multi periculi. At media eſt etiam, purgationis facilitate, quæ inter (o) quartam & quintam fit, & minoris periculi: quapropter ſemper inter has duas ſectionem & feci, & fieri juſſi, ut plurimum cum fœlici ſucceſſu. Sedeat igitur æger ſuper cathedra, & inclinet aliquantulum ſe verſus ſanam partem: vel, ſi imbecillis ſit, ſtratus ſuper lectum ſanam partem reponat, & è *directo ſub axilla, ubi ſen cubitus cadit*, *novacula* bene ſcindente, ſecentur muſculi intercoſtales inter jam dictas coſtas, & cum ad pleuram perveneris, leviore manu illam ſeces, ne novacula impetuoſe, invento vacuo, ſeptum tranſverſum exulceret. Sat erit oſculum facere, quantum olivæ folium intrare poſſit. Quo facto, æger in partem hanc paululum inclinet, quo vel ſanguis, vel pus, exire valeant: Ne tamen in totum educantur, ſed paulatim ſex, vel octo diebus, vel quindecim, ſi contenta in multa copia exiſtant,

(o) Egregiè hanc controverſiam pertractat Aquapendens in *lib. de Operat. Chir. tit. de Thoracis Sectione in Empyemate*; ubi accedit ſententia Autoris noſtri, inſtituendam videlicet eſſe ſectionem inter quartam & quintam coſtam. Nec obſtat, quod aliqui, Hippocratis autoritate fulti, jubeant ſecare tertiam ab ultima; res enim eodem redit, nam ultima coſta, quæ adeò parva eſt, ut exterius tangi non poſſit, proculdubio ab Hippocrate fuit omiſſa. Idem Aquapendens *loc. cit.* ſectionis locum accuratius deſcribit, jubetque filo metiri ſpatium à medio pectore ad ſpinam, cujus fili, in tres partes diviſi, duas partes extendit à medio pectore verſus ſpinam; qui verus eſt locus ſectioni opportunus, citra diaphragmatis læſionem: Quod & nos in cadavere prius, poſtea in vivente, ſemper ita ſe habere plurimis oſtendimus.

(p) Gan-

ſtant, quibus diebus, metrenchyta, *mulſa* temperate calida injiciatur, laveturque; in qua *hyſſopum*, *praſſium*, *caricas*, *paſſas uvas*, ſi velis, coquere poteris, ſi valentius exſiccare, vel calfacere velis: Et, ubi neutrum horum deſideratur, ſola mulſa per ſe ſufficit.

§. 13. Verum enimvero quod animadverſione adhuc digniſſimum fore exiſtimo, eſt, (præſertim cum inter tertiam, & quartam coſtam facta fuerit ſectio) ut metaphrenon, quod ibi maxime propinquum eſt, lancinare caveas, vel clyſteris fiſtula ultra modum impoſita, vel lotione vi impulſa: quapropter tutius, imò etiam utilius erit, clyſteris vulnerarii fiſtulam non ultra pleuram immittere, & leniſſime, quantum poteris, lotionem infundere. Ab iis oſculum apertum conſervetur *turunda*, ex filaminibus, vel leni linteo confecta; quæ nec longa multum ſit, ne ſeptum transverſum attingat, nec dura, nec craſſa valde, ne vi immiſſa dolorem faciat. Hanc autem *ovi albo* prima die imbuere poteris: & circumſtantes vulneri partes *unguento ex ovi albo*, *roſaceo* & *bolo armena*, duobus tribusve ſequentibus diebus, munies; & turundam oblines *unguento ex terebinthina*, *ovi luteo*, & *croci* parum confecto: quarto aut quinto die, *melle deſpumato*, vel *roſaceo*, quibus (ſi libeat exſiccare magis) *iridis pulverem*, vel *ariſtolochiam*, vel ſimilium aliquid adjicere poteris: extrinſecus conferentiſſima erunt, ex *chalcitide* dictum *emplaſtrum*, vel quod ex *oxelao*, & *argenti ſpuma* paratur.

§. 14. Cum

§. 14. Cum thorax mundus à ſupervacuis fuerit, & oſculi caro ſana, tuto eo tempore conſolidari poteſt apertura. Ante ſectionem corpus purgare, vel ſanguinem mittere, ſi vires ferant, oportet: quod ſi hæ non ſatis reſpondeant, crura vincire fortius expedit, præcipue in hora operationis, item & diebus aliquot ſuccedentibus: non ſpretis frictionibus, clyſteribus, & iis quæ ad convenientem victus rationem ſpectant.

## CAP. XIX.

### *De Vulnere ventris inferioris.*

INferioris ventris vulnus, ſi epigaſtrii tantum partes infeſtet, vel circa lumbos, abſque penetratione & ſpinæ læſione ſit, non ſecus ac vulnus ſimplex, in carnoſaque parte acceptum, curandum eſt: glandis ſcilicet eductione primo, mox contuſæ ac laceræ carnis ablatione, medicamentis ad hoc dicatis; eo videlicet, quod cum *pulvere præcipitati* paratur, vel *ægyptiaco leviore*, vel alio quopiam ſimili: quibus accedat, à ſecundo die, conveniens abſtergentium cum leviore exſiccatione, uſus.

*Si glans læſerit viſcera principalia, nulla eſt ſpes.*

§. 2. At, ſi glans in cavum uſque pervaſerit, & partium internarum aliquam, puta hepar, vel ſplenem, ventriculum, vel inteſtina, ſive ea gracilia ſive craſſa ſint, vel veſicam, vel venarum arteriarumve magnarum aliquam,

vel

vel renes ſauciaverit, ſpes ſalutis fere penitus fruſtratur. At ſi nullum horum vulnere affectum ſit, & glans educta, bene ſperandum eſt: verum non ſic, ut periculi expers omnino dici poſſit. Quare cautum artificem eſſe oportet, non tantum circa agenda, ſed & circa prognoſticum, ne ignominiam, ex peperam facta prædictione, ſibi aſciſcat.

§. 3. Si igitur glans, ſine prædictarum partium læſione, epigaſtrium utrinque pervaſerit, ut mihi vidiſſe aliquando contigit, curationis modus ab antedicto non varius eſt. Quod autem ad vulnus ipſum ſpectat, nec hoc ampliandum eſſe cenſeo; nullius enim frugis erit, ſed damni potius: nam, quo majus oſculum redditur, ab extrinſeco aëre magis læduntur viſcera. Quod ſi partium dictarum aliqua vulnerata ſit, proficiet utique nihil, epigaſtrii oſculum latius reddere.

§. 4. Aſt, ſi glans intus remanſerit, & certum ſignum nullum habeas de læſione dictarum partium, laborandum eſt ut educatur, ægro ſuper vulnere decumbente, huc atque illuc ſe ducente: ſic tamen, ut vulneris oſculum verſus ſolum è directo proſpiciat; mox *ſpecillo flexo*, prout in vulneris thoracis curatione dictum eſt, ab artifice exercitato perveſtiganda eſt, & inventa educenda. Quod ſi inveniri nequeat, & vulnus in parte ſit, quæ dilatationem, ſine multo diſcrimine, pati poſſit, ampliandum eſt, per muſculorum longitudinem, quantum digitus index facile poſſit immitti. Cæterum, pro dilatatione *inſtrumentum*, *Si glans intus remanſerit, educenda eſt.*

*tum*, omnino *acutæ cuſpidis expers* ſit, ne ferè inteſtina pungantur. Quo facto, ſic ſe collocabit æger, ut vulnus inferiore loco decumbat: mox, impoſito digito indice, agitet ſeſe patiens, ſauciata tamen parte ſemper verſus ſolum inclinata. Ubi glandem perceperis, arte eam educere conaberis: quod ſi non, ſinito. Aliquot hercle vidi, inferiore ventre cum penetratione ſauciatos, qui cum glande ſupervixerunt: quod ſecus forſitan eveniſſet, ſi eam perquirere ac extrahere conati fuiſſemus. Inter quos ſuperſtes adhuc vivit Paulus Bergomenſis loricarum faber, qui Cherii habitat. Is autem vulneratus fuit paululum ſuper inguen dextrum, cum penetratione, à quo glans educi, nec inveniri, potuit. Non tamen ut vulnus ampliaretur permiſi: ſic noſtro conſilio (poſt Numen) adjutus eſt, & ſanus vivit, ferens in ventre glandem. Intus igitur permittenda eſt potius, quam periculoſam ſectionem facere, vel cum minima ſpe optati finis potiundi. Cura præterea vulneris, modo jam ſupradicto proſequenda eſt.

*Si ſanguis in ventrem fuerit effuſus, is diſſipandus, & vulnus claudendum.*

§. 5. Quod ſi ſanguinis aliquid in ventrem fluxerit, *vino mulſo* tepido lavetur. Idem fac, ſi pus introeat: Et, quum ventrem ſanguine & pure vacuum videris, & vulnus mundum beneque diſpoſitum, conſolidationi glutinationique, quam ocyſſime fieri poterit, attendendum eſt; primo carnem replentibus, ſi hæc deſideretur: ut, *Recipe thuris*, *aloës*, *farinæ hordei*, *ana* ℥ j. *terebinthinæ puræ*, *mellis*, *ſucci*

*myrio-*

*myriophylli, ana* ℥ ij. cum ſucco primitus miſceatur farina, deinde ad ignem diſſolve terebinthinam & mel: quibus addantur reliqua, & optime miſceantur. Hoc unguento illinantur turundæ, & pulvilli ex molliſſimo carpto linteo: extrinſecus applicetur *diachalciteos*. Ubi vero caro ipſa, quantum convenit, excreverit, iis quæ adſtringunt cum exſiccatione utitor; qualia ſunt *mel* cum *pulvere balauſtiorum*, *maſtiche* & *terebinthina*: & *emplaſtro* ex *chalcitide*, cui ſit miſta decima pars *aluminis rochæ*. Præterea *fotu* per ſpongiam, ex *vino auſtero* parato, in quo ſint cocta *balauſtium*, *alumen*, & *ſicca roſa*.

§. 6. Si autem ex vulnere exciderint inteſtina, & flatu tumeant, *fomentis ex aqua calida* hæc laxare intende, & mox ea in ventre reponere. Si iis præſidiis non juveris, dilatare vulnus cogeris. Verum hîc ſumma diligentia uti decet, ne inteſtina ſaucientur. Locetur igitur patiens, ut vulnus ſurſum vergat, deinde *laminam* habeas *corneam*, ex qua laternæ fiunt: ſit hæc ſemipedalis longitudinis, ac tantæ latitudinis, quantum vulnus concedit: Hanc (inquam) à tenuiore parte in vulnus mittes, ſaltem ad duos digitos, intra peritonæum, reliquum verò ſiniſtra manu deprimatur verſus vulneris partem, quæ ſectioni erit oppoſita, & eadem manu, quæ foris ſunt inteſtina, immota ſub lamina teneas, quoad ſectionem feceris. Novacula autem ad hoc munus commodiſſimum inſtrumentum eſt, & modus dilatandi tutiſſimus ac facillimus. Tanta *Quomodo reducenda ſint inteſtina prolapſa?*

fiat in abdomine apertura, quantum ordine reponi poſſint inteſtina: &, ſi epiploi exciderit pars aliqua, eaque livida ac nigricans ſit, ligetur filo ſerico vel lineo, & quod extra vinculum remanet, totum amputetur. Nec filum longum relinquere eſt neceſſe, quinimo neque tutum; ut Galenus, in vulnere ventris cæſim facto, jubet. Immiſſis inteſtinis, glandem perquire, ſi oportet; & (ut ſupra dictum eſt) curæ reliquum perficies, ſuta tamen primo plaga cæſim facta, *perinde ut* ſuuntur vulnera ventris, quibus ſutura debetur. Nec ſecus eadem pars curari debet, ac vulnera ſecta: *ovi albumine* primo, mox *terebinthina* cum *ariſtolochia*, & ſimilibus.

*Providentia.* §. 7. Sed nec hîc ſilentio prætereunda, quæ primis diebus maxime conveniunt, nimirum *phlebotomia ex brachio* ejuſdem partis; (verum non copioſa multum, ſi tantum epigaſtrium fuerit affectum) *purgatio*, *vincula*, *tenuis victus*, *quies*, *vulnus ſuperne ſituatum* (niſi quandoque per id pus, ſanguinemve percolari velis) *alvi mollities* medicamentis procuranda, niſi ſponte & libere dejiciatur.

## CAP. XX.

### *De cura Artuum.*

MOdo itaque abſolutis iis quæ ad caput, thoracem, & ventrem inferiorem ſpectant, ſupereſt, ut reliquarum partium curationem

tionem exponamus, brachiorum ſcilicet, & crurum: per quæ nunc intelligimus totum id, quod infra iſchion, & infra humerum, continetur.

§. 2. Si itaque vulnus in ſola carnoſa parte conſtiterit ſine pervaſione, *ſpecillo* glans perquirenda eſt, non digito, ut crudeliter quidam faciunt, præcipue in anguſtis plagis; & inventa, *roſtro* aliquo educenda. Et quia hæc (niſi ſtatim ab accepto vulnere) difficile invenitur, oportet membrum in altum levare, quo iterum deſcendat: quam ſi non inveneris, omitte: neque enim propterea vulnus ampliandum eſt. At, ſi ex oppoſita parte ſub cutem ſe oſtenderit, ibi aperire, ac illam educere, poteris; attentus ſemper, ne ex venis majoribus, quæ verſus cutem feruntur, aliquam ſeces.

§. 3. Si autem utrinque pervaſerit, labore venandæ glandis abſolutus, curationi attende: cujus proceſſus talis erit. Si diſtent inter ſe foramina, tunc *lychnium* ſubtilis ex goſſipio retorto, vel molliſſimo linteo paratus, *ſpecillo*, inſtar acus, ex altera parte perforato, utrinque ducendus eſt. Quod ſi tranſitus liber non ſit, propter muſculos, qui, mutato membri affecti ſitu, illum intercludere quandoque ſolent, non propterea vi (ut plures faciunt) ſpecillum neque lychnium ultro educere nitendum eſt: Nam ſat erit ex utraque parte *turundam* linteam imponere, & unguentum in vulnus inſtillare, quod in profundas partes feratur. *Unguentum* autem id eſt, quod laudare

conſuevi, ex *butyro*, & *pulvere præcipitati*, vel ex *mitiore ægyptiaco*. Verùm in corpore temperato, ſæpe ſolo butyro, quoad caro contuſa ſeparari incipit, contenti ſumus. Sed expeditius ſegregatur, ſi duobus primis diebus, vel primo tantum, præcipitati pulverem addideris: quo unguento illinantur lychnia, vel turundæ, vel pulvilli, qui vulneri immittuntur; ſupra verò circumſtantes partes medicamentum, quod ex *roſaceo*, *ovi albumine*, & *bolo armena* paratur. Hoc autem tuto uti poteris ad quartam uſque diem, & ultra, ſi phlegmone timeatur. Apparente ſigno aliquo concoctionis, *butyro duplum mellis* adde, quoad bene coctum pus eſſe noveris: cui mox ſuccedet uſus ſequentis, *Rec. ſucci apii*, *ſucci myriophylli*, *terebinthinæ*, *ana* ℥ j. *mellis* ℥ ij. *farinæ fabarum*, *farinæ hordei*, *ana* ʒ ij. *ariſtolochiæ rotundæ* ʒ i ß. *aloës* ℥ j. primo pulveres cum ſuccis & melle ad ignem immiſce, mox *terebinthinam* & *aloën* adde, At ſi æſtivum tempus ſit, vel pars affecta aliquo calore tentetur extraneo, loco apii, *ſuccum plantaginis* adhibe: &, ſi abſtergere magis velis, doſim mellis auge, vel *ſuccum chelidonii* immiſce. Quod ſi ſiccare magis, *lythargyrum* ſubtiliſſime tritum, *calcemve* ſæpius *lotam* ac ſiccatam, impone. Quum autem vulnus abſterſum bene, in quo non ſuperabundet pus, perceperis, ad ea, quæ carne replent, devenire licet: ut, *Recipe terebinthinæ* ℥ ij. *mellis* ℥ j. *aloës*, *thuris*, *farinæ hordei*, *ana* ʒ j. *ariſtolochiæ* ʒ ß. miſce. Hoc tempore, tenuiores & breviores turundæ, vel forte nullæ, ſunt impo-

imponendæ: Et, ſi lychnium utrinque ſit ductum, apparente plagæ mundificatione, ſtatim id auferendum eſt, & vulnus curandum quaſi cæſim eſſet factum.

§. 4. Verum ſi oſſa fracta fuerint, majore diligentia occurrere operæpretium eſt, cum propter morbi jam facti magnitudinem, tum propter futuri timorem: Non enim in iis facile corriguntur inflammationes, quibus tamen facillime corripiuntur. Vulneris igitur hujuſmodi curatio, diverſa medicamentorum genera, à ſupraſcriptis, non requirit. Cæterum attento animo proſpiciendum eſt, ne dolores fiant. Ii autem excitari vehementer ſolent, vel ſitu membri improprio, vel moleſto ejuſdem motu, vel ligatura ſtrictiore, vel indumentis parcius, vel abundantius, appoſitis; unde frigus, vel extraneus aliquis calor conſequuntur: vel medicamentis facultate calidis; vel viſcoſitate ſua fuliginoſos halitus perſpirare prohibentibus: vel immoderato repellentium uſu; quo vel affecta pars calore innato exuitur, vel ipſe inſitus calor contractus, præ ſtipata cute, adeo augetur, ut ſtatim æſtuet: vel aliqua re pungente, ut eſt oſſis fruſtulum: vel humorum multitudine, aut vitio, ad affectam partem fluentium: præterea, à multis etiam aliis erroribus, cum ab intemperatis ægris, tum ab ignavis Chirurgis commiſſis. Nam, quemadmodum ægri ſibimetipſis injuriam faciunt ſua intemperantia, ſic inepti artifices ſua ignavia & temeraria curioſitate, plerunque noxam non exiguam pariunt,

*Si oſſa fracta fuerint, qua Curatio inſtituenda?*

*Dolor à quibus fiat?*

*Errores vulgi Chirurgorum.*

rint, oſſa perperam educendo, glandem r- nando, vulnus dilatando, contrariam parte aperiendo, & alia innumera tumultuari præſtando. Circa quæ omnia temperatum eſ vulnerarium oportet, ut ratione morbo obſ- ſtere valeat: quod (niſi caſu) facere non po- terit, cauſam ſupervenientium ſymptomatum ſi ignoraverit. Libuit hæc nunc repetere, *quo* in rebus periculo plenis, in quibus temerariè, vel inconſulto, non raro peccant *parum* in arte exercitati, attentos hos magis *reddamus*.

§. 5. Quum itaque glans in membro *adhuc* eſt repoſita, eam, ægro decumbente, arte, &, quoad ejus fieri poterit, citra dolorem, aucupare; quam, ſi inveneris, educas. Verum animadverte, ne deceptus os trahas, ratus glandem eſſe. Oſſa autem, niſi omnino ſint à membranis ſejuncta, vi educi non debent, ut ſuperius dictum eſt. Ipſum vulnus, perinde ut ſimplex curandum eſt, ſive glans utrinque pervaſerit, ſive non. Vena ſecanda ex oppoſita parte. Deinceps in ſtrato reducendus æger eſt, & affectum membrum ſic accommodandum, ut quietum ac immotum, pro viribus, conſervetur. Quod fit, ſi *inſtrumentum cavum ex ære, ferro, ligneve*, prout fieri ſolet in fracturis, ut membrum indicat, paraveris, goſſipioque vel ſtuppis mollioribus munieris, ac in eo commode illud repoſueris. Membrum autem nec vitta, nec alio ligamentorum genere ſtringi nec ligari debet, ne coactus ſis, in quacunque curatione illud movere. Fieri autem non poteſt quin doleat, dum

*Figuram vide apud Guillemaũ Tab. ult. & Scultetum Tab. 26. fig. 2. & 3.*

dum fractum membrum movetur. Præterea, non perinde, ut in ſimplicibus fracturis commendantur ligaturæ, ſic & in hac conferre cenſendum eſt. Nam in illis reunitio tantum affectæ partis expectatur; hîc autem primo extranearum rerum ablatio, mox deperditæ ſubſtantiæ reſtauratio, & ſeparatarum partium unitio vel copulatio: quæ omnia, non niſi temporis diuturnitate, fiunt. Quare hîc prorſus, quaſi capitalis hoſtis, ligatura cavenda eſt: omnique induſtria immotum membrum ſervandum & collocandum, ut perinde atque naturalis ejus figura expetit, ſic quieſcat: alioquin nil refert, etiam ſi octo primis diebus declinet à naturali figura, modo dolorem non percipiat: Nam hic eſt qui arcendus venit.

§. 5. Aſt quia plerunque contingit, vulnus ea membri parte eſſe quæ lecto inſiſtit, puta in poſteriore cruris, vel brachii, parte, cogens artificem, quacunque curatione, membrum elevare: quo inquam, minore motu, minoreque noxa, id fiat, *inſtrumentum ex area lamina* paretur, in quo membrum reponitur; ſcindatur, vel perforetur ea parte, qua vulnus reſidet; ſic ut commode hoc videri curarique poſſit, dum ſimul cum inſtrumento, è ſtrato membrum levatur: unde, renovatis medicamentis, in proprio loco recondatur, ſub vulnere nitido goſſipio, vel linteaminibus mundis, vel ſtupa, quacunque cura, innovatis, ne hæc, ſua putredine, putridum ulcus reddant. Præterea, hîc moleſtæ ſunt flammulæ ſive

lychnia, quæ utrinque ducuntur: eo qui iis offium aſperitates affigantur, unde nec ſine dolore educi poſſunt, nec ſine magno dubio ſauciandi nervi, vel venæ lacerandæ, quæ quandoque illic proxime offeruntur; quæ demum magnum negotium exhibent. Quare ſatius eſſe aſſero, exiles turundas, ex molli linteo, unguento illitas, immittere, quam flammulas illas, quæ ſane quidem ſæpe flammam in membris excitant, niſi exiles ſint.

*Purgatio.* *Purgetur* patiens, ſecundo vel tertio die ab accepto vulnere: ſed, ne motu patiens membrum gravetur, præcipue ſi ſit affectum crus, è ſtrato non ſurgat, ſed *vaſculo* ſub ſede poſito, alvum exoneret, donec os ferruminatum fuerit: quod ante dies quadraginta fieri, non ſolet. *Frictiones*, vel *ligatura* in contra partes, conferent, ſi ratione adminiſtrentur. Primis diebus *tenuiſſimo victu*, reliquis paulo pleniore, eſt utendum, perinde atq; virtus ac morbus oſtentant.

*Vaſculi delineatio eſt apud Hildanum l. de Gang. & ſphac. c. 24.*

*Victus tenuis.*

§. 6. Quod genus curationis non aliter variatur, ſi ſint juncturæ affectæ, niſi quod, cum partes eæ calore naturali magis depauperatæ ſint, quam carnoſæ, difficilius humorem ad eas delatum concoquunt, ægreque reſolvunt. Quare majore diligentia uti operæpretium eſt, quo non fluat humor: & is, qui jam eſt fluxus, coquatur, & in pus ac in vaporem vertatur expellatusque. Ad quod munus conferunt maxime, ſi *unguento ex præcipitato* aliquid *olei de terebinthina*, vel *balſami artificialis Joannis de Vigo*, vel *Hypericonis*, vel *euphorbii* momentum addideris: vel quippiam tale, quod partis affectæ natu-

*Quare junctura difficilius curentur?*

naturalem calorem conſervet ac roboret. In vulnere puta hoc unguentum conferet: *Recipe butyri recentis, terebinthinæ claræ, ana* ℥ ß. *olei de terebinthina, vel balſami artificialis, vel hyperici* ʒ iij. At in hyberno tempore, vel temperatura corporis frigidiore, toti compoſitioni addere poteris *euphorbii* ℈ ß. Supra vulnus *unguentum* factum *ex toto ovo, cum roſaceo, & tantillo croci ac farina hordei* ſimul miſtis, ac crudis: parum calide ſi hyems; tepide, ſi æſtas ſit: Nam partes nervoſæ difficulter ferunt frigidum. Aſt coctione apparente, ad ea quæ *mundificant*, recurre: quibus ſi *balſami præſcripti*, vel *ireos*, vel *euphorbii* aliquid, addideris, proficies. *Abſtergentium* medicamentorum uſus tamdiu juvat, quandiu oſſa (ſi aliqua fracta ſint quæ iterum jungi non valeant) intus remanſerint; quæ (niſi urgente neceſſitate) vi educi non debent, donec natura à membranis ligamentiſque expoliaverit: *Victus* præterea ſit *tenuis*. Sed de his ſatis.

---

## CAP. XXI.

### *De Ambuſtis.*

Ambuſti flamma ex pulvere concitata, non alia ratione, nec aliis medicamentis curam poſtulant, quam qui aliis ignibus uruntur. *Vide Hildanum Tractatu peculiari.*

§. 2. Si igitur non exulcerata cutis ſit, ſummopere prohibent veſicationem infraſcripta unguen-

*Veſicas prohibentia.* unguenta, videlicet, *oleum ex olivis cum ſale*, vel *oleum amygdalarum amararum ſimplex*, vel cui parum ſalis ſit admiſtum, vel *oleum amygdalarum dulcium adjecto ſale*: vel illud, quod vulgaribus eſt familiariſſimum, *duplum* ſcilicet *ſucci caparum*, & *ſimplum vernicis liquidæ*.

*Remedia ad ambuſta.* §. 3. Si autem veſicæ, & ulcerationes aliquæ adſint, confice hoc unguentum: *In oleo olivarum coquito ex ſecunda cortice ſambuci*, abundanter; deinde, eo colato, adde *ceruſſæ partes duas*, *plumbi uſti*, *lithargyri*, *ana partem unam*, in mortario plumbeo diu miſceantur, & fiat *linimentum*. Veſicæ nec prima, nec ſecunda die ſunt rumpendæ, ſed tertia, vel quarta: nam quandoque diſſolutione ſola ſanantur. Quod ſi à principio aperiantur, dolorem diu inferunt, ac curam remorantur. Aperiendæ ſunt *acu* tantum, quo contentus humor exeat. Sedatis ſymptomatibus flammam ſequentibus, curationis reliquum tale eſſe debet, quale alia ulcera exigunt, prout eorum ſimplicitas vel compoſitio indicabunt, non omiſſis in principio repellentibus revellentibuſque, ac reliquis ingeniis præſervativis, perinde ut affectus magnitudo indicabit.

## CAP. XXII.

### *De Phlegmone.*

QUanquam nihil omiſerit Chirurgus eorum, quæ artis ſunt, non modo quæ ad

propri

proprii affectus curam ſpectant, ſed etiam ad ſymptomatum proviſionem: nihilo ſecius evenit ſæpe, ut phlegmone affectam partem infeſtet, vel ob patientis errores, vel ejuſdem malum habitum, vel morbi magnitudinem. Quare quomodo, quibuſve ingeniis, huic ſuccurrere oporteat, hîc inſerere operæpretium eſſe duximus, ne (etſi omnia, quæ ad hoc noſtrum inſtitutum utilia eſſe cognoſcimus, deſcribere non intelligamus) eorum ſaltem, quæ maxime ſint neceſſaria, quicquam omiſiſſe videamur.

§. 2. Hîc igitur phlegmonem dicimus, inflammationem, in parte aliqua noſtri corporis, ex impetu humoris influentis, excitatam. Itaque cum hæc imminet, ejus cauſa perveſtiganda eſt, inventaque oppugnanda. Aſt à quacunque cauſa fuerit concitata, ab initio *repellentia* æſtuanti ipſi parti ſunt apponenda: contrariis verò *retrahentia*, ut vincula, phlebotomia, frictiones, balnea, purgatio: præterea quies, ac tenuis victus. Cæterum hæc (ſi ratione adminiſtrentur) quocunque morbi tempore conferre poſſunt. Quum vero fluxio reſtiterit (quod oſtendet ſymptomatum remiſſio, ruboris, videlicet, doloris & tumoris) ad *diſſolventia* tranſeundum eſt. Verùm non ſtatim per ſe, ne calor revocetur, ſed repellentibus admiſta, utputa *chamæmelum cum oxycrato*, vel *lactuca* vel *polygoni ſucco*, vel cum iis ſimilibuſve miſtum vetuſtum *olivarum oleum*, vel quod cum *lilio*, vel *anetho*, vel *pulegio*, vel *rutha*, confectum eſt; vel aliis, eadem potentia præditis.

*Phlegmone quid?*

*Et quomodo curanda?*

§. 3. Sed

*Dolorem ſedantia.*

§. 3. Sed interdum moleſtiſſimos dolores facit phlegmone: quo fit ut ad eos ſedandos convertantur auxilia. Leniunt autem dolores *ſpongiæ* in *tepida aqua* madidæ, vel *lacte tepido* frequenter immutatæ; vel *cataplaſmata* ex *pane* vel *frumenti farina*, vel ex *furfure in aqua*, vel *lacte*, vel *ſapa* cocta. Hæc autem duplici ratione juvant, & leniendo dolorem, & aliquid exiſtentis materiæ diſſolvendo. Dolore remiſſo, ad diſcutientia te conferre oportet, ut *furfur*, vel *hordei farina*, vel *roſarum pulveris duplum*, & *camomillæ ſimplum*, in *ſimplo hepſemæ*, & *aquæ duplo*, more cataplaſmatis, cocta. *Vel Recipe florum roſarum* craſſo modo tritarum ℥ iv. *florum camomillæ* ℥ ij. *aquæ fontis partes duas*, *ſapæ partem unam*: ad ignem bulliant, & fiat cataplaſma. Vel *furfuris* ℔ j. *aquæ fontis partes duas*, *ſapæ partem unam*, bulliant ad integram cocturam, & calide applicentur. Magis autem hæc diſcutiunt, quam quæ ex glutinoſa aliqua materia parantur, quæ ſuo glutino poros cutis occludunt, & tranſpirationem humorum prohibent. Præſtantiſſime autem diſcutit ex *aqua calida fotus*.

*Hepſema idem quod ſapa* [illegible]

*Medicamenta reſolventia.*

*Si diſſolventes non proſunt, ſuppuratio tentanda.*

§. 4. Verum quum phlegmone diſcutientibus præſidiis, doloremque lenientibus, non cedit, illam ad *ſuppurationem* tendere intellige. Quare eo tempore, medicamentis pus accelerantibus, auxilium præſtandum erit. Sunt autem ea, quæ calefaciendi cum humectatione vi pollent: potiſſimum vero id efficit, quod, cum calore aliquo, glutinis inſtar, cutaneos poros obturat; hinc enim fit, ut incluſus inna-

natus calor, magis expedite concoquatur, quod concoqui eſt habile. Talium igitur medicamentorum compoſitio, ex *triticea farina* cum *ſapa & oleo* fit, vel cum *aqua* loco ſapæ: & melius, ſi calor multus in particula manifeſtetur. Quod ſi cum pituita, quæ lente conquitur, fuerit miſtus humor, ex *farina lini ſeminis* vel *fœnugraci*, paretur cataplaſma: nam ubi calor internus potentior eſt, externa ope minus eget. Ubi vero pus jam collectum perceperis, & id in parva ſit copia, ad medicamenta diſſolventia confugies: nam ſæpe per inſenſibilem tranſpirationem diſperſum vidimus, præcipue ſi in parte carnoſa conſtiterit. At, ſi diſſolutioni repugnet, emiſſarium fiat, ubi cutis tenuiſſimam ſe oſtenderit: nam ea pars eſt, quam infimam perpetuo intelligere debemus in aperiendis ſinibus. Hoc facto, ſi ſinum magnum inveneris, non protinus totum pus educes, nec prima die, ſed paulatim evacuabis: & medicamenta, quæ mediocriter ſiccent, ſuperpones, ut *cataplaſma* ex *hordeacea*, *fabaceaque farinis*, cum *lixivii parte una* & *ſapa partibus duabus* incoctis. In cavitate vero turundæ, imbutæ medicamentis abſtergentibus cum exſiccatione, ut *mel cum hordei farina*, & *pulvere ireos*, & ſimilibus. Sed quum plerunque phlegmonem gangræna ſequatur, oppido perquam utile erit, nunc de hac ſermonem habere.

*Pus maturatia.*

*Quando pus collectum eſt, per inciſionem educere oportet.*

*Vid. Aquapend. l. de Tum. p. n. c. 6.*

CAP.

## CAP. XXIII.

### De Gangræna.

Gangræna quid?

GAngrænam (p) vocamus, cum pars aliqua noſtri corporis, poſt vehementem inflammationem, vel venarum prænimiam repletionem, ad interitum labitur, nondum tamen penitus extincta eſt.

§. 2. Fit autem eodem modo, eademque materia, atque phlegmone ipſa, hoc *duntaxat* ab invicem diſcrepantia, quod ſcilicet in gangræna valentius ſint impacti humores, & partis affectæ vaſa omnia ad ſummum expleta, ita ut non perinde ac in phlegmone, facile vel in halitus diſſolvi, vel in pus converti poſſint. Multitudine ſiquidem potius, quam humoris malitia, in hoc affectu ſuffocatur innatus calor: quo fit, ut neutrum illorum non modo peragere, verum neque aggredi *ſatis* valeat, ſed extemplo in (q) ſphacelon, ſeu omnimodam corruptionem, migret, niſi ocyus artificis ope levetur.

§. 3. Curatio igitur eſt repente ſolvere, quod extreme repletum eſt, quo rurſus nutriri incipiat. Sed, ut id facias, membri nigredo expectanda non eſt (ut quidam conſulunt.) Vanum autem eſt auxilium poſt mortem oblatum. Ergo, quum videris membrum in magnum tumorem, & quoquo modo durum, eleva-

(p) Gangræna eſt inflammatio mortificans.

(q) Sphacelus eſt mors partis.

elevatum, vel utcumque inflammatum, quod livescere incipit, ſcalpello cutem in variis locis punge, ut intelligas an ſenſus adhuc integer ſit: nam incipit ſæpe magis ex una parte, quam ex alia, prout vel ſitus, vel venarum exiguitas conſenſerint: Nam fermè ſemper membri partem, quæ nulla re premitur, & ampla continet vaſa & libera, in gangrænam primo tranſire videbis. Id namque ſæpe experientia novi, quod ratione deinceps comprobavi: Pars enim, quæ lecto ſuperſedet, premitur totius membri pondere: hinc fit, ut vaſa ejuſdem partis difficile repleantur, & poſtremo gangrænam experiantur. Si vero adhuc per omnes membri partes ſenſus fuerit integer, & vena aliqua in eodem membro manifeſtetur, hæc ſecetur, quam proxime tumidæ parti fieri poteſt, & ſanguinem protinus mitte abunde: Deinde, membrum iſto, vel ſimili cataplaſmate, foveto, *Recipe farinæ hordei, lentium, ana* ℥ vj. *florum camomillæ* ℥ ij. cum *ſapæ, & lixivii optimi aquæ portione* bulliant, & fiat *cataplaſma* mediocris conſiſtentiæ; quod dentum calidumque, quantum ſufferre commode poſſit, ſuper craſſo linteo extendatur, & membro applicetur. Si vero ſenſu hebeti eſſe cutis incœperit, eam abſque mora multis plagis novacula aperias tam profunde, quouſque ſcarificationes perfecte ſentiat: diſtent autem inter ſeſe duobus digitis tranſverſis: fiant per muſculorum longitudinem. Nam hoc remedio plures liberavimus: imo neque aliud præſtantius, neque tutius, ſi tempore uſurpetur,

*Signa gangrænæ.*

*Cura ejuſdem.*

*Si ſit hebeti ſenſu prædicta pars.*

*Scarificanda profunde.*

*Et medicamentum adhibendum.*

invenies. Atque, ubi ſanguinis ex his ſatis fluxerit, infraſcripto medicamento eas repl oportet. *Rec. mellis* ℥ j. *præcipitati* ℥ ß. miſ & utere: vel, loco hujus, *unguentum ægyptiac* & id genus alia. Verum doloroſum eſt ægypt cum, nec æque bonum ac primum. Iis p actis, totum membrum infraſcripto catapl mate, denſo ac calente, quantum ſufferri p teſt, foveatur: *Rec. farinæ hordei, lolii, lupi rum & lentium, ana* ℥ vj. *mellis partem unam ſapæ partes quatuor, lixivii boni partem unam*, a ignem fiat cataplaſma. Sat erit ſemel in die ſimilia medicamenta admovere, niſi ichor plurimum emanaverit, vel æſtivum ſit tempus: nam tunc bis in die renovare medicamenta licebit. Duobus tribuſve diebus præteritis à ſcarificatione, medicamenta, quæ le vius abſtergant, cum exſiccatione & ſine morſu, imponenda ſunt, ut hoc, quod *Rec. mellis ſpumati* ℥ j. *terebinthinæ* ℥ ß. *aloës, farin hordei, ariſtolochiæ rotundæ, ana* ℥ j. miſce a uſum. Supraſcriptum autem cataplaſma juvabit, etſi per ſex vel octo dies uſurpetur, verum mutato lixivio, ut ſcilicet ejus loco *vinum* addas, vel ſolum, vel pari quantitat cum ſapa miſtum. At cum plagas abſterſas, beneque diſpoſitas, inveneris, perinde ut reliqua ſimplicia ulcera curanda ſunt. Sed neca re erit, ſi validæ fuerint vires, ad contrari revellere, ſanguinis miſſione, vel purgatione Quod ſi virium robur ſatis non reſpondeat, ad ea te conferes, quæ ſine evacuatione in contrarias partes humores evocant, ut *balne calenti*

*alentis aqua*, *vincula*, *frictiones* mediocriter aſpe-ræ. Sit *victus* (ſi vires ferant) *tenuiſſimus*: magiſ-que in calidum, quàm in oppoſitum inclinent aër ambiens, & quæcunque apponuntur: ne tamen quid nimis. *Alvus*, ſi munere ſuo non fungatur, *clyſteribus* eſt excitanda. Collocetur affecta pars, ut reliquis ſibi continuis emineat, vel ſaltem non inferius exiſtat.

§. 4. Verumenimverò, cum non rarò membra in ſyderationem ſeu ſphacelon (ſi ſic appellare mavis) incurrant, ob id opus erit labore non indignum, explicare, quomodo, & quando illa amputanda ſint, ac quibus remediis mox ſuccurrendum. Aliquos mehercule interire vidimus propter ineptiam artificum, errantium circa principia, vel formidine hujuſmodi operis. Quare hic Chirurgus exercitatiſſimus deſideratur, ac omni formidine ſpoliatus, intelligens, præſtantius & minus tetrum eſſe, membrum unum, ſpe conſervandi reſidui, auferre, quam illo relicto, omni ſpe dempta, totum corpus, ſine præſidio, interire. Quum itaque membrum ſphacelatum inveneris, extemplò ablationi intende: nam facilè proximæ partes corrumpuntur, ſi diutius cuncteris. Cognoſcitur autē livore ejus, cui adjuncta eſt motus & ſenſus abolitio. Nam cum ad oſſa uſque, vel profundiſſimas membri partes, plagæ multæ ſine ſenſu fiunt, ſyderati jam membri firmiſſimum argumentum eſt: quare ſcarificando profundius verſus ſanam partem, quoad ſenſum aliquem percipiat, percurrendum eſt, quò certior fias, quid auferre, & ſinere quid conveniat.

*De ſphacelo, & ablatione membri ſphacelati.*

*Signa ſphaceli.*

*Locus amputationis.* §. 5. Detruncatio autem fieri debet, int terminos gangrænæ & ſphaceli; ſive, (ut cla rius percipias) intra partem prorſus emor tuam, & eam quæ ſtupidum adhuc ſenſum ha bet. Nam quod omnino emortuum eſt, totu auferendũ eſt, & quod ſenſum adhuc aliquen in ſe habeat, quantumcunque obtuſius is fuerit totum conſervandum: Nam id, quod gangræ na tantum occupatur, in naturalem habitum reduci adhuc poteſt. In juncturis *ipſis inciſio* non fiat, ſed infra, vel ſupra eas. Si *igitur* quic quam junctura ſentiat, puta vel cubitus, vel genu (nam circa has ut plurimum ſectiones fieri accidit) infra ſecare oportet. *Inciſio* autem minus periculoſa eſt, quò magis à principalibus partibus diſtat, ſi ipſa ratione *fiat*: Si verò penitus expers ſenſus fuerit, ſupra illam ſectionem facere expedit.

*Inſtrumenta amputationis.* §. 6. Duplici modo magna membra chirurgica ars, dum fas eſt, amputare ſolet: Nempe (1) *ſerra* & (2) *cultro*; parva verò (nimirum digi-

(1) Serram aliqui adhibent, ſuperius arcuato ferro inſtructam, ut magis ponderet, & os citius diſſecet: quod tamen omnino neceſſarium non videtur. Multi ſerræ folium rigidius vel flaccidius efficere norunt: veruntamen, ubi ſemel ſufficientem nacta fuerit firmitudinem, ſupervacaneum etiam hoc eſt. Præcipue attendendum eſt ad duo, 1. ut folium, quo magis à dentibus eſt remotum, eo ſit tenuius; hoc enim pacto progreſſus ſerræ non impeditur. 2. ut dentes probe ſint limati, ab utraque parte, ſed contrario modo: deinde, ut ſucceſſivè unus dens dextrorſum, alter ſiniſtrorſum paruumper incurvetur. His poſitis, & facilis & nitida, citra aſperitates, per ſerram fiet oſſis diſſectio.

(2) Cultrum intelligit inſtar corniculatæ Lunæ falcatũ.

(3) Quod

digitos) cultro tantum. Ubi igitur ſerra negotium præſtandum eſt, ſit primò hæc præſto, qualis res ipſa expoſtulat, quæ & tenuis ſit, & dentibus bellè acuminatis. Exſtet *novacula*; in promptuque ſint *candentia cauteria* quatuor, duo nempe, quæ latum veluti ſcutum, rotundum, planum & denſum, præfixum habeant, ad cruſtam univerſæ ſectioni inducendam: cætera duo, quæ quaſi glandem vel olivam, vel pinus nucem, referant, ad venas vel arterias conſtringendas. *Utriuſque ſchema conſpice inferius.*

§. 7. Omnibus iis paratis, à loco ſectioni proximo totum membrum *vitta* ſtrictiſſimè ſurſum obducatur; mox ſpatio digiti unius, ſupra id quod amputare decretum eſt, gemino vinculo, arctiſſime conſtringatur: ſit primum latitudinis duorum digitorum, vel paulò minus; alterum verò, quod primò ſuperinducendum eſt, ſit illo medietate anguſtius: ſint utraque ex fortiſſimo lino, vel alia quavis materia tenaci conſtructa, ne facilè rumpantur: quæ ſic nodentur, ut, dum libet, expeditè laxari poſſint. Protinus, hac ligatura firmata, obturentur aures & oculi, ne horreat: ſtringantur artus ſani, quò, revocato ad hos ſanguine, minor fiat effuſio. Interea dum hæc ſunt, alter miniſter, ſub axillas & ad inguina, oxyrhodino lanam aut lintea imbuta ac compreſſa, applicet; deinde eveſtigio, manu ponderoſa ac firma, ſine formidine, molles quæque partes novacula, uſque ad os ipſum, ſic circumcidantur, ut ne quicquam remaneat præter os, quod & ipſum actutum ſerra eſt amputan-

*Vinculorum injectio.*

*Modus operationis.*

putandum. Cæterum, niſi celeriter fiat, maxima ſequitur ſanguinis & ſpirituum effuſio: quæ duo repentè cohibenda ſunt candentibus ferris; reſtricta primum arteria, mox vena. Ad quod negotium duos miniſtros eſſe oportet, qui uno temporis momento (ſi ſic dicere liceat) utrunque vas conſtipent, mox reliquum ulcus tenui cruſta obducant. Hoc præſtito, vincula affecti membri ſtatim ſolvenda, & ulcus curandum, ut mox dicetur.

§. 8. Verum enimvero modus hic, & *doloris* diuturnitate, & prænimia evacuatione, *tum* ſanguinis tum ſpirituum, oppido perquam *brevi* effœtas reddit vires: unde plerunque mors tandem ſubſequitur. Quare præſtantius eſſe cenſerem, altero modo hæc ſecare, videlicet cultro. Cæterum major cura eſt adhibenda in magnis membris amputandis, quam ſi digitus tantum ſit; nam hic facile demitur: collocatur autem ſuper banco, filtro vel exiguo pulvillo ex goſſipio ſubmiſſo; mox illi acies gladii, vel ſcalpelli plani ac lati, optime acuminati, quaſi ad perpendiculum, aptatur, &, inſtar cunei, ligneo malleo adigitur, ut unico ictu opus peragat. Pro magnis verò membris (t) alius modus eſt excogitatus: nempe, cultri duo lati, quorum

*Modus alius pro magnorum membrorum amputatione.*

(t) Quod ad hunc modum, à Botallo propoſitum, attinet, ſæpiſſimè is mihi in mentem venit, antequam hunc autorem legiſſem. Occaſio de eo cogitandi, hæc fuit, quod Venetiis non ſemel vidiſſem, & citiſſimè & exactiſſimè capita facinoroſorum detruncari, poſita cervice intra duas columnas ligneas ſulcatas, impoſitoque ferro lato, & acie prædito non vulgari; quod ferrum cervici impoſitum, malleo ligneo

quorum unus intra duas columnas ligneas cippo infixus eſt, aciem ſurſum producens, alter verò, intra eaſdem columnas, ſuperiore loco, ponitur; qui adamuſſim deſcendat, ut aciem acie fricet. Hic autem, quominus labatur, ſulco, in utraque columna facto, recipitur, ut, quaſi fiſtuca, ſurſum deorſumque ferri libere poſſit; non ultro citroque: & quo ſuo ſolo deſcenſu ac pondere, totum membrum detruncet, cippo vel plumbo onerandus eſt quantum ſatis eſſe videbitur, vel ipſe quoque cædendus eſt ingenti ac gravi malleo ligneo, ut unica illiſione opus abſolvatur: ſed melius eſt ſi inſtar fiſtucæ cadat. Modus autem hic, eo qui ſerra efficitur, multo tutior eſt, facilior & celerior, imò etiam fermè citra dolorem: adeo ut Regius Chirurgus, magiſter Iacobus, cognomine Regius, vir in arte ſua, cum doctrina tum experientia, exercitatiſſimus, fateatur, ſua opera nonnullos vivere, ſimili inſtrumento crure mutilatos, qui putabant ex lychnio ignis ſcin- *Iacobus Regius Chirurgus.*

 tillam

gneo adigebatur, vel ex chorda ſuſpenſum, eaque cultro diſſecta, ſuo pondere deſcendebat. Cæterum, cur duos requirat cultros latos autor noſter, equidem imaginari mihi non poſſum. Celeberr. *Hildanus lib. de Gangr. & Sphac. c.* 17. monet Tyrones, ut diligenter ſe caveant ab hoc modo; quoniam, inquit, & os nimis contunditur, & fiſſuram minatur: Ad quæ reſpondeo, acutiſſimæ aciei inſtrumentum eſſe debere, & licet parva quædam in oſſe fieri poſſit contuſio, ea tamen facilè vincitur, & facilius multo, quam aſperitates & inæqualitates, quæ ab uſu ſerræ relinquuntur. Sed primo hæc in animalibus vivis per praxin ſunt obſervanda, antequam in homine inſtituatur experientia ignoti apud nos inſtrumenti, de cujus tamen ſucceſſu cur dubitemus, rationes non video validas.

tillam ſuper pedem incidiſſe, cum *detruncatum* membrum eſt: quod non evenit niſi actionis ejuſdem inſtrumenti celeritate, quæ, quantum commodi ferat, ſolummodo prudens artifex novit, & qui in talem calamitatem incidit. Nam præter id, quod dolor exiguus & momentaneus eſt, ex arbitrio etiam artificis, illico arteria & vena occluduntur; quod *non* pauci eſt momenti. Imo quidem ex *iis*, qui à cæſis membris intereunt, plures ob *effuſum* ſanguinem occidunt, quam ob aliam *cauſam*. Nam interea, dum ſerra oſſa ſecantur (*præter* id quod & plerunque multas nervoſas partes, à novacula relictas, hæc miſere lacerat) perpetuo ſanguinem & ſpiritus fundunt *ſectæ* venæ & arteriæ: Quare non poſſum *non* vehementer hoc loco ſerram vituperare, & ex adverſo cultros laudare ac commendare. *Sed* qui vel animi prudentia, vel ſtupore, vel artis imperitia, non facile ad inſueta tranſeunt, *ſtatim* opponunt oſſium confractionem, vel carnoſæ partis contuſionem, vel operis crudelitatem. Aſt hæc nulla prorſus eſt, ſi cum ea, quæ ſerram conſequitur, conferatur: & contuſio nulla fit, ſi cultris acies, prout licet, fuerit adducta: Nullius etiam momenti eſt oſſis confractio, cum facile fragmenta, hoc loco, arte deducantur, vel à Natura rejiciantur.

*Objectionum ſolutio.*

§. 9. Quum igitur negotium ipſum obeundum eſt, candentia cauteria habenda ſunt præſto; Apponenda ad axillam vel inguen repellentia; aures obturandæ, oculi avertendi: & membrum, prout dictum eſt, ligandum. Poſtea

ſtea ſic inter utramque aciem eſt collocandum, ut (ſi infra cubitum vel genu ſectio fiat) ambo oſſa æqualiter inferiori aciei inſiſtant, non autem unum alteri ſuperſiſtat: (non idem obſervandum eſt, ſi ſupra genu vel cubitum ſecare expediat, quod unicum tantum os ſit) deinde repente à ſano ſegregandum: Mox ad cauteria deveniendum eſt, quibus arteriæ & venæ cohibentur, incepto opere ab arteria; nam ſanguinis aliquid effluere utile eſt: deinde protinus tenuis cruſta inducenda, perinde atque ſuperius juſſum eſt: inde vincula ſolvenda, & totum ulcus, cum adjacentibus partibus, obtegendum medicamento confecto *ex roſaceo, ovo, & bolo armena*, quod tepidum applicetur: uſurpetur hoc biduum. Diebus ſequentibus, quo cruſta decidat, infraſcripto medicamento uteris: *Rec. butyri non omnino recentis nec vetuſti*, ℥ v j. *lavetur per horam in ſucco porri*, ſuccum bis terve renovando, cum quo cruſta implaſtretur. Quod ſi porrum non adſit, *butyrum* ſolum, vel *ſuilla axungia, non admodum antiqua*, ſatisfacient. Et cum cruſtam jam ſeparationi vicinam eſſe noveris, butyro ſimplici, vel axungiæ recentis, *mellis* tantundem immiſce, & utere. Illa deciſa, medicamentum, quod mediocriter exſiccet cum abſterſione, conducet: cui ſuccedant cutem generantia, quæ ſcilicet potentem exſiccandi ſine morſu vim habeant; quorum exemplaria infra exponere non pigebit, eorum maxime, quæ familiari nobis uſui fuere.

§. 10. Sed virtus hîc poſtponenda non eſt, eo quod facile labaſcat, cum propter dolo-

 rem,

rem, tum propter evacuationem multam ſanguinis ſpirituumque; præcipue ſi per ſerram opus fiat. Quare per horulam ab opere, præter rationem non erit, infuſum panem in vino paucifero dare: Nec aggredienda res eſt ſtomacho vacuo; ſtatim enim moleſta ſyncope præhendi ſolent: nec eo repleto, ne cibus, propter agitationem, corrumpatur, vel in venas meſaraicas omnino incoctus trahatur.

## CAP. XXIV.

### *De Formulis medicamentorum, tum intus tum exterius adhibendorum.*

TRanſeamus nunc ad medicamentorum formas explanandas, quæ tam pro præſervatione, quam pro curatione, nobis, cum proſpero exitu, frequenti uſui fuere: à debilioribus itaque auſpicemur, & omnia breviter ſuo ordine diſponamus.

§. 2. *Putridam carnem removentia.* Carnem contuſam ad putrefactionem accelerant, quæ facile corrumpuntur; vel quæ calida, & humida facultate ſunt: ut *ovi luteum*, *oleum* tum *commune*, tum *amygdalarum*, & quod *ex ſemine lini* vel *fœnigraci*, vel ſimilibus fit; *butyrum recens & vetuſtum*, ſed hoc magis: verum propter calorem recens magis laudo. *Axungia porci*, *medulla crurum vitulorum*, *boum*, *porcorum*, & id genus alia. Verum enimvero adhuc celerius illa à ſana ſegregatur (quod eſt præſentis rei ſcopus) colliquantibus, ac vehementer ſiccan-

ſiccantibus, medicamentis, quale *præcipitatum*, quod omnibus (hoc loco) ſui generis præfero: præterea *Alumen, æris viride, chalcanthum, ſandaracha, ſublimatum*, & quæ ex iis fiunt medicamenta. Verum horum nullum apponendum eſſe per ſe conſulo: dolorem namque excitant plurimum, præcipitato excepto; nam ipſum minime dolorem affert, quod etiam butyro excipimus. Si vero hoc præſto non ſit, viride æs uſtum vel purum cum butyro miſcemus, vel chalcanthum, vel ſublimatum. Sed hæc fortiora non uſurpanda ſunt, niſi magna fuerit corruptela, quæ vi Naturæ, vel ope debilium medicamentorum, ſeparari nequeat. In iis autem & *ægyptiacum* dictum *unguentum* ponimus, quod *ex aceti partibus ſeptem; floris æris partibus quinque, mellis partibus quatuordecim* conſtat; cui quandoque *alumen* & *ſublimatum* immiſcetur, ut fortius reddatur. *Ægyptiaci compoſitio.*

§. 3. *Abſtergentia, & carnem generantia.* Abſtergunt, *ſuccus myriophylli, verbaſci, apii, roſarum, plantaginis, chelidonii, terebinthina, terebinthus, vinum, hepſema, mel*. Sed quia, cum abſtergere intendimus, leviter etiam exſiccare debemus, iſtis addimus *hordeaceam*, vel *fabaceam*, vel *ex loliis*, vel *lupinis*, vel *lentibus farinam*, vel *ariſtolochiam longam*, vel *rotundam*, vel *iridem*, vel *roſas*, vel *graminis radices*, in tenuiſſimum veluti pollinem redacta. Si valentius abſtergere intelligamus, vel *præcipitati*, vel *aluminis*, vel *floris æris uſti* portiunculam, toti maſſæ addemus; vel *ægyptiacum* appellatum unguentum; vel id genus alia, plus minuſve exſiccantia vel abſtergentia, prout ulcus ipſum oſtendit:

dit. Nam, ubi pus ſeparatum eſt ab [illegible] contuſum, levante abſterſione, ac leviore exſiccatione, egemus, quo deperdita caro regenerari citius valeat. Nam quæ leviter abſtergunt, modiceque exſiccant ſine morſu vel cum minimo, novam carnis generationem non impediunt.

§. 4. *Cicatrizantia.* Cicatricem inducere dicimus, quæcunque ſuperfluam ulceris humiditatem moderate exſiccare poſſunt, ac, ſi fieri poſſit, ſine mordicatione, ut *balauſtium*, *gallæ immaturæ*, *balauſtiorum putamen*, *viridium æris cortex*, *ruſci ſuper alum uſta*, *gallæ cupreſſi*, *plumbum uſtum*, *tutia*, *lithargyrum*, *ceruſſa*, *bolus armena*, *terra Lemnia*, *alumen*, & ſimilia; vel ex iis confecta emplaſtra: præterea *fomentum ex auſtero vino*, in quo ſint cocta quæ vi pollent adſtringente & ſiccante, ut *balauſtium*, *gallæ*, *alumen*, & ſimilia.

§. 5. *Repellentia.* Repellunt quæ frigida ſunt, & quæ adſtringenti facultate ſunt prædita, ut *aqua ſimplex*, *ſtillatitia*, *decocta* vel *ſucci herbarum frigidarum*, ut *lactucæ*, *plantaginis*, *polygoni*, *majoris ſcil. & minoris*; *ſolanum* & *ſempervivum*, *tum rubi*, *tum vitium*; *myrtus*, *balauſtium*, *gallæ cupreſſinæ*, *omphacium*, *acacia*, *mala punica ſylveſtria*, *meſpila*, *ſorba*, *alumen*, *atramentum ſutorium*, & alia hujus generis: ſed hæc mineralia, cum humidis ac frigidis miſcenda ſunt.

§. 6. *Diſſolventia.* Diſſolvunt, quæ calefaciunt & humectant, & quæ cum calore leviter exſiccant, quæ omnia anodyna dici poſſunt, ut *aqua calida*, *vinum calidum*; omnia *balneorum* genera, modo ea arte vel natura ſint calida; emplaſtra, olea, linimenta ex calidis medicamentis,

mentis, ut *anthemis*, *ſemen lini*, *fœnumgræcum*, *mentha*, *nepeta*, *ſerpillum*, *calamenthum*, *pulegium*, *urtica*, *meliſſa*, *arthemiſia*, & alia plura, quæ à Galeno, Dioſcoride, & reliquis, qui ſimplicium medicamentorum facultates ſcripſerunt, colligi poſſunt, ac experientia comprobari: è quibus, parvo negotio, prudens & exercitatus Medicus atque Chirurgus ad uſum medicamenta component, prout ipſa morborum complicatio indicabit. Conferunt præterea *fomenta ex calido lacte*, vel *cataplaſmata ex pane trito in lacte cocto, cui ovorum vitella, & paululum croci, ſint addita:* vel *furfur triticeum in ſapa coctum*. *Quid Anthemis ſit vid. apud. Dod p. 1. l. 2. c. 15. & p. 2. l. 8. c. 15.*

§. 7. At de iis ſatis me dixiſſe cenſebo, cum loca Galeni in medium duxero, ubi medicamenta aliquot, à me quandoque introducta, deſcribuntur, ne in iis perquirendis Chirurgi plurimum laborent: Non libuit hîc omnium compoſitiones inſerere, ne videar opus majus feciſſe ex his, quæ ab aliis ſcriptoribus diffuſe ac clare fuere deſcripta. *Barbarum emplaſtrum* ſcribitur *l. 2. de comp. medic. per genera, cap. 22.* & quia illic plures ſunt formæ deſcriptæ, chirurgus exercitatus ipſis utetur, ratione ductus; ſic, ut ubi magis ſiccare conveniat & adſtringere, vel tertium in ordine ſcriptum, *nigrum* appellatum, eliget: vel aliud Juliani, quod cruentis vulneribus competere dicit, uſurpabit. Quod ſi minus ſiccare deſideres, primam vel ſecundam præferes compoſitionem inſcriptam *Barbarum quo utor*. Quod *ex chalcitide* fit *Emplaſtrum*, deſcriptum reperitur *lib. 1. de comp. med. per gen. cap. 4.* nam & ipſum pluribus modis uſui

uſui venire poteſt, prout diverſificatur ejus compoſitio, ut ex Galeni dictis ſatis patet. Sed quia chalcitis non facile reperitur, atramento ſutorio, ejus vice, utimur: &, ubi deeſt palma viridis, myrtum, vel ſalicem, vel ulmum capimus. *Tripharmacum* ex oxelæo, & argenti ſpuma, *l.* 1. *de comp. med. per gen. cap.* 7. invenies. *Iſis Epigoni* deſcribitur à Gal. *lib.* 5. *de comp. med. per gen. cap.* 2. Variis in locis memorat ac deſcribit alias Iſidis compoſitiones: verum hæc eſt quæ videtur maximo uſui fuiſſe ſuo tempore, præſertim in vulneribus capitis, ut Galenus ipſe inquit, dum ejus laudes enumerat. Ex eodem libro varia alia medicamenta elicies, ad quæ recurrere par eſt, dum uſus poſtulat.

*Suppoſitoria.* §. 8. *Balani* ſive *ſuppoſitoria*, promptiſſime ex *ſapone* vel *radicibus bletarum* fieri poſſunt, quæ oleo illinuntur, & ſale aſperguntur. Parantur etiam ex *melle cocto*, additis *ſale* vel *communi*, vel *gemmæ*, vel ammoniaci, vel nitri, vel colocynthide, vel cyclamine, vel ſimilibus atque res ipſa perſuadere videtur. *Clyſteres* etiam varii fieri poſſunt: verum communi uſui conducet hoc: *Recipe mellis deſpumati, olei communis, ana* ℥ iij. *caſſiæ extractæ* ℥ ß. *ſalis* ʒ ij. *decocti foliorum caulium* ℥ viij. miſce, & fiat clyſter: Vel, loco deſpumati mellis, roſatum capere poteris: vel, vice decocti foliorum caulium, malvarum decoctum uſurpabis, præcipue ubi minus calefacere intelligas: ſimiliter & violaceum, vel roſaceum, loco communis olei. Quod ſi potentiores poſtules, adde *hieram picram* ab ℥ ß. ad ℥j. vel *diaphœnicũ*, vel *benedictam laxativam* in eadem doſi,

doſi, vel *electuarium roſatum*, vel *confectionem Hamech*, prout humor evocandus deſiderat. Quod ſi adhuc acriores deſideres, ℥j. *minoris centaurii*, decocto incoque, vel *coloſynthidis* ʒ ß. Præterea, fiat decoctum ex *ebuli* vel *ſambuci foliis*, vel *radicibus*, in quo etiam ſupradictorum aliquid addatur. Verum hæc acriora tantum conveniunt in vegetioribus naturis, in quibus ad illas partes revulſio potentior cum evacuatione exoptatur.

§. 9. Etſi non ſit neceſſum huic noſtri operi purgantium medicamentorum quicquam inſerere, profuturum tamen quandoque plurimum exiſtimavi, præcipue ubi Medicus non adeſſe poſſit, vel ubi Chirurgus per ſe utrunque præſtare audet. Quod utique ſecus conſulo, niſi & is in propinandis medicamentis ventrem cientibus, non mediocriter fuerit exercitatus, ne quandoque plus minuſve, quam liceat, educat; vel offerat medicamentum, quod vomitum moveat, ubi id cohibere omnino oporteat: quod quandoque prorſus perniciosum eſt, ut in affectibus qui circa ventres fiunt: vel humorem educat, quem forte ſinere præſtitiſſet. *Medicamenta purgantia qualia agris propinanda?*

§. 10. *Medicamentum choleram purgans, nec vomitum movens. Recipe rhabarbari electi & ſubtiliter pulverizati* ʒ j. *electuarii roſati Meſuæ* ʒ ij. *ſyrupi roſati laxativi q. S.* fiat *bolus*, quem capiat manè, vel ſero, per horas tres ante cibum, cui ſtatim ſuperpotet infraſcriptam potionem: *Recipe ſyrupi roſati laxativi* ℥ ij. *aquæ cichorei* ℥ 1 ß. miſce, capiat illico ab aſſumpto bolo: Hoc medicamentum, belle bilem ac ſeroſos humores educet, ac ſine moleſtia.

§. 11. *Pi-*

§. 11. *Pituitam ducens ſine moleſtia. Recipe agarici optimi non trochiſcati* ℥ j. *aloës electæ* ℥ ß. cum *oxymelite ſimplici*, fiat bolus, quem capiat hora electa, cui ſubito ſuperpotet infraſcriptum, *Recipe, mollis roſati colati* ℥ iij. *aquæ decoctionis betonicæ* ℥ ij. miſce: fiat potio, quam capiat continuo ab aſſumpto bolo.

§. 12. *Educens melancholicum humorem. Recipe, pulveris foliorum ſenæ* ℥ j. *agarici, cinnamomi, ana* ℈ j. cum *ſyrupo de fumo terræ compoſito*, fiat *bolus*, quem capiat ut ſupra, & ex tempore *infraſcriptam* bibat potionem: *Recipe origani m.* ij. *agrimoniæ, ceterach, ana m.* j. *paſſularum* ℥ ij. *aquæ fontis* ℔ j. bulliant ad dimidium, cujus *Recipe* ℥ iij. *ſyrupi de fumo terræ compoſiti* ℥ ij. miſce: fiat potus: capiat illico ab aſſumptione boli. Vel, ſi bolum devorare recuſaret, fiat infuſio ℥ v. *foliorum ſenæ, cinnamomi* ℥ j. in ℥ iv. *decocti* immediate ſupraſcripti, cui ſuperaddes *ſyrupi de fumoterræ* compoſiti inſtitutam doſim. Compoſitiones hæ, loco & tempore exhibitæ, educent mediocriter: quod ſi debiliores, vel fortiores, vel quæ miſtim humores educant, deſiderentur, qui in purgandis corporibus vel paululum fuerit exercitatus, cum ex his, tum ex aliis multis, quæ ad hoc negotium uſui veniunt, medicamentorum varias formas componet, prout humores peccantes, ac patientis habitus, indicabunt. Cæterum hæc obiter dixiſſe placuit. Quiſquis uberiorem hujus lectionem deſiderat, ad eos, qui ex inſtituto de hac materia tractare ſuſceperunt, confugiat.

FINIS.

INDEX

# INDEX CAPITUM.
## Hujus Tractatus.

PRæfatio, in qua agitur de natura pulveris Sclopetarii, & vulneris ab eodem illati. Pag. 605
Cap. I. De Methodicâ vulneris curatione. P. 619
Cap. 2. De extraneis è vulnere auferendis. P. 620
Cap. 3. De inſtauratione deperditorum. P. 623
Cap. 4. De cauſis, intemperiem parti inducentibus. P. 624
Cap. 5. De cognoſcenda, & conſervanda bona, affectæ partis, temperie. P. 625
Cap. 6. De cognoſcenda temperie partis tranſmutata, & curatione ejus. P. 626
Cap. 7. De Alteratione. P. 628
Cap. 8. De Repulſione. P. ibid.
Cap. 9. De Revulſione. P. 629
Cap. 10. De Revulſione per Phlebotomiam. P. 630
Cap. 11. De Revulſione per alvum. P. 639
Cap. 12. De Revulſione citra evacuationem. P. 643
Cap. 13. De Derivatione. P. 645
Cap 14. De evacuatione quæ ab affecta parte fit. P. 647
Cap. 15. De ſanguine ſupprimendo. P. ibid.
Cap. 16. De Curatione in genere. P. 655
Cap. 17. Curatio Vulneris Capitis. P. 659
Cap. 18. De Cura Vulnerum Thoracis. P. 756
Cap. 19. De Vulnere ventris inferioris. P. 768
Cap. 20. De cura Artuum. P. 772
Cap. 21. De Ambuſtis. P. 779
Cap. 22. De Phlegmone. P. 780
Cap. 23. De Gangræna. P. 784
Cap. 24. De Formulis medicamentorum, tum intus tum exterius adhibendorum. P. 794

FINIS.

# INDEX.

# Rerum in hoc opere Notabilium.

## A.

A Baptiſtæ Terebræ. Pag. 672. 673. 696
Abſceſſus *quid?* 145. *quotuplex.* 146. *quæ eorundem materia?* ibid. *iis erumpentibus purgatio non convenit.* 148
Abſtergentia *medicamenta quæ?* 795
Aëris *mutatio quantum poßit ad morborum generationem.* 48
Affabilitas *in medico laudanda.* 40
Ægri *à medico non ſunt derelinquendi.* 27. *iis, nec aßiſtentibus, medicamenta aperire non debet medicus.* 28. *rectis medicorum conſiliis obtemperare debent.* 42. *medicina non aſſumant inconſulto medico.* 43. *medicos qui fallere cupiunt, ſeipſos miſere decipiunt.* 45. *eorum avaritia & ingratitudo erga ſuos medicos taxatur.* 57. *quomodo collocandi dum vena ſecatur?* 331
Ægyptiaci *unguenti præſtantia in vulneribus ſclopetorum.* 656
Agaricus *in potu non dandus; niſi vomitum ciere ſtudeamus.* 406
Alfonſi Ferri *rationes pro venenoſitate pulveris ſclopetarii refutantur.* 606. & ſeqq. *ejuſdem error circa phlebotomiam in vulneratis.* 632
Alvi *ſiccitas & fluxus nimius nocent.* 49. *fluxus alvi materia ſæpißimè in venis heret.* 126. *in Alvi fluore convenit ſanguinis mißio.* 132. *quod probatur ratione.* 134 *& experimentis.* 135. 136. 137. & ſeqq.
Alterantia *medicamenta.* 628
Ambuſtarum *partium remedia.* 779. 780
Amputatio *membrorum quomodo fiat.* 788. *quibus inſtrumentis.* ibid. *ſanguis quomodo ſiſtendus?* 792
Anatome *medico maximè neceſſaria.* 10

Ana-

Anaſtomoſis *Venæ Cavæ & Pulmonalis, item arteriæ pulmonalis cum aorta quomodo fiat in fœtu?* 69. 70
Analogia *hominis & mundi.* 297. 298
Animi Pathemata *quæ perniciosa?* 50. deliquio *animi quomodo occurrendum dum vena ſecatur?* 84. deliquium *eſt fallax indicatio in ſanguinis miſsione.* 260. 261. 262
*In* Angina *curanda quomodo procedat auctor?* 287
Antiades *quid?* 353. *cur frequenter in tumorem attollantur.* ibid. & 354. *eas curandi ratio.* 407
Apoſtemata *quomodo & quando aperienda.* 495. 497
Aqua *Balſami de Vigo quomodo paretur?* 596
Ars Medica *omnes morbos curare nequit.* 3. *gubernatoriæ aſsimilatur à Seneca.* ibid. *triplex eſt.* 38. *ab experimentis procedit.* 189
Artes *cur non ſemper benè procedant?* 2
Arteria *diviſa quomodo obturanda.* 81. *quomodo vitanda ne ſecetur?* 83. *quænam ſecari poſsint.* 340
Articulorum *dolores à Lue Venerea quomodo curandi?* 512
Artus *ſauciati à glande plumbea, quomodo tractandi?* 773. 774. *in Artubus ſi oſſa ſint à glande fracta quomodo iis ſuccurrendum?* 776. 777
Aſſiſtentes *Medicum fallere poſſunt.* 23. *medico omnia fideliter referre debent.* 52. *quomodo ſæpius medicum in artis operibus impediant?* ibid. & 53. *cum Medicis contendere non debent.* ibid.
Aſtrologica *obſervatio in mittendo ſanguine impugnatur.* 249
Attenuantia *medicamenta non ſemper debent eſſe ſicca.* 426. *ſed etiam eſſe poſſunt humida.* 427
Autoris *Methodus in adhibendo præſidia ejuſmodi ægris, ad quos loci diſtantia probibebat acceſſum.* 33. *regula in ſanguinis detractione.* 272

B.

BAlneorum *utilitas in Lue Venerea.* 592. *eorum materia, tempus adhibendi.* 593. 594. *Vulneratis qualia proſint.* 643

Balſamum de Vigo quomodo parandum? 591
Bilis Flava quid? 381
Botalli Frater vocatur Secundus. 547. laudatur ob dexteritatem in venæſectione, 90. Filias ſuas, utero gerentes, ſanguinis miſſione ſervavit. 131. Paralyticus & cacochymicus. 184. ſingulis menſibus ſibi detrahi ſanguinem curat. 185. tribus diebus circiter ſeptem ſanguinis libras filiabus ſuis detraxit. 285
Botallus frequentis venæſectionis in Gallia autor. 120. quibus in locis ſtudiis operam dederit? 169. ſibi ipſi in cachexia ſanguinem ſæpius mittit. 185. exemplo fratris ad phlebotomiam frequentiorem acceſſit. 190. quartanarius venæſectione repetita curatur. 211. in viſus turbatione ſibi ſanguinem aliquoties mittit. 228. quoties & quantum ſanguinis ſoleat mittere in internis inflammationibus & febre ardenti? 284. 285. ſe judicat timidum in ſanguine mittendo. 318. à temeritate & audacia eſt alienus. 323. quos præceptores & quem promotorem habuerit. 324. pietas & gratitudo erga Deum. ibid. improbat eos, qui ſtatim atque à ſcutica hypodidaſcali receſſerunt, ad medicinam faciendam prorumpunt. 324. ejus recta conſcientia. 325. integritas. 677. in conſultationibus modeſtia & candor. 327. defendit ſe adverſus cenſores ſuæ ſanguinis miſſionis. 328. 329. 330
Bubones quid? 145. Bubone correptus peſtilenti per iteratam venæſectionem ſanitati fuit reſtitutus. 173. & ſeqq. Venerei curandi per ſuppurationem. 492. non per diſſolutionem. 498

## C.

Cacochymia quid ſit? 182. ſanguinis miſſionem requirit, contra communem medicorum ſententiam. ibid. & 183. qua cautione hic utendum? 195
Cachexia, æquè per venæſectionem atque medicamenta cathartica poteſt expurgari. 184. quod exemplis demonſtratur. 185. 186. & ſeqq.

Calumniæ *ex ægri obitu quomodo vitandæ?* 17. *ad eas pronus eſt multorum animus.* 124

Calidum Innatum *an ſit majus in pueris quàm cæteris ætatibus?* 307. *ejus beneficio omnes functiones naturales in nobis fiunt.* 109

Callus *in cranio qualis?* 714

Calvariæ *vulnus à pungente telo quomodo tractandum?* 731

Camaroſis *quid.* 702

Capluanus *Botallum praxeos gratia ſequitur.* 153. *peſte correptus, à Botallo ſanatur.* 173. *ejus ad autorem Epiſtola prima.* 176. *altera.* 179. *ejuſdem Epiſtola de iis qui ab acutiſsimis morbis per venæſectionem ſunt liberati.* 252

Caput *in Lue Venerea præcipuè affligi ſolet.* 523. *ejus affectibus quomodo occurrendum?* 524. *modicè eſt tegendum.* 529. *Ejus Vulnerum curatio.* 659. & ſeqq.

Catarrhi *Etymologia.* 348. *quid ſit?* 351. *in iis ſanguinis miſsio valdè prodeſt.* 200. *quod exemplis docetur.* 201. *An ſit ſymptoma an morbus.* 349. *quinam affectus eum ſequantur.* 367. 368. *ejus curatio unde auſpicanda?* 392. & ſeqq. *In catarrho caput tegendum & lavandum.* 395. *quæ exercitia in eo conveniant?* 396. *quæ alimentorum ratio?* 402. *Elixa inter ea ſunt aſsis præferenda.* 403. *potus.* 404. *in eo victum humidum utilem eſſe probatur.* 416. *à capite non fluunt ad partes.* 431. & ſeqq. *quod ſimilitudine eleganti illuſtratur.* 435. 436

Carnem *natura generat, ſuffragante medico & ægro.* 684. *ex oſsibus quomodo emergat?* 685. *ejus generationem in oſſe quæ impediant?* 687. *putridam removentia medicamenta.* 794. *generantia.* 795

Caſus *D. Poyrini.* 150. *aſſeclæ D. Barruſſæ.* ibid.

Cautiones *obſervandæ ubi ſanguis gravidæ eſt mittendus.* 123. *in ſanguine mittendo cum nimia eſt narium hæmorrhagia.* 158

Cauteriorum *actualium forma quotuplex?* 650. *potentialia quænam.* 652. *iis utendi modus.* 653

Celſus *notatus*. 242. *ejus locus l. 2. c. 10. ab experientiis refutatus*. 240
Cerebrum *an generet pituitam?* 374
Cephalici *pulveres*. 681. *error in eorum uſu*. ibid.
Chirurgia *medico neceſſaria*. 38. *& decora*. 40. *qui eam ignorant, ab eadem etiam debent abſtinere*. 39
Chirurgo *abſente medicus ejus vices ſupplere poteſt*. 40
Chirurgus *in vena ſecanda ambidexter ſit oportet*. 86
Chirurgorum *errata quædam*. 620. *eorum error in repellentium uſu*. 629
Chinæ *radix parum valet ad Luem*. 590. *modus ex eadem decoctum parandi*. ibid.
Chirurgicum *monitum circa turundas*. 657
Cibus & potus *quomodo nocere poßint*. 49. *ciborum concoctio an in ventriculo abſolvatur?* 378
Cicatricem *inducentia medicamenta*. 796
Clyſterum *formulæ*. 798
Confidentia *ægri in medico, multum facit ad morbum profligandum*. 16
Conſultationes *Medicorum non ſpernendæ*. 18. *ſeorſim ab ægris ſunt inſtituendæ, & cur*. 34. *plurium Medicorum non ſemper ſalubriora*. 54. *non plures duobus aut tribus advocentur*. ibid.
Corpus *interit abolita ſanguificatione*. 109
Coloris *mutatio in ſanguinis mißione quando exſpectanda*. 265
Contrarietas *inter remedium & morbum qualis*. 13
Cranii *perforatio quomodo inſtituenda*. 664. *ſub eodem putreſcenti in Lue humori quomodo occurrendum*. 530. *detectum quomodo carne cooperiatur*. 685. *eidem non ſemper ſiccantia medicamenta ſunt utilia*. 686. *ejus portionem exſcindendi modus*. 690. & ſeqq. *in ejus fracturis an cutis ſit dividenda*. 722. *fracti ac depreßi curatio*. 731. *perforatio cur interdum differatur*. 740. *in eo quæ carnem pullulare faciant*. 747. *Carioſo quæ cura debeatur*. 750. *non eſt candente ferro attingendum*. 751

Critici

Critici *dies ad curationem vulnerum capitis non ſunt obſervandi.* 665
Curatio *morbi cur non ſemper ſuccedat.* 13
Curioſitas *vana Medico fugienda.* 15
Cucurbitulæ *in vulneratis ad derivandum adhibentur.* 644
Curatio *vulnerum generalis.* 655
Cura *notabilis de glande oſſi infixa.* 733. *in cranio vulnerati perperam facta.* 736

D.

DEus *tam à Medico quàm ægro eſt implorandus.* 58. *in Deo Fiducia maximè ad ſanitatem confert.* ibid.
Decoctum *pro Catarrhoſis.* 395. *Ligni Indici.* 502. 510. 515. *ejus larga potatio utilis.* 503. 516. 527. *quod nam, vice decocti ex ligno, poterit uſurpari.* 589
Derivatio *quid, & quibus fiat.* 645. *& qua arte.* 646
Detergentia *medicamenta.* 656
Detruncatio *membri quando facienda.* 787. *quo loco:* 788. *quibus inſtrumentis.* ibid. *quid ante eam faciendum?* 793
Dialectica *Medico non eſt neceſſaria.* 4
Dioneus *Chirurgus eruditiſſimus.* 157
Digeſtivum *Medicamentum.* 660. 662. *quo tempore uſu veniat.* ibid.
Diſſolventia *Medicamenta quæ.* 796
Dolorem ſedantia *Medicamenta.* 782
Dyſenteria, *ut & diarrhæa in Polemarcho Brixiaco, & aliis, venæſectione curata.* 136. & ſeqq.
Dyſenterici *ex neglecta ſanguinis miſſione mortui, & cur?* 141. & ſeqq.

E.

EBrietas *in Medico turpis.* 21
Ἐγχειρήματα *quæ?* 702
Eloquentia *ad Medicinam non eſt neceſſaria.* 4
Empiricorum *Audacia.* 44

*In* Epilepſiæ *acceſsione ſanguinem mittebat Hippocr.* 198. *& qua copia.* ibid
Errhina *pro Catarrhoſis.* 400
Ethmoidis *oſsis deſcriptio.* 350. *ab eo duplex ductus.* 351. *à quibus obſtruatur.* 369
Evacuatio *ab affecta parte quomodo & quibus fiat.* 647
Experientia *in Medicina præſtat Lectioni autorum.* 14. 15
Exempla *eorum qui temerè auxilia medica uſurparunt.* 43. *eorum qui ob neglectam ſanguinis miſsionem mortui ſunt.* 345
Exanthemata *quid.* 145. *eorum materia.* 146. *quot modis contingere ſoleant.* ibid. *in iis quando inutilis venæſectio.* ibid. *& quando neceſſaria.* 147. *in iis cur venæſectio præferenda purgationi.* 148. 151. *ſine febre Lutetiæ graſſantia.* 151

F.

Febribus *quartanis inveteratis, convenire maximè venæſectionem, exemplis probatur.* 209. & ſeqq. *iiſdem recentibus quoque prodeſſe, allata exempla docent.* 216. *Tabificis admodum proficuam eſſe, docet autor.* 218. *& confirmat exemplis ægrotorum curatorum.* ibid. *in iis cur medici communiter venæſectionem adverſentur.* 222. *Ephemoræ unde generentur.* 232. *Febris an indicet perforationem cranii.* 739. *quæ ex vulnere eſt, ut dignoſci queat.* ibid. *in ardente febre quid agendum,* 159. *convenit in iis larga ſanguinis miſsio.* 154
Flatus *venas noſtras non replent.* 301. *in iis venam ſecuit Hipp.* 196
Flexelius *medicus inſignis.* 154
Fluxiones *in vulneribus unde concitentur.* 624
Fortuna *& caſus in medicina non merentur conſiderationem.* 4

Fœtus *circa principia ſenſim increſcit.* 126
Forceps *ſciſſoria.* 675
Fractura cranii *ſimplex quæ.* 679. *qualibus ſcalpris in ea ſit utendum.* 680. *graviſſima in puero quomodo ſanata.* 725. *item in ruſtica.* 745. *in ea citra vulnus quomodo procedendum.* 728. *cum ei vulnus adeſt an ſit cutis dividenda.* 722. 728. *in longum ut tractanda.* 732. *ad ſecundam laminam pertingens.* 734. *fruſtulatim ſi facta fuerit quomodo procedendum.* 741
Fragmenta *oſsis quomodo tractanda.* 709
Frictiones *mites vulneratis utiles.* 644
*In* Frigidis *morbis materia poteſt minui venæ ſectione.* 202
Fungi *ſtrangulatorii deſcriptio.* 72. *qualia ſymptomata inferat.* ibid. *ubinam & quo tempore reperiatur?* 73

## G.

Galenus *in fluxione alvi ſanguinis miſsionem damnat.* 133. *ejus argumentum refellitur.* 134. *ex ejus praxi & præceptis probatur cacochymiam venæſectione evacuari.* 191. & ſeqq. *Hydropem ſanguinis miſsione curat.* 209. *in ipſo morbi vigore ſanguinem mittere jubet.* 240. *quantum ſanguinis detraxerit ægris ordinariè.* 277. *& aliàs data occaſione.* 278. *pituitoſis attenuantem ſed humidum victum præſcripſit.* 426. *quid de Hydrargyro ſenſerit.* 569. *ejus locus de tempore mittendi ſanguinis expenſus.* 632. *ejus cap. ult. lib.* VI. *M.M. expenſum.* 677. & ſeqq. *ejus error manifeſtus.* 699. *ejus Laus.* 706
Gangræna *cur ſequatur ad vulnera ſclopetorum.* 615. *quid ſit.* 784. *qua ratione generetur.* ibid. *ejus ſigna.* 785. *Cura.* ibid. & 786
Glans *Sclopetaria quæ mala inducat.* 621. *quomodo ſit extrahenda.* ibid. *quibuſque inſtrumentis.* 622. *è thoracis & ventris cavitate qua ratione educatur?* 759. 769. 770.

*immobilè in ventre manere poteſt.* 770. *in artubus quomodo inquirenda?* 773

Gravedo *quid.* 350. *in ea ſtillans humor qualis.* 398

Gravidis *magis eſt neceſſaria venæſectio quam non gravidis.* 121. *quibus morbis affliguntur.* 125. *earum morbi omnes ex ſanguine ortum ducunt.* ibid. *quod probatur.* 126. *iis è qua vena, & qua quantitate ſanguis ſit educendus.* 127. *à ſex menſibus gravidæ, per venæſectionem ab abortu ſervantur.* 115. 119. 120

Gummata *venerea quomodo diſperdantur.* 517. *cauſtica iis adhibenda.* 518. *linimentis aut ceratis non diſſolvuntur.* 519. *in capite quomodo tractanda.* 534

Gurgulionis *extenſio quomodo curanda?* 358

H.

HIſtoria *ægri, animi morbo tantum affecti.* 46. *alterius venæſectionem reformidantis.* 47. *D. Drury à ſeptem menſibus gravidæ, & per venæſectionem ſervatæ.* 115. & ſeqq. *trium neptum Botalli.* 131. *polemarchi Brixiaci dyſenterici.* 136. *& aliorum.* 137. & ſeqq. *præfecti Bernardini & aliorum.* 214. & ſeqq. *cujuſdam Lue Venerea affecti.* 532. *D. Berville.* 618. *famulæ Stymargi apud Hippocratem in Epidem. expenſa ab autore.* 161. *morbi Epiſcopi Siſternenſis.* 181. *hiſtoria D. de Varennes & aliorum.* 201. & ſeqq. *amici Botalli.* 219. *magnarum hæmorrhagiarum.* 214. *D. de Villermont.* 246

*Ex* Hæmorrhoidibus *fluens ſanguis non eſt melancholicus.* 275

Hippocrates *in nullo penè morbo ſanguinis miſsionem omiſit.* 104. 107. *eam ſemper magni fecit.* 106. *Hipp. & Gal. in mittendo ſanguine fuerunt liberales admodum.* 106. *aliquando tamen à venæſectione receſſerunt.* ibid. *eorum ſententiæ non ſemper vacant contrarietate.* 121. *Hipp. Aph.* 30. *l.* 5. *falſus.* 122. *ad examen revocatur.* 129. *ejus opinionem de venæſectione in gravidis quo-*

*quomodo autor benignè interpretetur.* 130. *ejus Aph.* 20. *l.* 1. *quomodo intelligendus.* 156. *Græci & Romani Hipp. conſenſus circa ſanguinis miſsionem.* 165. *Aph.* 18. *l.* 4. *explicatus.* 204. *locus ex* 5. *Epidem. num.* 2. *recitatur,* 207. *Hipp. & Celſus per τὸ κατ' ἴξιν quid intelligant.* 235. 236. *Curationes à venæſectione inchoat.* 320. *locus ejus de venæſectione explicatus.* 634. *Locus de uſu purgantium medicamentorum expenditur.* 640. *Longè clarius ſcripſit de cura vulnerum capitis quam Galenus.* 720. *ejus textus è lib. de Vuln. Cap. explanatus.* 739

Hirudines *quid; earumque uſus.* 92. *quomodo applicandæ,* 93. 342. *qua ratione conſervandæ.* ibid, *qualem ſanguinem extrahant.* ibid. *quomodo auferendæ.* 94. *quibus applicandæ.* 342

Hominis *& mundi analogia.* 297

Humorum *corruptela ſingulis momentis in ægris corporibus geminatur.* 158. *humores à capite ad partes fluunt per vias manifeſtas.* 439

Humiditas *noſtri corporis quomodo abſumatur, & à quibus conſervetur.* 298

*In* Hydrope *eſt utilis venæſectio.* 208. *ejus cauſa quæ ſit potiſsima* 209. 213. *cura.* 215

Hydrargyrum *eſt remedium mirificum in Lue.* 535. *quomodo ex eo illitiones parentur.* 536. *ungendi ratio.* 537. *ex eo illitiones quovis tempore fieri poſſunt, ſi neceſsitas poſtulet.* 548. *ſymptomata illitis ſupervenientia à quibus cauſis contingant.* 553. *illitio quamdiu continuanda.* 555. *Ex eo ſuffitus quando ſit utilis.* 562. *locus & tempus iis utendi.* 563. *Hydrargyrum non eſt corpori noxium, niſi perperam adhibeatur.* 566. 570. *Montani de eo ſententia rejicitur.* 567. 570. *Galenus quid de eo ſenſerit.* 569. *ſanus ſi eodem illinatur, idem patitur quod æger.* 571. *magna interdum copia hauritur innoxiè.* 572. *cur non omnes liberet.* 573. *an cariem faciat oſsis.* 574. *an humores noxios repellat?* ibid. *ineſt ei vis diſſolutrix & ad expulſionem commotrix.* 576. *eaque non dependet*

*à calore aut frigore ſed ſpeciali forma.* 577. *quæ licet nobis ſit incognita, ſufficit tamen noſſe effectum.* 578

## I.

Jacobus Regius, *Chirurgus.* 791

Jecoris *affectus non adſunt in Lue Venerea.* 457. & ſeqq. *cur minus afficiatur quam corpus aut reliqua membra.* 462. *quare non ab hac Lue, ſed à corruptela vulnerum afficiatur?* 467. & ſeqq.

Inciſionis *cutaneæ forma duplex.* 661

Indicationes *in venæſectione unde ſumantur.* 232. *quæ à partis natura, figura, ſitu, ſenſu, ut nec eæ quæ ex remediorum conſequio eliciuntur, ſunt oblivioni danda.* 412

Inſtrumenta *ad oſſis perforationem an ſint apta, in cadaveribus experiri par eſt.* 700. *pro artubus quorum oſſa ſunt fracta, reponendis.* 776. *autoris ad ſphacelatum membrum amputandum.* 790

Ingreſſus *Medici ad ægrum qualis eſſe debeat.* 22

Intemperies *partibus à fluxione accidunt.* 624. *ei quomodo ſit occurrendum.* 627

Inteſtina *&* *ventriculus iiſdem intemperiebus patent.* 133. *eorum calida intemperies ſanguinis miſſione optimè curatur.* 134. *è ventre prolapſa quomodo reducenda.* 771

Juvenes *diſcere debent potius ante quam laurea donentur, quam poſt.* 38

Juncturæ *vulneratæ difficilius curantur.* 778

## L.

Lactis *generatio an in nobis arguat ſanguinis quantitatem.* 297

Lenticulatus *gladiolus.* 675. *ejus uſus.* 694. 701. 734

Levamen *ægri ex venæſectione unde colligendum?* 290
Lien *non mittit vaſa ad ventriculi orificium.* 63
Lienteria *in D. Eſſartio venæſectione curata.* 138
Lienoſis *ſanguinis miſſio utilis juxta Hippocr.* 194
Ligaturæ *in vulneribus quid præſtent.* 643. *in fractura cranii inutiles.* 711. 713
Lipothymiæ *quomodo occurrendum.* 332
Luis Venereæ *nomina.* 446. *quas ſoboles producat.* 447. *Cauſa.* 448. *quas partes afficiat.* ibid. *ejus forma propria.* 449. *Seminarium, cui inſidet, varium, pro medicorum variis opinionibus.* 450. *Forma juxta Montanum.* 451. *quæ refutatur.* ibid. & 454. & ſeqq. *Seminarium ejus eſt ſanguinis maſſa, dein partes ſolidæ.* 452. *in ea Iecur non eſt obſtructum.* 457. *nec infectum, & cur?* 462. *purgatio in ea maximè utilis.* 460. 466. 582. *ſanguis quomodo dici poſſit in ea vitiatus?* 460. *quomodo ſerpat.* 463. *Sedes & origo ex ſenſu demonſtratur.* 465. *an hoc nomen mereatur ab ineunte affectu.* 469. *in ea num vitiatus humor, ab aliis contractus, poſtea evaneſcat.* 470. *qui gravius, qui levius ab eadem affligantur.* ibid. *quibus ſignis dignoſcatur.* 471. 486. *Præſidiorum ei conferentium enumeratio.* 474. *ab ea ſe præſervandi modus.* 475. *Ejus ulcera recentia quomodo curanda.* 476. *hac affecti, debent à principio medicum accedere.* 477. *ejus curationem multi impoſtores ſibi vindicant.* 478. *in ea nocet venæſectio ab initio.* 480. *Ejus ulcera ægrè ſanabilia ut tractanda.* 481. & ſeqq. *in ea uſus præcipitati præſtans eſt.* 484. *& aquæ fortis.* 485. *ſi ab ea fuerit præputium tumefactum quid imponendum.* 486. *Verrucæ glandis ab ea.* 487. *Seminis profluvium ejuſque curatio.* 389. & ſeqq. *Bubones quomodo ſuppurentur?* 493. *pus ex iis quomodo emittatur.* 495. *pilorum caſum curandi ratio.* 500. *decoctum Ligni Indici ejuſque utendi modus.* 502. *Quomodo curanda, ſi patiens, ob negotia, integræ curæ attendere non poſſit.* 504.

Balſamum de Vigo quomodo parandum? 591
Bilis Flava quid? 381
Botalli Frater vocatur Secundus. 547. laudatur ob dexteritatem in venæſectione, 90. Filias ſuas, utero gerentes, ſanguinis miſſione ſervavit. 131. Paralyticus & cacochymicus. 184. ſingulis menſibus ſibi detrahi ſanguinem curat. 185. tribus diebus circiter ſeptem ſanguinis libras filiabus ſuis detraxit. 285
Botallus frequentis venæſectionis in Gallia autor. 120. quibus in locis ſtudiis operam dederit? 169. ſibi ipſi in cachexia ſanguinem ſæpius mittit. 185. exemplo fratris ad phlebotomiam frequentiorem acceſſit. 190. quartanarius venæſectione repetita curatur. 211. inviſus turbatione ſibi ſanguinem aliquoties mittit. 228. quoties & quantum ſanguinis ſoleat mittere in internis inflammationibus & febre ardenti? 284. 285. ſe judicat timidum in ſanguine mittendo. 318. à temeritate & audacia eſt alienus. 323. quos præceptores & quem promotorem habuerit. 324. pietas & gratitudo erga Deum. ibid. improbat eos, qui ſtatim atque à ſcutica hypodidaſcali receſſerunt, ad medicinam faciendam prorumpunt. 324. ejus recta conſcientia. 325. integritas. 677. in conſultationibus modeſtia & candor. 327. defendit ſe adverſus cenſores ſuæ ſanguinis miſſionis. 328. 329. 330
Bubones quid? 145. Bubone correptus peſtilenti per iteratam venæſectionem ſanitati fuit reſtitutus. 173. & ſeqq. Venerei curandi per ſuppurationem. 492. non per diſſolutionem. 498

## C.

CAcochymia quid ſit? 182. ſanguinis miſſionem requirit, contra communem medicorum ſententiam. ibid. & 183. qua cautione hic utendum? 195
Cachexia, æquè per venæſectionem atque medicamenta cathartica poteſt expurgari. 184. quod exemplis demonſtratur. 185. 186. & ſeqq.

Calumniæ *ex ægri obitu quomodo vitandæ?* 17. *ad eas pronus eſt multorum animus.* 124

Calidum Innatum *an ſit majus in pueris quàm cæteris ætatibus?* 307. *ejus beneficio omnes functiones naturales in nobis fiunt.* 109.

Callus *in cranio qualis?* 714

Calvariæ *vulnus à pungente telo quomodo tractandum?* 731

Camaroſis *quid.* 702.

Capluanus *Botallum praxeos gratia ſequitur.* 153. *peſte correptus, à Botallo ſanatur.* 173. *ejus ad autorem Epiſtola prima.* 176. *altera.* 179. *ejuſdem Epiſtola de iis qui ab acutiſsimis morbis per venæſectionem ſunt liberati.* 252

Caput *in Lue Venerea præcipuè affligi ſolet.* 523. *ejus affectibus quomodo occurrendum?* 524. *modicè eſt tegendum.* 529. *Ejus Vulnerum curatio.* 659. & ſeqq.

Catarrhi *Etymologia.* 348. *quid ſit?* 351. *in iis ſanguinis miſsio valdè prodeſt.* 200. *quod exemplis docetur.* 201. *An ſit ſymptoma an morbus.* 349. *quinam affectus eum ſequantur.* 367. 368. *ejus curatio unde auſpicanda?* 392. & ſeqq. *In catarrho caput tegendum & lavandum.* 395. *quæ exercitia in eo conveniant?* 396. *quæ alimentorum ratio?* 402. *Elixa inter ea ſunt aſsis præferenda.* 403. *potus.* 404. *in eo victum humidum utilem eſſe probatur.* 416. *à capite non fluunt ad partes.* 431. & ſeqq. *quod ſimilitudine eleganti illuſtratur.* 435. 436

Carnem *natura generat, ſuffragante medico & ægro.* 684. *ex oſsibus quomodo emergat?* 685. *ejus generationem in oſſe quæ impediant?* 687. *putridam removentia medicamenta.* 794. *generantia.* 795

Caſus *D. Poyrini.* 150. *aſſeclæ D. Barruſſæ.* ibid.

Cautiones *obſervandæ ubi ſanguis gravidæ eſt mittendus.* 123. *in ſanguine mittendo cum nimia eſt narium hæmorrhagia.* 158

Cauteriorum *actualium forma quotuplex?* 650. *potentialia quænam.* 652. *iis utendi modus.* 653

Celſus *notatus*. 242. *ejus locus l. 2. c. 10. ab experientia refutatus*. 240
Cerebrum *an generet pituitam?* 374
Cephalici *pulveres*. 681. *error in eorum uſu*. ibid.
Chirurgia *medico neceſſaria*. 38. *& decora*. 40. *qui eam ignorant, ab eadem etiam debent abſtinere*. 39
Chirurgo *abſente medicus ejus vices ſupplere poteſt*. 40
Chirurgus *in vena ſecanda ambidexter ſit oportet*. 86
Chirurgorum *errata quædam*. 620. *eorum error in repellentium uſu*. 629
Chinæ *radix parum valet ad Luem*. 590. *modus ex eadem decoctum parandi*. ibid.
Chirurgicum *monitum circa turundas*. 657
Cibus & potus *quomodo nocere poſſint*. 49. *ciborum concoctio an in ventriculo abſolvatur?* 378
Cicatricem *inducentia medicamenta*. 796
Clyſterum *formulæ*. 798
Confidentia *ægri in medico, multum facit ad morbum profligandum*. 16
Conſultationes *Medicorum non ſpernendæ*. 18. *ſeorſim ab ægris ſunt inſtituendæ, & cur*. 34. *plurium Medicorum non ſemper ſalubriora*. 54. *non plures duobus aut tribus advocentur*. ibid.
Corpus *interit abolita ſanguificatione*. 109
Coloris *mutatio in ſanguinis miſſione quando exſpectanda*. 265
Contrarietas *inter remedium & morbum qualis*. 13
Cranii *perforatio quomodo inſtituenda*. 664. *ſub eodem putreſcenti in Lue humori quomodo occurrendum*. 530. *detectum quomodo carne cooperiatur*. 685. *eidem non ſemper ſiccantia medicamenta ſunt utilia*. 686. *ejus portionem exſcindendi modus*. 690. & ſeqq. *in ejus fracturis an cutis ſit dividenda*. 722. *fracti ac depreſſi curatio*. 731. *perforatio cur interdum differatur*. 740. *in eo quæ carnem pullulare faciant*. 747. *carioſo quæ cura debeatur*. 750. *non eſt candente ferro attingendum*. 751

Critici *dies ad curationem vulnerum capitis non ſunt obſervandi.* 665
Curatio *morbi cur non ſemper ſuccedat.* 13
Curioſitas *vana Medico fugienda.* 15
Cucurbitulæ *in vulneratis ad derivandum adhibentur.* 644
Curatio *vulnerum generalis.* 655
Cura *notabilis de glande oßi infixa.* 733. *in cranio vulnerati perperam facta.* 736

D.

DEus *tam à Medico quàm ægro eſt implorandus.* 58. *in Deo Fiducia maximè ad ſanitatem confert.* ibid.
Decoctum *pro Catarrhoſis.* 395. *Ligni Indici.* 502. 510. 515. *ejus larga potatio utilis.* 503. 516. 527. *quodnam, vice decocti ex ligno, poterit uſurpari.* 589
Derivatio *quid, & quibus fiat.* 645. *& qua arte.* 646
Detergentia *medicamenta.* 656
Detruncatio *membri quando facienda.* 787. *quo loco:* 788. *quibus inſtrumentis.* ibid. *quid ante eam faciendum?* 793
Dialectica *Medico non eſt neceſſaria.* 4
Dioneus *Chirurgus eruditißimus.* 157
Digeſtivum *Medicamentum.* 660. 662. *quo tempore uſu veniat.* ibid.
Diſſolventia *Medicamenta quæ.* 796
Dolorem ſedantia *Medicamenta.* 782
Dyſenteria, *ut & diarrhæa in Polemarcho Brixiaco, & aliis, venæſectione curata.* 136. & ſeqq.
Dyſenterici *ex neglecta ſanguinis mißione mortui, & cur?* 141. & ſeqq.

E.

EBrietas *in Medico turpis.* 21
'Εγχειρήματα *quæ?* 702
Eloquentia *ad Medicinam non eſt neceſſaria.* 4
Empiricorum *Audacia.* 44

*In Epilepsiæ accessione sanguinem mittebat Hippocr.* 198.
*& quæ copia.* ibid.
Errhina *pro Catarrhosis.* 400
Ethmoidis *oſsis deſcriptio.* 350. *ab eo duplex ductus.* 351.
*à quibus obſtruatur.* 369
Evacuatio *ab affecta parte quomodo & quibus fiat.* 647
Experientia *in Medicina præſtat Lectioni autorum.* 14. 15
Exempla *eorum qui temerè auxilia medica uſurparunt.* 43. *eorum qui ob neglectam ſanguinis miſsionem mortui ſunt.* 345
Exanthemata *quid.* 145. *eorum materia.* 146. *quot modis contingere ſoleant.* ibid. *in iis quando inutilis venæſectio.* ibid. *& quando neceſſaria.* 147. *in iis cur venæſectio præferenda purgationi.* 148. 151. *ſine febre Lutetiæ graſſantia.* 151

# F.

Febribus *quartanis inveteratis, convenire maximè venæſectionem, exemplis probatur.* 209. & ſeqq. *iiſdem recentibus quoque prodeſſe, allata exempla docent.* 216. *Tabificis admodum proficuam eſſe, docet autor.* 218. *& confirmat exemplis ægrotorum curatorum.* ibid. *in iis cur medici communiter venæſectionem adverſentur.* 222. *Ephemeræ unde generentur.* 232. *Febris an indicet perforationem cranii.* 739. *quæ ex vulnere eſt, ut dignoſci queat.* ibid. *in ardente febre quid agendum.* 159. *convenit in iis larga ſanguinis miſsio.* 154
Flatus *venas noſtras non replent.* 301. *in iis venam ſecuit Hipp.* 196
Flexelius *medicus inſignis.* 154
Fluxiones *in vulneribus unde concitentur.* 624
Fortuna & *caſus in medicina non merentur conſiderationem.* 4

Fœtus *circa principia ſenſim increſcit.* 126
Forceps *ſciſſoria.* 675
Fractura cranii *ſimplex quæ.* 679. *qualibus ſcalpris in ea ſit utendum.* 680. *graviſſima in puero quomodo ſanata.* 725. *item in ruſtica.* 745. *in ea citra vulnus quomodo procedendum.* 728. *cum ei vulnus adeſt an ſit cutis dividenda.* 722. 728. *in longum ut tractanda.* 732. *ad ſecundam laminam pertingens.* 734. *fruſtulatim ſi facta fuerit quomodo procedendum.* 741
Fragmenta *oſsis quomodo tractanda.* 709
Frictiones *mites vulneratis utiles.* 644
*In* Frigidis *morbis materia poteſt minui venæ ſectione.* 202
Fungi *ſtrangulatorii deſcriptio.* 72. *qualia ſymptomata inferat.* ibid. *ubinam & quo tempore reperiatur?* 73

## G.

Galenus *in fluxione alvi ſanguinis miſsionem damnat.* 133. *ejus argumentum refellitur.* 134. *ex ejus praxi & præceptis probatur cacochymiam venæſectione evacuari.* 191. & ſeqq. *Hydropem ſanguinis miſsione curat.* 209. *in ipſo morbi vigore ſanguinem mittere jubet.* 240. *quantum ſanguinis detraxerit ægris ordinariè.* 277. *& aliâs data occaſione.* 278. *pituitoſis attenuantem ſed humidum victum præſcripſit.* 426. *quid de Hydrargyro ſenſerit.* 569. *ejus locus de tempore mittendi ſanguinis expenſus.* 632. *ejus cap. ult. lib.* VI. *M.M. expenſum.* 677. & ſeqq. *ejus error manifeſtus.* 699. *ejus Laus.* 706
Gangræna *cur ſequatur ad vulnera ſclopetorum.* 615. *quid ſit.* 784. *qua ratione generetur.* ibid. *ejus ſigna.* 785. *Cura.* ibid. & 786
Glans *Sclopetaria quæ mala inducat.* 621. *quomodo ſit extrahenda.* ibid. *quibuſque inſtrumentis.* 622. *è thoracis & ventris cavitate qua ratione educatur?* 759. 769. 770.

*immotiè in ventre manere poteſt.* 770. *in artubus quomodo inquirenda?* 773

Gravedo *quid.* 350. *in ea ſtillans humor qualis.* 398

Gravidis *magis eſt neceſſaria venæſectio quam non gravidis.* 121. *quibus morbis affligantur.* 125. *earum morbi omnes ex ſanguine ortum ducunt.* ibid. *quod probatur.* 126. *iis è qua vena, & qua quantitate ſanguis ſit educendus.* 127. *à ſex menſibus gravidæ, per venæſectionem ab abortu ſervantur.* 115. 119. 120

Gummata *venerea quomodo diſperdantur.* 517. *cauſtica iis adhibenda.* 518. *linimentis aut ceratis non diſſolvuntur.* 519. *in capite quomodo tractanda.* 534

Gurgulionis *extenſio quomodo curanda?* 358

## H.

HIſtoria *ægri, animi morbo tantum affecti.* 46. *alterius venæſectionem reformidantis.* 47. *D. Drury à ſeptem menſibus gravidæ, & per venæſectionem ſervatæ.* 115. & ſeqq. *trium neptum Botalli.* 131. *polemarchi Brixiaci dyſenterici.* 136. *& aliorum.* 137. & ſeqq. *præfecti Bernardini & aliorum.* 214. & ſeqq. *cujuſdam Lue Venerea affecti.* 532. *D. Berville.* 618. *famulæ Stymargi apud Hippocratem in Epidem. expenſa ab autore.* 161. *morbi Epiſcopi Siſternenſis.* 181. *hiſtoria D. de Varennes & aliorum.* 201. & ſeqq. *amici Botalli.* 219. *magnarum hæmorrhagiarum.* 214. *D. de Villermont.* 246

*Ex* Hæmorrhoidibus *fluens ſanguis non eſt melancholicus.* 275

Hippocrates *in nullo penè morbo ſanguinis miſſionem omiſit.* 104. 107. *eam ſemper magni fecit.* 106. *Hipp. & Gal. in mittendo ſanguine fuerunt liberales admodum.* 106. *aliquando tamen à venæſectione receſſerunt.* ibid. *eorum ſententiæ non ſemper vacant contrarietate.* 121. *Hipp. Aph.* 30. *l.* 5. *falſus.* 122. *ad examen revocatur.* 129. *ejus opinionem de venæſectione in gravidis quo-*

*quomodo Autor benignè interpretetur.* 130. *ejus Aph.* 20. *l.* 1. *quomodo intelligendus.* 156. *Græci & Romani Hipp. conſenſus circa ſanguinis miſsionem.* 165. *Aph.* 18. *l.* 4. *explicatus.* 204. *locus ex* 5. *Epidem. num.* 2. *recitatur,* 207. *Hipp. & Celſus per τὸ κατ' ἴξιν quid intelligant.* 235. 236. *Curationes à venæſectione inchoat.* 320. *locus ejus de venæſectione explicatus.* 634. *Locus de uſu purgantium medicamentorum expenditur.* 640. *Longè clarius ſcripſit de cura vulnerum capitis quam Galenus.* 720. *ejus textus è lib. de Vuln. Cap. explanatus.* 739

Hirudines *quid; earumque uſus.* 92. *quomodo applicandæ,* 93. 342. *qua ratione conſervandæ.* ibid, *qualem ſanguinem extrahant.* ibid. *quomodo auferendæ.* 94. *quibus applicandæ.* 342

Hominis *& mundi analogia.* 297

Humorum *corruptela ſingulis momentis in ægris corporibus geminatur.* 158. *humores à capite ad partes fluunt per vias manifeſtas.* 439

Humiditas *noſtri corporis quomodo abſumatur, & à quibus conſervetur.* 298

*In* Hydrope *eſt utilis venæſectio.* 208. *ejus cauſa quæ ſit potiſsima* 209. 213. *cura.* 215

Hydrargyrum *eſt remedium mirificum in Lue.* 535. *quomodo ex eo illitiones parentur.* 536. *ungendi ratio.* 537. *ex eo illitiones quovis tempore fieri poſſunt, ſi neceſsitas poſtulet.* 548. *ſymptomata illitis ſupervenientia à quibus cauſis contingant.* 553. *illitio quamdiu continuanda.* 555. *Ex eo ſuffitus quando ſit utilis.* 562. *locus & tempus iis utendi.* 563. *Hydrargyrum non eſt corpori noxium, niſi perperam adhibeatur.* 566. 570. *Montani de eo ſententia rejicitur.* 567. 570. *Galenus quid de eo ſenſerit.* 569. *ſanus ſi eodem illinatur, idem patitur quod æger.* 571. *magna interdum copia hauritur innoxiè.* 572. *cur non omnes liberet.* 573. *an cariem faciat oſsis.* 574. *an humores noxios repellat?* ibid. *ineſt ei vis diſſolutrix & ad expulſionem commotrix.* 576. *eaque non dependet*

*à calore aut frigore ſed ſpeciali forma.* 577. *quæ licet nobis ſit incognita, ſufficit tamen noſſe effectum.* 578

I.

JAcobus Regius, *Chirurgus.* 791
Jecoris *affectus non adſunt in Lue Venerea.* 457. & ſeqq. *cur minus afficiatur quam corpus aut reliqua membra.* 462. *quare non ab hac Lue, ſed à corruptela vulnerum afficiatur?* 467. & ſeqq.
Inciſionis *cutanea forma duplex.* 661
Indicationes *in venæſectione unde ſumantur.* 232. *quæ à partis natura, figura, ſitu, ſenſu, ut nec ea quæ ex remediorum conſequio eliciuntur, ſunt oblivioni dandæ.* 412
Inſtrumenta *ad oſsis perforationem an ſint apta, in cadaveribus experiri par eſt.* 700. *pro artubus quorum oſſa ſunt fracta, reponendis.* 776. *autoris ad ſphacelatum membrum amputandum.* 790
Ingreſſus *Medici ad ægrum qualis eſſe debeat.* 22
Intemperies *partibus à fluxione accidunt.* 624. *ei quomodo ſit occurrendum.* 627
Inteſtina *& ventriculus iiſdem intemperiebus patent.* 133. *eorum calida intemperies ſanguinis miſsione optimè curatur.* 134. *è ventre prolapſa quomodo reducenda.* 771
Juvenes *diſcere debent potius ante quam laurea donentur, quam poſt.* 38
Juncturæ *vulnerata difficilius curantur.* 778

L.

LActis *generatio an in nobis arguat ſanguinis quantitatem.* 291
Lenticulatus *gladiolus.* 675. *ejus uſus.* 694. 701. 734

Leva-

Levamen *ægri ex venæſectione unde colligendum?* 290

Lien *non mittit vaſa ad ventriculi orificium.* 63

Lienteria *in D. Eſſartio venæſectione curata.* 138

Lienoſis *ſanguinis miſsio utilis juxta Hippocr.* 194

Ligaturæ *in vulneribus quid præſtent.* 643. *in fractura cranii inutiles.* 711. 713

Lipothymiæ *quomodo occurrendum.* 332

Luis Venereæ *nomina.* 446. *quas ſoboles producat.* 447. *Cauſa.* 448. *quas partes afficiat.* ibid. *ejus forma propria.* 449. *Seminarium, cui inſidet, varium, pro medicorum variis opinionibus.* 450. *Forma juxta Montanum.* 451. *quæ refutatur.* ibid. & 454. & ſeqq. *Seminarium ejus eſt ſanguinis maſſa, dein partes ſolidæ.* 452. *in ea Iecur non eſt obſtructum.* 457. *nec infectum, & cur?* 462. *purgatio in ea maximè utilis.* 460. 466. 582. *ſanguis quomodo dici poſsit in ea vitiatus?* 460. *quomodo ſerpat.* 463. *Sedes & origo ex ſenſu demonſtratur.* 465. *an hoc nomen mereatur ab ineunte affectu.* 469. *in ea num vitiatus humor, ab aliis contractus, poſtea evaneſcat.* 470. *qui gravius, qui levius ab eadem affligantur.* ibid. *quibus ſignis dignoſcatur.* 471. 486. *Præſidiorum ei conferentium enumeratio.* 474. *ab ea ſe præſervandi modus.* 475. *Ejus ulcera recentia quomodo curanda.* 476. *hac affecti, debent à principio medicum accedere.* 477. *ejus curationem multi impoſtores ſibi vindicant.* 478. *in ea nocet venæſectio ab initio.* 480. *Ejus ulcera ægrè ſanabilia ut tractanda.* 481. & ſeqq. *in ea uſus præcipitati præſtans eſt.* 484. *& aquæ fortis.* 485. *ſi ab ea fuerit præputium tumefactum quid imponendum.* 486. *Verrucæ glandis ab ea.* 487. *Seminis profluvium ejuſque curatio.* 389. & ſeqq. *Bubones quomodo ſuppurentur?* 493. *pus ex iis quomodo emittatur.* 495. *pilorum caſum curandi ratio.* 500. *decoctum Ligni Indici ejuſque utendi modus.* 502. *Quomodo curanda, ſi patiens, ob negotia, integræ curæ attendere non poſsit.* 504. *Sca-*

504. Scabiei ab eadem curandi ratio. 505. muſculoſarum partium affectarum curatio. 508. articulis & oſſibus ab hac ſollicitatis, quomodo occurrendum. 511. Tubercula ſeu Gummata quomodo diſperdantur. 517. capitis affectus in ea quomodo curandi. 523. Eam curandi modus per illitiones Hydrargyrum recipientes. 535. præparatio ad illitiones. 541. illiti quomodo nutriendi. 541. qui ad eaſdem ſint apti. 544. tempus iis proprium. 548. Symptomata quæ iis accidunt. 552. quomodo iis occurrendum. 556. quamdiu perfricandi. 554. Pauperes ea affecti quomodo tractandi. 540. Ejus cura per ſuffitus. 561. in Lue ſanguis frequenter mitti debet. 580. Vomitus in ea utilis. 584. aliquibus tamen interdicendus. 585. Sudores in ea utiles. 586. quos decoctum ligni egregiè movet. 587. Balnea quid conferant. 592

## M.

MAſterus Medicus reginæ Angliæ. 318

Matthioli Laus. 11

Medicamenta putridam carnem removentia. 794. abſtergentia. 795. cicatricem inducentia. 796. repellentia. ibid. diſſolventia. ibid. à Galeno præſcripta. 797. eorum applicatio non ſemper ægro utilis eſt. 23

Medicinæ dignitas. 1. ſubjectum. 2. antiquitas. ibid. cur finem ſuum non ſemper aſſequatur. ibid. in conjecturis potiſſimum poſita eſt. 7. Verſatur potiſſimum circa adjectionem & detractionem. 101. militiæ admodum ſimilis eſt. 167. qua ratione à Nebulonibus exerceatur. 478. in ea qui ſolam rationem, libros, vel opinionem, ſequitur, ſæpè fallitur. 579. in eadem omnia ex re nata mutare debemus. 727. naturæ æmula. 102. parvo temporis ſpatio addiſci nequit. 103. in operum actione conſiſtit. ibid.

Medicus quid præſtare debeat. 3. qualem eum eſſe oporteat. 4. debet in Anatome eſſe exercitatus. 10. & ſimplicium facultates noſſe. 11. ei Græcarum litterarum

ſtudium

*ſtudium an neceſſarium.* 6. *an logicam, perſpectivam, Aſtronomiam ſcire admodum conducat ei?* 8. *Eloquentia ei parum utilis.* 5. *& matheſis.* 16. *res non naturales debet obſervare.* 12. *Ejus finis.* 13. *ipſius errores in patientium jacturam vertuntur.* 16. *debet ſibi confidentiam apud patientes comparare.* ibid. *non debet nimium urgere ea præſidia, quæ æger contentioſe recuſat.* 17. *aliorum medicorum conſortium fugere non debet.* 18. *quis Perfectus cenſendus.* 20. *ſuaves ſecum gerat odores, qui tamen nemini nocere poſſint.* ibid. *vitet ebrietatem.* 21. *in geſtibus animi modeſtiam repræſentet.* 22. *Ejus ingreſſus ad ægrum qualis.* ibid. *debeatne parcius an frequentius ad ægrum accedere.* ibid. *vitæ & animi purus ſit.* 25. *humanus.* 26. *ægros non inviſet niſi vocatus.* ibid. *ægros deſtituere nunquam debet.* 27. *neque iis pharmaca incognita propinare.* ibid. *iiſdem medicamenta aperire non debet.* 28. *ut nec partem habere in Pharmacopæorum tabernis.* ibid. *nec mercedem accipere ex inſpectione urinarum citra aliam inquiſitionem.* 29. *ex tumultuaria pharmaci præſcriptione plus noxæ quàm utilitatis infert.* 30. *nihil potius adhibere, quam citra cognitionem curare debet.* ibid. *pauperes citra præmium curare debet.* 31. *quos inviſere non poteſt, ad juniores medicos ablegare tenetur.* ibid. *oblatam à divitibus mercedem accipiat.* 33. *non ſit nimis ſeverus erga ægros.* 35. *Lectione non fit, ſed uſu ac experientia.* 36. *Senex non ſemper eſt peritus & expertus.* 37. *Chirurgicas operationes, abſente Chirurgo, adminiſtret.* 40. *præterita æquè ac præſentia in ægris contempletur.* 47. 51. *patientium vitæ genus examinet.* 50. *Medici plures, ſi ad ægrum vocentur, comiter inter ſe agant.* 54. *contentioneſque vitent.* ibid. *Medicorum multitudo aſſidua turbulentiam parit ægris.* 55. *Medici cujuſdam conſilium ultroneum.* 119. *Medici, ante Botallum, in Gallia timidiores erant in mittendo ſanguine.* 154. *Medicorum error in auxiliis adhibendis.* 158. *Eorum timiditas in ſanguine mitten-*

*mittendo.* 119. 212. *cur tales ſint.* 292. 294. *cur iidem in quartanariis, & iis qui ad hydropem ſunt propenſi, reformident venæſectionem.* 213. *cur in febribus etiam tabificis.* 222. *rejiciuntur eorum rationes.* 223. *cur poſt venerem nimiam prohibeant venæſectionem.* 224. *Medici, qui cœleſtia ſigna nimis ſcrupuloſè obſervant, redarguuntur.* 249. *Eorum opiniones circa emiſſum ſanguinem.* 266. *eorum inconſtantia in ſanguinis examine.* 269. *quorundam ridiculæ narrationes.* 273. *Medici cur venæſectioni communiter purgationem præmittant.* 320. *Medici fucati calumniæ. in Medico prudentia plurimum poteſt.* 480. *Ejus officium in affectibus inſanabilibus.* 758.

Medici & ægri *actio ad ſanitatem dirigitur.* 13

Melancholia *quid.* 382

Menſes *retenti, aut nimium fluentes, morbos faciunt.* 50

Meningis *detectæ cura.* 744

Modiolus. 670. *Botalli.* 647. *in ejus adhibitione quænam obſervanda.* 743

Motus *quo modo corpus alterare poſſit.* 49

Montani *Sententia de Forma Luis Venereæ refutatur.* 451

Mucus *quid & unde.* 380. *quomodo ſegregetur.* 381

## N.

NArium *ſtillicidium malum ſignum.* 152. *idque promovendum venæſectione, quod exemplis oſtenditur.* 153. *in earum hæmorrhagia magna, venæſectio prodeſt, & cur.* 155. *quod exemplis confirmatur.* ibid. *ex iis purior ſanguis effunditur quàm è vena in brachio ſecta.* 156. *& cur.* 157. *exemplis ibidem adductis. in earum hæmorrhagia quomodo procedendum ex mente Botalli,* 159. *Exulceratæ quomodo tractandæ.* 415.

Natura *quo modo carnem generet.* 684. 686

Nervus *in venæſectione non deprehenditur antequam læſus fuerit.* 82. *qui eſt in cubiti flexura, lædi conſuevit.* ibid.

Nomi-

Nominum *inveſtigatio, aut novorum introductio, nullius uſus in arte Medica.* 349

O.

OBeſi *difficulter ferunt ſanguinis evacuationem.* 256

Obſtructio *in Catarrho quibus præſidiis tollenda.* 421. & ſeqq.

Odores, *pluribus gratos, medicus circumferre poteſt.* 20

Oſſa *inventa in falce duræ meningis.* 66. *carioſa an ferro ignito tangenda.* 748. *artuum fracta quomodò ſint curanda.* 775. & ſeqq.

P.

PAgani *Medici & Vincentii Zoy induſtria in examinandis affectibus eorum, quorum ruri ad ipſos urinæ deferebantur.* 32

Pariſthmia *quid ſint.* 355

*In* Parotidibus *utilem eſſe venæſectionem exemplis probatur.* 151

Pauperes *citra præmium curandi.* 31

Peripneumoniæ *quomodo ſuccurrendum.* 288

*In* Peſte *venæſectio convenit.* 169. *quod probat autor ratione.* 170. *exemplis aliorum.* 172. *& ſuo proprio.* 176. *ab ea multi intereunt ob nimis parcam phlebotomiam.* 170. peſtilentes morbi *oriuntur à materia vitiata in venis.* 171. *ii in quæ reſolvantur.* ibid.

Perforatio *cranii quando inſtituenda.* 664. *& quomodo.* 730

Pharmacopola *debet eſſe probus, & artis ſuæ peritus.* 55. *diligens, humanus.* 56. *nihil debet immutare in receptis medicorum.* ibid.

Phlebotomiæ *incommoda unde proveniant.* 105. *ea ante Hippocr. fuit in uſu.* 315. *quid ſit.* 631. *cur & quando in vulneratis inſtituenda.* 632. *& in qua vena.* 633. *qua quantitate.* 635

Phlegmones *frænum eſt ſanguinis miſsio.* 411. *quid ſit.* 781. *quomodo curanda.* ibid. *dolor in ea quomodo ſedandus.* 782. *ejus ſuppuratio quando promovenda.* ibid. *pus qua via emittendum.* 783

Pituita *unde ad caput perveniat?* 371. *an è ventriculo, an per vaſa?* 372. *an cerebrum eam generet?* 374. *ejus fodina eſt ventriculus.* 376. *quid ea ſit?* 377. *an in ore generetur?* ibid. *à meſenterii venis attrahitur, & ſic porro per univerſum corpus deſtribuitur.* 379. *ad pulmones delata, per aſperam arteriam ad fauces pellitur.* 379. *cum ſanguine ad cerebrum repit.* 380. *per cutem quoque evacuatur.* 381. *ſanguini extracto quæ conjungitur, ſtatim in lance ſupernatat.* 384. *cernitur quoque in ſanguine qui aqua calida excipitur.* ibid. *multa adeſt in venis manuum & pedum.* 385. *corpori quomodo ſit noxia?* ibid. *omnis per cerebrum non expurgatur.* 386. *in jecore cur non ſegregetur.* 387. *à quibus cauſis facilè in nobis gignatur?* 388. & ſeqq.
Pilorum *caſum curandi ratio.* 500
*In* Pleuritide *quomodo ſanguinem mittat Botallus?* 286
Podagra *frequenti ſanguinis miſſione curata.* 310
*In* Praxi *utilis obſervatio.* 400
Prægnantibus *phlebotomiam interdicunt Hippocr. & Gal.* 115. *iiſdem quod utilis fuerit, exemplis probatur.* ibid. *cuidam, dum utero gereret, undecies fuit ſecta vena.* 122
Præcipitati *præſtantia in ulceribus venereis.* 484. *quomodo præparetur?* 595
Prognoſtica *medicinæ pars aliis omnibus præſtat.* 18. *ad eam rectè inſtituendam quid requiratur?* 19
Proviſio *in vulneratis qualis inſtituenda?* 658. *in vulneribus capitis.* 755. *thoracis.* 761
Prudentia *in Medico laudanda.* 25
Pueris *ante.* 14. *annum an ſanguis mitti poßit?* 111. *in quantum ſanguinis Galenus & Autor detraxerint?* 281. *eorum calidum innatum an ſit majus quam in ceteris ætatibus?* 307. *Illini poſſunt hydrargyro.* 545. *venæſectio iis adminiſtrari poteſt ante pubertatem.* 636. *ſed cum cautione.* 638
*è* Pulmonibus *ſi fluat ſanguis, quomodo per phlebotomiam ſit ei ſuccurrendum?* 281. *ejus vulnerati ſigna.* 758
Pulvis Sclopetarius *an Venenoſus.* 606. & ſeqq. *ex quibus compo-*

*componatur?* 611. & ſeqq. *pulveres Cephalici interdum noxii.* 682

Purgatio *in abſceſſibus non convenit.* 148. *in Catarrho qualis inſtituenda?* 394. *utilis in Lue Venerea.* 460. *quando in vulneratis inſtituenda?* 639. *qualis ea eſſe debeat?* 642

Purgantium *humores quoſlibet medicamentorum formulæ.* 799

Pus *ex apoſtematibus quomodo arte Chirurgica optimè evacuetur?* 495

Q.

QUantitas *vera rerum, ad medicinam pertinentium, vix definiri poteſt.* 255. 257. *ſanguinis in humano corpore quæ ſit ordinariè?* 272. *qualis quotidie generetur.* 296. 300. *ſanguinis quæ homini ſano, ſine magno vitæ periculo, extrahi poſſit uno die.* 277. 284. *ſanguinis detrahendi unde debeat æſtimari.* 256

R.

RAucedo *quid?* 352

Receptæ *medicorum quænam ſint riſu dignæ.* 23

Renes *numero quatuor in una mole conjuncti.* 60. *in iis ſpectanda figura, ſitus, & vaſorum exortus.* 65. *in eorum formatione variè ludit Natura.* 61

Repulſio *quo tempore conveniat.* 628

Repellentium *materia.* 629. 796

Revulſio *quid?* 630. *quot modis fiat.* 631. *per venæſectionem.* ibid. *per alvum.* 639. *per ligaturas.* 643. *per frictiones, cucurbitulas, victum tenuem.* 644

Rhabarbarum *manſum duplo plus educit, quam duplum devoratum in potione vel bolis.* 405

Rheuma *quid, & unde derivetur, quotuplexque ejus ſit acceptio.* 347

S.

SAlacitas *unde dependeat.* 62

Sanitas *non ſemper medico laudem parit.* 17

Sanguinis *materia & generationis modus.* 107. *ejus per univerſum corpus diſtributio.* 108. *Is ſi exuperet, aut mala*

*qualitate peccet, venæſectione emendandus.* 105. *ſanguis dupliciter corpori inutilis.* 110. *ab eo quinam morbi naſcantur.* ibid. *eadem quantitate oritur in gravidis & non gravidis, & cur.* 128. *vitioſus non impedit copioſam venæſectionem.* 159. *qua quantitate ſit detrahendus.* 256. *quo anni die & tempore.* 254. *emiſſus quomodo à medicis dijudicetur.* 266. *in lance exceptus & concretus quot conſtet partibus.* 267. *extractus quomodo aſſervandus.* 269. *in eo quid obſervandum dum fluit.* ibid. *Ejus color bonus aut malus non oſtendit metam in ſanguinis miſſione.* 271. *quantitas quæ ſit in humano corpore.* 271. *qualis quotidiè generetur.* 296. 300. *ſponte fuſus plus adfert incommodi, quàm arte emiſſus.* 274. *Hæmorrhoidum qualis.* ibid. *qua quantitate poßit & debeat arte detrahi.* 277. *è pulmone effluens quomodo curandus.* 281. *ejus extrahendi quantitas unde debeat æſtimari.* 289. *brevi temporis ſpatio in nobis reparatur.* 296. 300. *idem numero in nobis diu non manet.* 304. *novus an veteri ſit deterior.* 306. & ſeqq. *Eo extracto, an crudus humor neceſſario rapiatur in venas ob metum vacui.* 322. *ſanguis quid.* 382. *bonus qualis eſſe debeat.* 383. *Ejus maſſa, & ſolidæ partes, ſunt ſeminarium Luis Venereæ.* 452. *in vulneribus quot modis ſupprimendus.* 648. *quomodo feratur è dextro in ſiniſtrum cordis ventriculum ex mente Galeni, Columbi, Authoris.* 67. 69. 79

Sanguinis miſſio *omnibus evacuantibus præſidiis præſtantior eſt.* 104. *perito Medico non eſt reformidanda.* ibid. *an pueris conveniat.* 111. *an ſenibus.* 112. *in his qualis eſſe debeat.* 113. *quoties repetenda in iiſdem.* ibid. *an gravidis competat.* 115. *plus iis competit quam non gravidis.* 121. *in iiſdem tutior eſt purgatione.* ibid. *quibus cautionibus aggredienda.* ibid. & 124. *in prægnantibus utilis ad præcavendos morbos.* 124. *nullo tempore impregnationis eſt metuenda.* 127. *contra Hipp. aphoriſmum.* 128. *in alvi fluxu & lienteria conferre, probatur exemplis.* 135. & ſeqq. *in Exanthematis quando, & cur, inſtituenda.* 147.

exem-

*exempla eorum quibus ea pro fuit.* 150. 187. *Ejus indicium in menſium, narium, aut hæmorrhoidum nimio aut parciori fluxu unde deſumendum.* 152. *in hæmorrhagia narium copioſa (etiam ad aliquot libras) utilis.* 157. *in tremore & concuſſione nonnunquam convenit.* 162. *in ſummo morbi vigore ab Hippocrate inſtituta.* 163. *in morbi vigore ex malleolo cruri dolenti ſubjecto ab Hipp. adhibita.* 164. *in peſte.* 169. *in cachexia.* 184. & ſeqq. *in materia frigida.* 195. *in convulſione.* 197. *in Epilepſia & ſimilibus.* 198. *in catarrhis.* 200. *in tuſſi ſicca.* 203. *in ventris dolore.* 204. *in Hydropicis.* 208. *quartanis inveteratis & recens natis.* 216. *in febribus tabificis.* 218. *poſt venerem ſuperfluam.* 224. *viſui non obſtat.* 229. *quibus morbis conveniat, & quo tempore.* 233. *in morbis repentinis, imò in eorum incremento & ſtatu conducit.* 238. *tempore exacerbationis facta, exemplis oſtenditur.* 244. & ſeqq. *in morborum declinationibus.* 249. *cur in morbi vigore inſtituenda.* 248. *ad animi diliquium, quomodo debeat ſumi.* 259. & ſeqq. *Ob ſanguinis miſſionem neglectam multi mortui ſunt.* 245. *Eam obeſi difficulter ferunt.* 256. *In eo mittendo timiditas ægris pernicioſa.* 280. *in inflammationibus acutis quomodo inſtituatur à Botallo.* 284. 285. *& in pleuritide.* 286. *& in angina.* 287. *an ſit omnino neceſſaria; & quomodo id intelligi debeat.* 295. *prima an liberet à maximo morbo.* 304. *in podagra.* 310. *parcior multos ad interitum deduxit & cur.* 317. *parcius mittere aut copioſius quidnam ſit magis tutum.* 316. *frænum eſt phlegmonum.* 411. *in Luis Venereæ principio noxia.* 480

Sanguificatione *abolitâ, corpus interit.* 109

Sarſa pariglia *quid, ejuſque decoctum.* 590

Scabies *Venerea quomodo curanda.* 508

Scalpellorum *varia genera, quorum ad incidendam venam uſus eſt.* 87

Scalper *excoriatorius.* 661. *Scalpri raſorii.* 675. *eorum genera.* 680

Scarificatio *quid, & in quibus caſibus inſtituenda.* 91. 341.

*eum circumbitulis.* 92
Scriptoribus *vitia communia.* 417
Sermones *medici apud ægrum quales eſſe debeant.* 24. *lepidus ſermo poteſt eſſe ſimul & honeſtus.* ibid. *ſermonis hilaritas animi jucunditatem parit in ægro.* ibid.
Sectionis venæ *quot ſint genera.* 333
Serum *quid ſit.* 383
Seminis *profluvii curatio.* 489
Serrarum *genera varia.* 669
Signa *bona in parte vulnerata temperiei.* 626. *intemperiei*, ibid. *Vulnerati interius cranii.* 663. *bona in fracturis cranii.* 752. *mala.* 753. *ſuſpecta, funeſta.* ibid. *Univerſalia in omnibus.* 754. *Vulneris in thorace penetrantis.* 758. *ſanguinis in Thorace collecti.* 765
Similitudo *inter fœtum & arboris fructum.* 123
Somnus *quis noxius.* 49. *an interdicendus poſt venæſectionem.* 333
Sputum *quid.* 381
*In* Sphacelo *quid agendum.* 787. *ſigna ejus.* ibid. *ſphacelati membri detruncandi locus.* 788. *inſtrumenta.* ibid. *modus iis utendi.* 789
Sternutatio *quid.* 359. *ejus cauſa.* 360. 362. & ſeq. *quare natura eam inſtituat.* 360. *cur ſit impetuoſior quã tuſſis.* ibid.
Sudorum *utilitas in Lue Venerea.* 586
Suppoſitoriorum *formulæ.* 798

T.

TEndines *ſæpius læduntur, dum ſecatur vena.* 82. *ſubjecti quomodo deprehendi queant.* 83
Tempus *quo ſanguis mitti commodè poſſit.* 332
Terebrarum *genera varia.* 666. & ſeqq.
Terebellum *Hippocr. quale fuerit.* 697
Thoracis *vulnera quomodo curanda.* 756. 767. *eorum proviſio.* 761. *in iis quomodo ſituandus ſit æger.* 763. *ſi intro glans delituerit, lethale.* 757. *in eo collectus ſanguis vel pus quomodo dignoſcantur.* 765, *eum perforandi locus & modus.* 765. 766

Timi-

Timiditas *medicorum in ſanguinis miſſione, ſæpè ægris perniciosa.* 280
Tonſura *medico conveniens.* 21
Tonſores *Villici quales.* 682. 683
Tonſillæ *in genere glanduloſo robuſtiſſimæ.* 354. *earum Curatio.* 407. *ſuppuratio quomodo dignoſci poſſit.* 409. *ſuppuratæ quomodo aperiendæ.* 410. *una citius ſuppuratur altera.* ibid. *quid agendum ubi apertæ fuerint.* 411
*In* Tremore *aliquando utilis venæſectio.* 162
Trepani *deſcriptio.* 670
Tripedem *adhibendi modus.* 729
Tuſſis *quid.* 359. *ejus cauſa.* 360. & ſeqq. *quare natura eam inſtituerit.* ibid. *æque neceſſaria eſt atque ſternutatio.* 361. *ſiccæ Tuſſis cauſa.* 203. *eam lenientia.* 396. *curandi modus communis.* 203. *modus Autoris.* ibid.
Turundæ *quales debeant imponi vulneribus.* 657. *quales vulneribus Thoracis.* 760. 767. *quibus inungi debeant.* 760

## V.

Veſtitus *medico debet eſſe decorus.* 21
Venus *quæ mala inducat corporibus.* 51
Vena *cur non ſemper ritè à Chirurgo incidatur?* 74. *ejus inciſio qualis eſſe debeat?* 75. *Secanda tutior & magis patens.* 77. *Si lateat, per aquam calidam eſt turgens reddenda.* 78. *ejus anguſta ſectio quomodo dilatanda?* 79. *quæ tundi ſolet, arterias aut nervos ſupra ſe poſitos non habeat.* 80. *etiam, quæ viſui non eſt manifeſta, ſecanda.* 82. *eam ſecandi quot ſint figuræ?* 85. *ejus inciſio quomodo arteficiosè molienda?* 86. *Venæ aperiendæ, ubinam in corpore ſitæ ſint?* 88. *Iugulares venas an ſecare liceat?* 89. 334. *interna ſi diſrumpatur, caſus eſt deſperatus.* 199. *Earum repletio facilis poſt injectum vinculum, indicat ſanguinem nimis abundare.* 286. *flatibus nunquam ſunt repletæ.* 301. *Venæ quæ in brachio communiter aperiri ſolent.* 335. *in manu quare non nunquam tundenda?* 336. *Earum poſt aures ſectio an ſteriles reddat?* 337. *Naſi vena quomodo à Botallo ſecta?* ibid. *Sublinguales, ſaphena, iſchiadica, penis, quibus in caſibus incidendæ?* 338. *Vulnerata, ſi continuo digitus ei imponatur, coaleſcit.* 654
*In* Venæſectione *nervus vitandus & arteria.* 75. *membrum Luci adaptandum.* 76. *cutis extra ſedem ne trahatur.* 77. *poſt eam, quo artificio vulnuſculum ſit claudendum?* 79. 80. *In timidis non eſt inſtituenda.* 123. *In ea non ſemper intrò revocatur, quod natura foras* expel-

expellere tentat. 149. Ea viſui non nocet. 227. quod probatur exemplis diverſis, & autoris ipſius in ſemetipſo experientia. 228. prima non liberat hominem à graviſſimo morbo. 230. an purgatio eam præcedere debeat? 319. in pueris etiam tutò adminiſtratur. 636
Venenum quid? 610
Ventriculus eſt pituita fodina. 376
à Venere nimia cur ſanguis mitti debeat neceſſariò? 225
Ventris dolor poſtulat venaſectionem. 204. imò eadem tollitur. 206
Verrucæ glandis quomodo auferendæ? 487
Veterum placitis non ſemper inſiſtendum. 549
Victus humidus quod in catarrho conveniat, probatur. 418. Siccans humores craſſos non attenuat. 419. attenuans qualis? 429. attenuans pituitoſis corporibus à Galeno conceſſus. 426. tenuis in genere revellentium poni poteſt. 644. tenuis qualis ſit? 645
Vinculum in venaſectione quale adhibendum? 90
Viſitationes medicorum pauciores ne an frequentiores eſſe debeant? 22
Virium concidentia in alvi fluxu, non impedit venaſectionem. 134. Earum conſideratio in mittendo ſanguine, qualis communiter adhibetur, ridicula. 238
Viſus quibus modis lædatur? 230
Ulcus an ſordidum fiat à medicamento impoſito, quomodo dignoſcendum? 413. in Lue Venerea quomodo curanda? 476. 481
Ungues medici quales eſſe debeant? 21
Unguenta ad Scabiem. 507
In Vocis interceptione convenit venaſectio. 199
Vomitus materia in prægnantibus, ſæpiſſimè in venis hæret. 126. utilis in Lue Venerea, & quibus? 584. in Thoracis vulneribus noxius. 762
Ex Urinis mulierem utero geſtare, aut morbi ſpecies, dici non poteſt. 19. ex eadem nihil ferè cognoſcere poſſunt medici. 29
Uſus multa probat, quæ ratiocinatio non aſſequitur. 573. præſtat cognitione nominum. 683
Vulnera Sclopetorum non ſunt uſta. 616. in iis adeſt tantum contuſio. 617. eorum methodica curatio in quibus conſiſtat? 619. ab iis extranea quomodo extrahenda? 621. quo in caſu ſint dilatanda? 622
Vulnerum curatio generalis. 655. capitis curatio. 659. Thoracis ſigna. 758, cura. 756. abdominis prœviſio. 772. an dilatanda? 769. quomodo claudenda? 770
Vulneratorum prœviſio. 658. in iis purgatio quando inſtituenda? 639. & qualis? 642. in iiſdem ligatura conveniunt. 643. balnea. ibid. fictiones. 644. cucurbitulæ, victus tenuis. ibid. cur & quando in iis phlebotomia inſtituenda. 632. in qua vena. 633. qua quantitate. 635
Uva quid ſit. 355. quid per eam intelligat Galenus? 356. 357. ejus excuſſio. 358. ejus inflammatio gargariſmatis curanda. 413. ſi inſtar i uva ſe habeat, quomodo tractanda? 414. quando reſecanda? ibid.

INDICIS FINIS.

COUNTWAY LIBRARY
HC 1GKV B